IOAN. BAPTISTAE MONTANI ME-DICI VERO-NENSIS

In libros Galeni de arte curandi ad Glauconem Explanationes.




MATVRA.



LVGDVNI,
APVD IOANNEM FRELLONIVM,
M. D. LVI.

aug. disc. par. 2. C.



SERENISSIMO AC POtentiss. Principi, & domino, Domino Sigismundo Augusto, Dei gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ, Rusiæ, Prusiæ, Mazouiæ, Samogithiæ &c. Domino & hæredi, domino suo clementiss. Valentinus Lublinus Polonus Philosophiæ, & medicinæ Doctor S. P. D.



Ententiam hanc γνῶθι σαυτὸν serenißime Rex Sigismunde Auguste regum clarißime, hoc est, cognosce teipsum, esse diuinam: Et ideo de cœlo in tecta mortalium descendisse, ac Delphis in templo Apollinis aureis literis insculptam, memoriæ proditum est, vt inde omnes planè cognoscerent sese constare corpore, & anima: Atque adeo intelligerent animi mores sequi temperaturam corporis: Proindeq; non solum liniamenta corporis qualia sint, sed & vires animi pariter, & ingenium suum metiri conarentur. Quamobrem mihi cogitanti quàm sint perexigua ingenij mei vires facilè perspicio onus sanè impar humeris meis suscepisse: quippe qui maiestatem tuam interpellare hoc perexiguo munere ausus fuerim. Cognosco enim meipsum nec verborum splendore, nec sententiarum lumine, grauitateq; aliqua libellum

hunc commẽdatiorem reddere potuisse. Et proinde verebar sanè, atque formidabam, vt debui: siquidem non defuturos esse existimo, qui mihi sint illud obiecturi præ amplissimo regno tuo me esse vermem, & planè vmbram: Atque temeritatem summam esse meam: qui audeam his meis nugis talis, tantiq; Regis aures obtundere, quem principes quidem potentissimi, atq; adeo maximi heroes salutare plerunq; verentur. Profectò etsi ab hoc instituto me deterrere potuissent (vehementer enim deterritus sum) nihilominus illa sententia Ciceronis me multum consolatur, & recreat, quòd vacare culpa sit maximum solatium: præsertim cum non desint viri celeberrimi, & mihi piè colendi, quorum suasus semper audire & volo, & debeo. ij enim M. T. S. venerãtur, & Montani communis præceptoris, & meam, qualiscunque est, dignitatem ante oculos habent, ac tuentur: propterea non modò apud M. T. verum etiam apud omnes Polonos, cæterósq; externos homines de ipsis id palàm fateri non verebor: quod alter quidem BASSIANVS LANDVS nostris temporibus Montanum facilè æquabit. alter verò VINCENTIVS CASALIS Brixianus non multo post duos præceptores & sui, & suæ gentis physicorũ gloriam augebit. Hæ sunt duæ columnæ, quibus ego nixus ab inuidis & maleuolis nunquam ab hoc

meo

meo instituto deÿciar. Itaque Rex *serenißime tametsi* Maiestatem *tuam hoc munere oblato interpello: id tamen fuit meum consilium, vt non auram popularem, nec ambitionem, vt maligni interpretabuntur, aucuparer: nec inde lucri aliquid sperarem, sed potius meam incredibilem obseruantiam erga maiestatem tuam, cui in perpetuitatem seruire cupio, vt debeo, declararem: atque adeo testatum relinquerem posteris ipsis me, meaq; omnia tuæ* M.*debere: atq; dedicata esse: vtpote qui tuo regno & sum natus, & adoleui.* Ecquis *per deos immortales est aut* Rex, *aut* Imperator: *cui istæc opera medica iustius dedicari possent, quàm tuæ* M. *quæ semper medicos charos habuerit?* Et *præcipuè viros doctißimos* D. Bartholomæum Sabinum, & Petrum Posnaniensem *præceptores meos doctrina, & experientia præstantißimos: quos honoris gratia apud* M. *tuā nomino.* Huc *etiam pertinet (quod hodie paucis principibus contingit) ita in literis* M. *tua fœliciter versetur, vt neminem parem in toto orbe terrarum eiusdem ordinis reperiri posse perspicuum sit.* Id *quod facile intelligi potest ex patrocinio, & fauore, quo viros doctos semper* M. *tua complexa est, & aßiduè complectitur.* Postremò *verò accedit quædam animi sympatheia inter regiam* M. & *me natione* Polonum, *vt pro* M. *tua fortunas omnes, nedum sanguinem, & vitā pro-*

fundere mihi dulcißimum, & honestißimum foret. Et *propterea* M. *tua veniam mihi facilè dabit, quòd prompto animo ausim eam à maximis, & illis quidem grauißimis negotijs hoc meo labore cuiuscunq; modi sit auocare.* Dari *enim mihi veniam iubet* Christus *seruator noster, qui hominem bonum opus facientem commendat.* Sed *quoniam sapientis est seruire tempori:* Proinde *omnis occasio, quæ nobis sese offert arripienda est: quæ quidem res sitienti agendas disponit, & maximè commendat.* Id *quod sequendum esse nobis indicat miles ille, qui postea quàm* Artaxerxi Persarum *regi potentißimo sitienti vtrem plenum aquæ obtulit, maiorem gratiam promeruit, quàm si abundè vini obtulisset.* Quod *non aliunde accidisse commemorauit, quam quod occasionem nactus sit, & vt vetus verbum est scenæ inseruiuit.* In *hoc quoq; articulo temporis, & ego sequar huius militis exemplum, vtpote qui acceperim tuam* M. Regiam *vndiquaque conquirere libros, vt bibliothecam instructißimam, quam ab aliquot annis instruere occepit, more* Regum *potentißimorum post se relinquat, & posteritati quantum fieri potest longè, lateq; prospiciatur.* Hanc *igitur explanationem in libros* Galeni *ad* Glauconem *arbitror* M. *tuæ offero. quæ etsi hac* M. *tua bibliotheca locum infimum, sibi iure optimo vendicare potest, non tamen*

reije

reijciendam, & aspernandam esse arbitror exemplo dei opt. max. qui in hoc mundo pulices, & culices, ac id genus vile animantium æquo animo patiatur: Id quod M. tuam pro singulari sua prudentia (quæ quidem summa est) facturam confido. Nam prudētia, quæ in M. tua tanquam in speculo nitidissimo relucet Polonis notissima est, quos sic M. tua regit, & moderatur, vt patriæ patrem opt. ac max. Regem M. tuam appellent: Indeq; omnes externæ gentes potentiam M. tuæ magnopere reformident. Ecquis M. tuam & numero, & disciplina militari in toto orbe terrarum superare potest? Ecquis tot centena millia equitum conscribere vnquam ausus est? in sane Xerxis exercitum multis numeris M. tua superat, quem flumina, & maria exiccasse olim commemorant. Est sanè cur nos Poloni gratias Deo opt. Max. hoc tempore agamus, habeamusq;, qui nobis talem, tātumq; Regem in hac rerum perturbatione cōcessit. o verum omnium virtutum, literarum bonarum, & doctorum virorum patronum, & mæcenatem, qui hoc innixus maiorum vestigijs tantopere studet, vt Polonia barbarie, & moribus quibusdam agrestibus planè exuatur. Quod vt commodius fiat pacem, ac tranquillitatem populo suo in tanto bellorum ardore, quo totus orbis terrarum flagrat, peperit, libertatemq; confirmauit. Quippe quæ certo sciat, & planè

intelligat inter gladios, sicasq; viros literatos versari non esse tutum: hocq; certo teneat literas pacis, ac tranquillitatis conseruationem parere. hæc enim sunt instrumenta, quæ hominum ferociam frangunt, & rabiem leniunt. Quod facilè commonstrant rudes homines, & à musis alieni, vtpote quibus nihil sit immanius, inclementius, ac sæuius, vt videantur plusquam feræ, ita quidē vt à Scythis, & Cyclopibus nihil prorsus differant. Quamobrem ser. Rex Sigismunde Auguste M. tua hac in re rectißimè instituit, atque composuit se ad maiores suos, & præcipuè ad potentißimum parentem D. Sigismundum imitandum, nimirum Regem inuictißimum, & sanctißimum, qui fuit summus literarum patronus. Quippe qui probè intellexit abolitis literis nō solùm de pietate, ac religione Christiana, sed etiam de pace, & humana consociatione actum esse. Quod quidem institutum inchoatum à maioribus si M. tua (vt iam Deo fauente incepit) perfecerit, non solùm pacem, tranquillitatem, ac religionem Christi cōseruabit, sed etiam nomen perpetuum, & immortalem glariam consequetur. Et vt omittam iam literas, quarum M. tua patronus summus est statim sese offert agmen cæterarum virtutum, quæ in tua M. lucent. Clara siquidem est pietas M. tuæ, clara iustitia, clara clementia, ac denique liberalitas: quæ sic

illustr

illustrem, & penè diuinam M. *tuam efficiunt, vt omnes* Imper. Reges, *ac denique principes* M. *tuam non solùm colunt, verum etiam amicitiam vltro inire studeant, & viri docti suspiciant, admirentur, venerentúrque.* Ob *quas etiam virtutes ego inflammatus nō commisi, quin meæ in tuam* M. *voluntatis, & obseruantiæ,& amoris testimonium aliquod publicum ostenderem.* Quod *cum alia ratione facere mihi non fuerit integrum, has saltem lucubrationes nomini* M. *tuæ clariß. consecrare volui:vt hinc quanti* M. *tuam faciam,quanque* M. *tuam vnice propter eximias virtutes colā, liquidò pateret.* Quare *sereniß.* Rex, *potentiß.* Rex *Sigismunde* Auguste *sinet tua regia* M. *has lucubrationes* Io. Baptistæ Montani *medici doctrina, & experientia clarißimi à me diligenter,ac fideliter collectas,& in publicam vtilitatem expositas: sinet inquam* M. *tua sub nominis* M. *tuæ patrocinio commendatiores exire,præsertim cum non æquè à me tuæ* M. *destinatæ sint,quàm planè debitæ.* Oro *igitur, & obsecro tuam regiam* M. *vt hos meos labores qualescunque nomini tuæ* M. *nuncupatos hilari, exporrectáque fronte accipiat, & vmbra alarum suarum protegat.* Deus *opt.* Max. M. *tuam perpetuò sospitem, & incolumen conseruet.* Patauij Cal. Febr. 1554.



IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS, *in explanationem Librorum Galeni ad Glauconem.*



PRAEFATIO.



SI QVOD vnquam mihi consilium fuit, vt sine ambitione, sine ambagibus: vlláue impostura, vobis, vtilitatíq; vestræ consulerem, id mihi maximè hoc anno faciendum proposui. Nunquã enim aliquid dicturus sum: quòd ad finem conceptum: id est ad artem medicam perdocendam, recto itinere non conducat. Quapropter quòd à plerisq; aliis in principio quæri consueuit, vt quod sit subiectum artis, vtrum medicina, sit scientia, an pars eius aliqua sit theorica, id à me consulto prætermittetur cum tamen aliàs satis copiose de illis omnibus disseruerimus. Nunc verò ad rem nostram, id est ad Galeni duos libros ad Glauconem declarandos properabimus, quos hoc anno deo auspice interpretãdos suscepimus. Sed priusquam verborum seriem aggrediamur, aliqua

qua præfabimur ad Galeni mentem intelligendam summè necessaria. Erunt autem omnia sex capitibus distincta, ex quibus quinque quam breuissimè, & veluti per fastigia pertractabimus, vtpote quæ sola admonitione indigeant. In vno autem velut omnium præstantissimo diutius immorabimur. Sunt enim illa sex à nobis præponenda, quorum hoc primum est, Quis sit titulus libri. Secundum quæ causa scribendi. Tertium quis scopus. Quartum quæ vtilitas. Quintum quis doctrinæ modus. Sextum quis ordo: & cui parti medicę iste liber subiiciatur. Quæ omnia lucem afferent his, quę hoc anno docebuntur. Titulus igitur est tanquam argumentum eorum, quæ in opere ipso perscribuntur, facitque auditores attentos, vt addiscant, quemadmodum si quis audiret, de facultatibus naturalibus pertractandum esse, ac sciret quã essent scitu necessaria, excitabitur. Eodem etiam modo si nouerimus nos quis sit titulus huius operis, habebimus argumentum, efficiemúrque dociles, & attenti, & excitabimur, vt velimus librum audire, ac intelligere, & tanto magis quærere titulum debemus, quoniam falso inscribi solet. Ita enim à nonnullis inscribitur. Liber de Feb. ad Glauconẽ. qui titulus nullo pacto conuenit

uenit huic libro. Nam debet titulus exactè amplecti, quæcunque in opere cõtinentur: sed febris est minima pars eorum, quæ pertractantur in hoc opere: ergo non est inscribendus de febribus. pertractat quidem de febribus, sed non de omnibus tractat. præterea de tumoribus præter naturam, tam de iis, quæ contingunt cum feb. (vt sunt inflammationes, & Eresypelata) quàm quæ sine feb. vt sunt scirri, & œdemata. De suppuratione etiam agit, & de solutione continui, quæ suppuratos consequitur, de abscessibus, de vlceribus, fistulis, & tandem de omnibus, quæ ad artem medicam attinent ipse pertractat. Incongruè igitur inscribitur de feb. ac perinde est, ac si liber de vsu partium, de vsu capitis inscriberetur. Titulus ergo qui in Græcis codicibus habetur sic ab interpretibus verti debebat. Parua methodus therapeutica: quia sicut in magna methodo omnia pertractantur, quę ad artem pertinent, videlicet de omnibus intemperiebus, de vlceribus, & huiusmodi: ita in hac parua methodo per compẽdium, de his omnibus etiã pertractatur. Et quemadmodum illa magna therapeutica inscribitur: ita hæc parua, quoniam in hac etiam per compendia continentur eadem, quæ in magna. Causa vero, qua impulsus Galenus fuerit

fuerit ad ſctibendũ hunc librũ, fuit Glauco Philoſophus, q fuit Platonicus, & inſignis ætate Galeni. qui floruit Romæ, qui cum parum crederet medicinæ: authoritate tamen Galeni cæpit artem amare, vt apparet teſtimonio Galeni quinto de locis affectis. Cum enim duxiſſet Galenum ad medicum Siculum, vt ipſum viſeret laborantē inflammatione lateris, vt ipſe opinabatur, cũ tamē inflammatione epatis laboraret, ſagaciſsime id cognouit Galenus, & miro artificio pronunciauit, quæcunque pateretur. quamobrem ipſe ita magnifecit Galenum, vt totam artem, quam ipſe contemnebat, ab eo, percontaretur. Rogauit igitur Galenum, vt compendium ſcriberet curandi omnes ægritudines, & ita compoſuit hunc librum, & hæc fuit cauſa ſcribendi.

Scopus autem & conſilium Galeni in ſcribendo librum, fuit proculdubio admirabile. Voluit enim vt ex methodo vniuerſali rectè cognita, haberemus viam, qua poſſemus exerceri in particularibus, vt nihil aliud intendat, nihil aliud conſultet in hoc libro, niſi vt poſt methodum vniuerſalem rectè conceptã, in particularibus ſciamus exerceri, quod quidem eſt vltimus finis, & vltima perfectio artis noſtræ. Quod autē

hoc

hoc agere decreuerit Galenus ipse, expresse in procemio manifestat. Tale igitur fuit cõsilium, vt ex re ipsa etiam ostendi potest, in primo enim libro agitur de quibusdam feb. id est de Ephemeris, & de quibusdã putridis, non de omnibus, quia non de pestilentialibus, nec de ethicis præterea in secundo pertractat de tumoribus præter naturã, prætermissis reliquis fluxionibus, quoniã consiliũ Galeni non fuit, docere quomodo singulas ægritudines curaremus, sed quomodo ex vniuersalibus rectè conceptis ad particularia debeamus accedere, & in illis exerceri, ideo non fuit consilium immorari in omnibus, sed tradere exempla aliqua, in quibus exerceremur, vt in reliquis ita faciamus, imò hac de causa docuit exquisite feb. Ephimeras curare, vt ex ea curandi ratione, ecthicas etiam curare sciremus, & omnes intemperies sine affluxu materiæ. Cum postea de febris putridis agit, per illas docet quomodo debeamus exerceri in omnibus intemperiebus, quæ ab affluxu materiei dependent, in secundo postea libro, exercet vos in omni fluxionis genere, quia tumores sunt de genere fluxionum, & omnes materiales ægritudines (vt alias ostendimus) à fluxione dependent. Et ita exercet vos, non in omnibus, sed in aliquibus,

bus, ex quibus possimus vnicuique ægritudini mederi. & re vera siquis percontaretur, cur Galenus non scripsit de omnibus ægritudinibus seorsum, Responderet vt facit in consilio pueri epilectici. Quicunque (inquit ibi,) rectam methodum assecutus fuerit, posteáque petierit, vt doceatur, quomodo singulæ ægritudines curandæ sint, nihil aliud faciat, nisi quod ineptissimus ille fecit, qui postquam simulacrum Mineruæ exculptum à Phidia habuit, quæsiuit vt effingeret sibi pollicem. importuna profecto fuit percontatio, ab eo dico qui totum corpus exquisitè effinxerat, & pollicem, & quæcunque erant effingenda, ineptissima igitur fuit percontatio, vt post totum corpus, peteret pollicis sculpturam. Qui enim totum habet, partem perfecto non ignorat: ideo qui methodum vniuersalem habet, sufficiet in aliquibus partibus exerceri, vt sciat ab vniuersalibus ad particularia accedere, Et si quis quærat adhuc particularia signum est, quod methodum vniuersalem non est adeptus, scopus ergo propositus talis fuit, ex quo scopo sequitur quartum propositum.

Quæ, & quanta sit huius libri vtilitas omnibus patet, nã si verũ est quod methodus vniuersalis exactè artẽ medẽdi docet, &

res;

res quam habemus versatur circa particularia, necesse est ad particularia condescendere, & quoniam perfectio artis consistit in exercitatione particularium, & hoc docuit Galenus, igitur totam artis perfectionem docet in hoc libro: est ergo omnium librorum Galeni vtilissimus. Dicit Galenus nono de Placitis, quòd medicina potest vno anno exquisitissimè addisci, si quis nactus fuerit bonũ præceptorẽ, postea subdit statim, quòd qui perfectũ haberet artem vniuersalem, & non se exercuerit in particularibus, sciret quidem ille promptè loqui de omni materia: nõ tamẽ sciret curare ægritudines nisi applicet vniuersale, quòd didicit in methodo vniuersali, particularibus. Et hæc pars summã requirit exercitationẽ, qui ergo docet vniuersalem methodum, & docet etiam particularibus applicare, is omnem artem medicam docebit, & hæc de vtilitate dixisse sit satis.

Modus doctrinæ est quintum propositũ, in quo debemus immorari. discutiendũ est enim quæ sit doctrina, & quæ methodus seruata in hoc libro, & quis ordo docẽdi. methodus seruata in hoc libro (vt vnico verbo respondeamus) est diuisa, & resolutiua, vt Galenus in proœmio affirmat, propterea non indigemus probatione. Ordo verò ser-

uatus est compositiuus, incipit enim à simplicibus, & ad composita accedit. Incipit Galenus ab intemperie simplici, à febribus, scilicet ephemeris, & ad putridas transit, postea, ad tumores præter naturam, qui sunt magis compositi. Methodus ergo diuisiua, & resolutiua fuit, ordo verò cōpositiuus. Hanc methodum Galenus ipse hic edocuit, sed quia breuissimè, se expedit, supponēdo vos vniuersalem scire methodum, & officium nostrum est docere eam, propterea esset cauillatio, & viderer vti impostura, si in re talis momenti non traderem vobis & docerem, quæ sit ista methodus. Et quoniam ea, quæ dicturi sumus, sunt vniuersalia, & necessaria admodum, ne quid deficiat vtilitati vestræ, decreui quæcunque circa vniuersalem methodum contingunt: vobis etiam ostendere: quoniam maximi momenti sunt, nec scietis vnquam applicare vniuersalia particularibus, nisi sciatis vniuersalem methodum. Ista igitur docentur à nobis, & ad maiorem vtilitatem vestram non tantùm methodum vniuersalem docebo medicinæ, sed cum accedam ad febrem, methodum vniuersalem febrium tradam, & eo ordine, vt possitis in arbore describere, ita annexa erunt simul, sine superuacuo. ad methodum igitur, quoniam sumus de ea

dicturi

dicturi accedamus, & videamus quid sit methodus.

Methodus quo ad nomen nihil aliud est (propriè loquendo, & secundum eius proprium significatum, reliquis omissis, quæ analogicè dicta sunt) quam breuissima via, & calles quidam breuissimi, qui sunt in itinere ad finem viæ, qui dicuntur alio nomine Ephodi, & Ephodiæ, id est, diuerticula, per methaphoram postea transfertur primò ad subitas ocupationes ducum quas faciunt in castris, cum repente inuadunt custodes, exploraturi si negligentes sunt in custodia, tales enim quærunt diuerticula. Ad scientias quoque, & ad artes per methaphoram transfertur, vbi nos imaginamur breuissimum iter ad finem artis assequendum, tale iter methodus appellatur, id est, breuissima via quam habemus dictante ratione ad finem consequendum. Et hoc significatur per nomen methodi. Quo ad rem autem, vt scribit Ioan. Grammaticus in proœmio phisic. nihil aliud est, nisi habitus naturalis ad aliquem finem. primo dicit est habitus, vt addiscatis, quòd nō sufficit methodū addiscere, & audire: sed requiritur, vt habeatis habitum, quæ est fixa quædam dispositio in animo, ex multis frequentatis actionibus, siue actibus, dixit aliquem fi-

nem, ſed non determinatum, quia eſt habitus mentis, & rationis, & habitus viæ rationalis ad omnem fidem tendit, finis autem ad quem tendit methodus eſt habitus mentis, qui cum ſit via rationalis ad finem conſequendum, oportet vt ſit mentis habitus, & cum non ſint niſi quinque habitus mentis, & animę, vt Ariſt. quinto Ethic. inquit, vidēdum eſt ſub quo genere ſit, & ad quem finem tendat. tendit autem ad omnes, ſiue ſit circa neceſſaria, vt ſcientia & ſapientia, ſiue circa contingentia, vt ars, & prudentia, ad omnes iſtos fines eſt methodus, nec eſt propria magis artis, quàm prudentiæ. intellectus verò principiorum non habemus methodum, quia iam acquiſiuimus habitum illum: cum ergo ſit communis ad omnes fines, dixit ad finem aliquem, qui omnibus conuenit habitibus. cum igitur ſit methodus habitus rationalis ad finem tendens, & illi fines ſint habitus mentis: igitur eſt habitus ad alios habitus conſequendos, igitur habitus habituum, inſtrumentum inſtrumentorum, & ſub hoc poſſum ſcientiam imaginari, & etiam circa ea, quæ ratione haberi poſſunt. ſed omiſsis ſciētiis, & artibus aliis de arte medica loquamur, & quis ſit eius finis inquiramus.

Finis igitur medicinæ ſanitas eſt ratione

corporis

corporis humani,itaq; ars ad sanitatem se habet,sanitas ad corpus humanum,methodus uerò ordinatur ad artem,ideo si voluero resolutionem facere,sic faciã. Volo corpus humanum habere secundum naturam, opus est sanitatẽ in eo inducere,vel cõseruare:si debeo hoc facere,oportet vt habeã habitum,& inueniã artem:si debeo constituere artem, non possum sine methodo,ideo oportet accedere ad methodum,& tũc methodus finis est. cum verò accedimus ad corpus humanum,& ad opus,tunc methodus principium est. ideo methodus est finis, & principium finis quidẽ in inuentione,& resolutione,principium verò in compositione,quia in inueniendo ab humano corpore ad finem tẽdimus. in compositione verò incipimus à methodo,ad artem, ab arte,ad sanitatẽ,consequendã in corpore humano, & tunc cessat ars nostra. hoc dicit Aristoteles libro sexto Ethicorum, nempe quòd finis syllogismi practici est operatio nos procedimus ad opus per methodum quæ artẽ docet,ars vero conseruat sanitatem,sanitas facit quòd corpus humanum exercet opera secundum naturam. ex his habetis quam proportionem habeat methodus ad artem, est enim talis,qualis est proportio artis ad sanitatem,& sicut ars habet finem id est sa-

nitatem ipsam, ita methodus habet artem, sed quia dictum est quòd methodus est habitus, cum quinq; sint habitus, scientia, sapientia, intellectus, ars, & prudentia: videndum est cuiúsnam generis sit, omnes enim isti habitus haberi possunt per methodum, quia quæcunq; possunt facere veritatem ex pronuntiatione affirmandi, vel negandi, vel circa necessaria, vel circa contingentia versantur: si circa necessaria, illa vel admodum scientiæ se habent, & faciunt scientiã, & sapientiã: si circa contingentia, vel huiusmodi, quæ contingentia sunt ita se habent, vt nos agamus illa, & non faciamus opus, vel faciamus opus post actionem, si agimus ea, nec resultat opus post actionẽ, dicitur prudentia: si resultat, dicitur ars, sub quo igitur genere collocanda est methodus? sub sciẽtia. Et sic habemus quòd logica est scientia secũdum hunc modũ, & sensum, non instrumentũ, & instrumentũ quidẽ sed etiam scientia, nihil enim prohibet aliquid simul esse scientiam & instrumentũ. scientia vero & ars simul aliquid esse non potest. qui ergo dicunt logicam esse artem, non scientiã errant, methodus ergo quam præ manibus habemus, versatur circa necessaria, & perpetuo ita se habentia, & licet medicina circa contingentia versetur, methodus tamen

circa

circa perpetua versatur, & ita methodus docet artes, siue sit medicina, siue alia, methodus illa quæ facit artes circa necessaria existit, ex consequenti & habitus, quæ scientia appellatur, & licet faciat artem ipsam, tamen est scientia, & cum methodus sit via ad artem, quærendum est etiam an sine illa via posset quis adipisci finem intentum, & certè sicut sine via non possumus assequi finem viæ, ita nec artem, nec intentũ, & Plato in Philebo ait, sicut mechanici perpendiculo vtuntur ad dirigendos parietes, ita nos etiam methodo, vtimur ad actus necessarios dirigendos. quisquis igitur medici nomine insignitur, & methodo caret, omnia casu & fortuna operatur, neque res ipsas, sed rerũ vmbras prosequitur. ergo ad percipiendam methodum omni studio properandum est, ea verò cum via sit rationalis, sine logica disci non potest. Et ideo recte dixit Menghus Fauentinus, super principio Pauli Veneti, Non committam me in manibus illius medici, qui ignorauerit dialecticam.

Restat modo videre de ipsa methodo, quot sint, an vna, vel plures. Et si plures, quot nam illæ sint, & qua methodo vtamur in medicina, sed vnum prius tangemus, vtrum sit necessaria methodus ad artem medici-

næ an non, si enim possemus habere,& addiscere artẽ medicinæ sine methodo, hortarer vos ad illam viam. Videamus ergo id an fieri posit, probabo ego ratione,& authoritatibus, non posse adipisci artem medicinæ sine methodo, sed primo per rationes sic,& sumo fundamentum Arist. sexto Eth. vbi ait, Quicunq; habitus continet veritatem affirmando, vel negando, vel ille versatur circa necessaria, vel circa contingentia: si circa necessaria, vel scientia, vel intellectus principiorum, vel sapientia erit: si circa contingentia, prudentia, vel ars: sed Methodus est habitus veritatem continens affirmando, vel negando, ergo est habitus talis, qualem dixit Aristoteles. Et ita vel erit necessaria, & erit vel scientia, vel sapientia: sed methodus illa, quæ medicina dicitur,& versatur circa sanitatem, non est necessaria: ergo vel erit prudentia, vel ars, prudentia nõ est, quia versatur circa ea quæ agit, nec opus relinquit, medicina autem opus relinquit, ergo ars est medicina. cum ergo sit ars, videamus q̃d sit ars, Ars est habitus animi cum vera ratione factiuus, imò non potest haberi sine methodo necessaria, nec ad actum accedere. cõcludo ergo quòd non potest medicina acquiri sine ista methodo, quòd autem omnes artes per vnam ratio

rationem aquirantur indicationem habuistis, habetis præterea authoritatē Arist. septimo Methaphysicos, & vj. Ethicorū, vbi ait, artes ratione, & methodo acquiri, & docet Arist. methodū resolutiuam ad sanitatem acquirēdam, quæ docet Galenus. præterea vidistis Platonem in Philebo qui ait, nullā artem sine methodo diuisiua, & resolutiua acquiri posse, qui enim (inquit) artē se acquisiuisse sine methodo arbitratur, sciat se vmbram artis habere, non artem. ex quo Galenus asseruit nono Methodi, quòd ars nulla discitur, neque disci potest sine methodo, & addit sicut artem sine methodo nō addiscimus, ita curare particulares ægritudines nō addiscimus sine exercitatione, hæc igitur requiruntur si volumus esse medici, necessarium ergo est addiscere artem cum methodo, & hæc duo tanquàm medici crura esse voluit, nam methodum pedem dextrum, exercitationem verò sinistrum vocauit. Arist. in libro de progressu animalium ait, quòd incipit motus à dextro in sinistrum, ita cœli motus incipiūt à dextra parte cœli, & cum methodus sit pes dexter, oportet incipere à methodo vti à pede dextro, & sicut qui ambulat figit corpus in dextro pede, & vertitur per sinistrum, ita nos figentes mentem in methodo tanquam

in basi post eius acquisitionem ad particularium exercitationẽ procedere debemus, vt habeamus ambos pedes, ne simus claudi. Et Galenus in finem consilij pro puero epileptico dicebat, qui quærit habere medicinam per documenta ex commentariis, ille nunquam assequetur artem, etiã si sexcenta mille documenta habeat, quoniam ars circa particularia versatur, quæ infinita sunt, nisi redigantur ad vniuersalem artem, semper cæci erimus, & qui talis est hic semper opera sua fortunæ comittit. Et hoc pacto bene ars longa erit, & ideo isti medici senescentes in his documentis, ambulant vt cæci, quia secuti sunt documenta, quoniam artem non habuerunt nec methodum, & ita habetis cõclusionem, & syllogismũ ad conclusionem propositam, quòd non possemus medicinam adipisci sine methodo & propterea primo methodi Galenus dicebat, quod ex methodo perfectionem habemus.

Quod autem methodus non sit vna, sed plures, manifestum est ex authoritate Galeni, & Aristote. qui topicorum primo dixit, proprium dialecticæ est, vt habeat vnã methodum ad omnes methodos & in proœmio physicorum: quoniam oportet cognoscere, & omnes methodos scire, protulit

in nu

in numero plurali, methodos indicãs quòd ſunt plures. quot vero numero ſint, non eſt eadem opinio apud omnes auctores. Nam Alexander, ſuper libro topic. Ariſto. (dubitatur autem an eius ſit ille cõmentarius: vel Michaelis Epheſi.) dicit tres eſſe methodos demonſtratiuam, diuiſiuam, & rethoricam. Hammonius autem in præfationem in quinque voces Porphirij quatuor poſuit methodos, diffinitiuam, diuiſiuam, demonſtratiuam, & reſolutiuam, reliqui poſteriores vt Ioann. Grammaticus, & Ioannes. Damaſcenus, quatuor poſuerunt, ſed non eaſdem, demonſtratiuam, reſolutiuam, compoſitiuam, & diuiſiuam, diffinitiuam vero omiſerunt. Cum ergo diſcrepantia ſit in numero, quæ nam ſit hæc diſcrepantia, & quæ cauſa eſt videndum, oportet autem prius cognoſcere cauſas omnes, & incipiamus ſeruato ordine Alexandri, qui primus fuit à demonſtratiua, & quid ſit demonſtratiua methodus, videamus.

Proprium demõſtratiuæ methodi eſt vt inueniat, & oſtendat paſsionem aliquam de ſubiecto, & hoc eſt ſubiectũ, & finis demonſtratiuæ vię. proponit enim ſibi ſubiectũ, de quo dubitatur an ſit ea paſsio, mediumq; inuenit, ꝙ ita adhæret extremis, in vno vt

cauſa

causa, in alio vt effectus, & ex his rebus concludit, & inuenit quæsitum, quòd quærebat. & habet quatuor media, sicuti sunt quatuor genera causarum, vt optimè ex secundo posteriorum didicistis. hæc autē pertransire existimaui opportunum, sed quoniam volo vos docere, tangam aliqua, in secundo libro Posteriorum docēt Aristot. demonstrationē fieri per quatuor illas causas, & optimè distinxit omnia. Vtilitas huius demonstrationis est, vt omnes scientiæ rectè tradantur, & propriè via hæc ad scientias attinet, non ad artes, & causa est quia scire, & speculari est finis sciētiæ. Et ad vtilia terminantur, ars verò, & prudentia, circa actiones versatur, & circa particularia, ideo demonstrationis via non cōuenit eis, quia demonstratio ex necessariis est, concluditq; necessaria, maximè igitur in scientiis requiritur, bene ergo Alexander, & alii Peripatetici dixerūt demonstrationem seu demonstratiuam methodum, in scientia conuenire, & proprium instrumentum Aristotel. & aliorum Peripateticorum, & maximè Aristotel. est. Nam hi semper secuti sunt hanc viam, & merito, quia circa speculationes versati sunt. hæc igitur est prima methodus quam demonstratiuam appellamus, secunda vero methodus tradita

ab

ab Alexandro, eſt methodus diuiſiua, quæ multiplex eſt, quod autem multiplex, prius eſt diſtinguendum, ſi naturam eius ſcire volumus, vel enim continuum diuidimus in partes proportionales, aut quantitatiuas, & hæc eſt propria diuiſio, reliquæ per metaphoram ab hac transferuntur, vt inquit Galenus in fine libri de placitis Hippocr. & Plat. prima igitur diuiſio eſt continui in ſuas partes quantitatiuas, vel proportionales: ſecunda generis in ſpecies, vt cum animal in ſuas ſpecies diuiditur: tertia eſt vocis in ſua ſignificata, vt cum hoc nomen canis, in cœleſte, marinum, & terreſtre diuidimus. Alia eſt compoſiti in ſua componentia, ſicut cum diuidimus corpus humanum in partes Ethereogeneas, & ſimilares. quarta eſt diuiſio in potentiam, & actum, vt cum corpus ſimplex in materiam & formam diuidimus: quarum partium alia ſe tenent ex parte actus, alia ex parte potentiæ. quinta cum ſubiectum in accidentia, vt cum homines alios albos, nigros alios diuidimus. Diuiſio autem artificialis, qua medici vtuntur, eſt totius in ſuas partes formales. Siue enim multiplex diuidatur, ſiue continnum, cum in infinitũ diuidi poſsit: nõ eſt artificioſa diuiſio. Et ſi diuiſio non habet numerũ determinatum

tum partium diuidentium, peccat. Et ideo hæc quam artificiosam dicimus Plato in Philebo extollit, & ea vsus est, sicut Alexander demõstratiua. Ita enim facit Plato, qui incæpit tradere ipsa principia, ac elementa philosophiæ, quæ ante ipsum vaga, & inconstans erat, quæ via mirum in modum facit ad inuentionem. si ergo debeamus diuidere, oportet in partes formales, quæ magis propinquæ sunt generi, diuisiones facere, & per differentias oppositas. Hic progressus ab vniuersalibus incipit, & ad minus vniuersale descendit, & rursus à minus vniuersali, in partes adhuc minus vniuersales, quousque ad particulares peruentum fuerit, & tandem ad indiuiduas, vt amplius diuisio fieri non posit. Hæc Aristot. diuisio est, qua omnes artes, & scientiæ constituuntur, & maximè medicina circa hanc scribendi artem uersatur, & est ea, qua vti debetis in colloquiis ad præsagiendum, & ad curãdum recte. Adfert autẽ ille exemplum de voce, & inquit, vox multiplex est, debet primo per formales differentias diuidi, & primo vocum quædam absonæ, quædam consonæ. hæc diuisio prima optime facta est, quoniã hæ sunt differentiæ immediate inhærẽtes generi. Et vox absona est quę articulos non habet, vt vox boum, & asinorũ,

consona

consona quæ habet articulos, vt vox humana, accipiamus hanc partem, hoc est vocem consonam, & dicamus, vocis consonæ quædam simplex, quædam composita, hæ duæ differentiæ quantum adhærent generi videtis. Simplex enim vt litera, m, n, consona composita, vt syllaba, be. Tunc vltima vocum consonarum compositarum, quædam aliquid significat, quædam nihil significat, quæ differentiæ maxime adhærentes sunt, & quæ partes substantiales proximas generi diuidendo facit, est diuisio hæc, quæ nihil significat est syllaba, quæ vox ad placitum est, vt buf, baf, quæ aliquid significat, hoc est vocum aliquid significantium, quædam significant substantiam, & qualitatem, quędam modum, & tempus, quædam circunscribunt aliquid horum. Et si fuerit composita vox componentium aliquid significat, quæ substantiam, vel qualitatem significat nomen est, quæ tempus, & modum verbum, quæ circunscribunt, sunt reliquæ partes orationis. Ex his diuisionibus vos videtis ortum grammatices, & vim diuisionis, & si voluerimus adhuc diuidere, non modo grammaticam, sed dialecticam, & rhetoricam, quæ à nomine, & verbo, ac voce dependent constituemus. Iam igitur apparet imago grammaticæ, verum aliquæ

sunt

ſunt ſignificatiuę, aliæ enunciatiuæ, aliæ verum, vel falſum enuntiantes, aliæ affirmantes, & indicantes. Quæ enuntiatiuæ ſunt, affirmant, vel negant. optatiuæ, imperatiuæ, & huiuſmodi aliæ affectionem ſignificant. hoc pacto ex altiori diuiſione dialectica pullulat. & ita videtis, quomodo ex diuiſione, ſcientiæ, & artium ortus emergãt. Tanta eſt igitur eius efficacia, vt ex recta diuiſione emergant omnes artes, & ſcientiæ. ideo non immerito Plato hanc appellat ornamentum philoſophiæ. Et dicebat in Philebo diuiſionem non hominem, ſed deum aliquem inueniſſe, & ſi non fuit deus, fuit ſaltem homo, deo proximus. propterea cum diuiſio ſit magni momenti, & medicus ea vtatur, ſitq́; à deo inuenta, videatis circa quam nobilem artem inſudet. neque credatis Auerroi primo colligit cap. primo, & in procemio phyſic. tertio. Vbi dicit, quòd ars diuidendi inductioni aſsimilatur, & eſt valde imperfecta via, inuenta tantummodo propter debilitatem diſcretiuæ ſcholarium. Artem quæ fuit & demonſtrationis, & definitionis, mater & omnium viarum dicit inuentam eſſe propter debilitatem diſcretiuæ ſcholarium. Auicenna verò non intellexit hanc artem, & potius quodam odio ductus, eſt dicere auſus diuiſionem

eſſe

esse vilem, quo verbo prosequebatur Plato.& Hippo.& Galenum,sed ineptis his hominibus omissis dico quod vtilitas diuisionis est omniũ maxima,quoniã exactu inuenitur definitio ex diuisione.: vt videre est apud Arist. in primo de Anima,qui animæ definitionem diuisiua Methodo adinuenit, neq; alio potuit instrumento vti quàm arte diuisiua.definitio autẽ est mediũ in demonstratione: ergo non potest demõstratio constare sine diuisione, præterea quis resoluet, aut cõponet,sine hac arte diuidendi? Resolutio enim,& cõpositio sunt propagationes diuisionis,imò tota dialectica ars,& omnia instrumenta ad veritatem indagandã, à diuisione oriuntur. Taceãt igitur barbari illi Auerroes,& Auicenna,vsus diuisionis maximè facit ad omnes artes, & actiones quæ circa particularia versantur, qui vult circa particularia agere, necesse est,quod habeat instrumẽtum ipsam diuisioné, nam omnia sunt commixta, & nisi habeamus hoc instrumentum,veluti perpendiculum, palam errabimus semper. Ideo partim ad rectè diuidendum,partim ad illustrãdum actiones, & malam diuisionem cognoscendam vtilissima est. Necessaria igitur est ad artes, & virtutes omnes,hoc autem ita se habere manifestum est, nam in omnibus etiam mo-

ralibus cõstituẽdis, & maximè in cõstituen da arte medica, via diuisiua docti omnes vtuntur, hac vsus est Galenus in libro constit. artis medic. vsus est Aristot. & Plato in Philebo ad artes constituendas huiusmodi diuisiua, prętere a quantũ ad actiones particulares diuisiua Method. omnibus est præferenda. Sed de Methodo diuisiua hactenus. tertia quam proposuit Alexander rethorica est methodus, quæ non est ad probandum, sed ad persuadendum, quomodocunque persuadeat, ideo habet instrumẽta imperfecta, vt sunt exẽpla, inductiones, & colores rethorici, quibus nititur, & fucis quibusdã, vt mentes decipiat, hanc multi præposuerunt reliquis, hac ratione, illa est nobilior reliquis, quæ non violenter trahit mentes, sed sponte, & cum dulcedine quadam. hæc est Methodus rhetorica, reliquæ enim sicut demonstratiua, & diuisiua cogunt, velis, nolis dicere ea, quæ ipsi dicunt, quia extorquent vi rationis quicquid volunt, sed illud est vi fraudis, & deceptionis, excellit Arist. in demonstratiua, in diuisiua Plato, Hippoc. & Galenus, Stoici maximè excelluerunt in illa, præcipuè Chrysippus quem deridet Galenus secundo, & tertio, & quarto de placit. Hippocratis, & Platonis: cum reliquis qui inter physicos, & medicos

aufi

ausi sunt ea via incedere. quātum verò hanc abominetur Plato clarum est cùm eam fallacissimam, adulatoriam, & homine indignam appellet. de hac ego nō aguam, quia Celsus dicebat, eloquiis nō vtūtur ægri, sed remediis. Hæ fuerunt tres methodi ab Alexandro positæ. Ammonius quatuor posuit, vt suprà de demonstratiua diximus, & diuisiua. Videamus modo quæ sit resolutiua, & definitiua, incipiamus etiā sicut de demonstratiua methodo diximus quod alia erat à demonstratione, ita & definitiua via à definitione differt, via est methodus quidam procedendi à supremis ad infima, & contrà ab infimis ad suprema, vt cum volumus scire totam essentiam substantiæ, à prima incipimus, & ad vltimam tendimus, & sic facimus, primo dicimus substātiam esse, quæ omnibus substernitur, habita hac descriptione, statim dicimus substantiarum alia simplex, alia composita, & diuisione vtimur necessario, vel dicimus quædam corporea, quædam incorporea, volo modo scire naturam substantiarum, quæ sint incorporeæ, habita hac diuisione, & quod substantia corporea est, quæ constat ex omnibus dimensionibus, & in qua tres reperiuntur dimensiones, huius substantiæ corporeæ quædam simplex, quædam composita,

ſimplex quæ ex partibus conſtat, quæ non per ſe exiſtunt, vt elementũ, compoſita autem quę conſtat ex materia, & forma: quarum partes per ſe exiſtunt, & tandem deuenimus vſque ad ſpecies, & per viam diuiſionis inuenimus vltimam definitionem, quæ dicit hominem eſſe animal rationale, & ita eſtis in vltima ſpecie. Poteſtis etiam aſcendere ab hac vltima, vſque ad ſupremam, & primam, & qui hac procedit via, procedit via ſummaria, & ſupponit hominem exercitatũ in diuiſiua demonſtratione, & eſt modus breuis, ideo Galenus in parua arte, hoc modo proceſsit, voluit componere librum qui pertineret tam ad ſpeculatiuam: quàm ad factiuam, quam iſti praxin appellãt, nec potuit commodius inſtrumentum inuenire, quàm viam hanc definitiuam qua docuit medicinã, & totam artem, & ſummariè tradidit artem, & per compendia. Hæc de methodo definitiua. Reſolutiua autem doctrina pulchrior eſt, quæ ſemper ante ſe habet diuiſiuam. Nam vtraque verſatur in progreſſu inter vniuerſalia, & particularia, & diſcurrunt ab vniuerſalibus ad particularia, & econtrario. differunt autem quo ad progreſſum, & quo ad rationem, licet quo ad ſubiectum idem ſint, diuiſiua enim non deficit quouſque ad particularia deueniat.

Reſolutę

Resolutiua ab vno particulari composito incipit, & illud resoluit in suas causas,& illas accipit, & quærit adhuc causam, & tertio idem facit, & causas illarum quærit, iterum quarto, & quinto, neque vnquã restat quousque ad primam deueniat causam, quam cum inuenerit sistitur, & contemplatur, rem, quam inuenit. hac vtuntur medici,& artifices omnes,& ita procedit. Accipiamus scopum,seu subiectum, vt more neotericorũ loquar,quod quidem scire volumus tanquam concessum, quia de subiecto supponitur quid, & quia. Similiter suam definitionem consideremus, qua cognita supposuimus eam, & sic dicimus, est tale, ergo à talibus causis prouenit. Sed clarioris doctrinæ gratia, capiamus exemplum Aristot. septimo metaph. cum de medicina loquitur, vbi docet quomodo debemus procedere in hac arte via resolutiua, vt sciatis non solùm Galenum, sed etiam Aristo.& Hippoc. processisse per methodũ. Dicebat Arist. volumus habere sanitatẽ? Vtique. Resoluamus eam in sua principia. Quę sunt sanitatis principia? æqualitas ipsa est, ergo sanitas est, si igitur morbus est, ergo inæqualitas est. volumus remouere morbum? ergo remouere debemus inæqualitatem. Inæqualitatẽ accipit,& resoluit eam in

sua principia, quę sunt inæqualitatis causę, recessus á temperamento per calidum, frigidum, humidum, & siccum, & cognito per sua signa quòd est per frigidum, & quòd est excessus in temperatura per frigidum, ergo reducenda est per calidũ, sed non possumus gradum istius frigiditatis scire: nisi scias gradũ qualiter in sanitate fuit talis, & posito quòd excesserit ad frigidũ vt duo, habet vt duo frigidũ, ergo oportet inuenire mediũ calidũ vt duo, quòd calefaciat vt duo. Quærit medium, & inuenit frictionem, quę calefaciat vt duo, ecce quomodo nunc vltimum in discursu, primum est in opere, & quòd primùm erat in discursu, in opere vltimum est, per frictiones enim reducit ad temperamentum: temperamentum reducit ad sanitatem. Sanitas autem fuit primum in resolutione vltimũ autem in executione. frictio autem vltimum in resolutione, & primum in executione.

De compositiua autem quoniam cõtrario modo se habet, dicam etiam aliquid, incipit enim hæc ab vno simplicissimo, & sic procedit, sanabis hominem si calefacies, quia reduces eum ad sanitatem, id est ad æqualitatem, & æqualitas ad sanitatẽ: modus iste non docet principia, verum est per methodum, sed imperfectius, quia qui resoluit

soluit scit componere, qui verò componit nescit resoluere, modus iste aptior est pro iunioribus, qui non sunt apti ad resolutiuam methodum. Et ideo isti medici illustres fuere in illo ordine resolutiuo versati, maximè isti recentiores Nicolaus, Nicolus, Heroulanus & cæteri omnes: hi enim non omnino ignorarunt methodum resolutiuam, & viderunt eam, sed sub nube. Est modo videndum vnde orta fuerit discrepantia penes diuersum modum concipiendi quamobrem diuersi diuersas methodos tradiderunt. Alexander posuit tantum diuisiuam, & demonstratiuã, vt (omittam rhetoricam, vt homine indignam) tacuit alias: quia sub diuisiua, resolutiuam, compositiuam, & definitiuam conclusit, quia definitiua oritur à diuisiua, vt ostendimus, & ideo cum dixisset de diuisiua, visum est ei quòd non esset de definitiua dicendũ, præterea resolutiua nónne est quidã modus diuidendi cõposita in sua principia? qui ergo diuidit scit etiam resoluere. Præterea cõpositiua incipit à diuisiua, & cõponit. Et ita à diuisione oriuntur. ideo voluit ponere reliquas. Ammonius tacuit compositiuã, quia subiecto idem sunt, solùm ratione differunt, quia credidit quòd esset instrumentũ potius viarũ quàm viam, & ideo

instrumentum tacuit, & viam posuit, qua possimus addiscere. Alii verò posteriores qui posuerũt demonstratiuam, resolutiuã, compositiuã, & diuisiuam omiserunt definitiuã, quia ista à diuisiua oritur, posuerũt autem compositiuã quam non posuit Ammonius, quia licet viderint non differre resolutiuam, à compositiua subiecto, quia tamen diuersus est discẽdi modus, & alius habitus ab vtraque resultat, & ratione differunt, ideo etiam posuerunt eam, Amonius verò dimisit. his ita discussis, & examinatis reliquum est, vt declaremus,

Cur quatuor sint methodi tantum, neque plures, neq; pauciores. habemus autem rationem manifestam: nam per methodũ, quælibet scientia, & ars proponit sibi scopum, vt inueniant, & ostendant affectum vel passionem inesse subiecto, artes verò & scire, & operari volunt, & inducere talem affectum in subiecto, si non adsit, & si adsit præter rationẽ remouere. Hoc stante quomodo volumus tam artifices, quàm scientes probare affectum aliquem inesse subiecto, per aliquod medium à nobis præcognitum. cum volumus itaque hoc facere, nascitur via demõstratiua cuius proprium est vt probet passionem aliquam inesse alicui subiecto, per medium aliquod, & ex

hoc

hoc nascitur methodus demonstratiua. volumus passionem inesse subiecto estendere, ideo volumus cognoscere naturam eius, aliquando non possumus probare indigentia medii, vel quia deficit medium, vbi fuerit occasio alterius, sed interdum non possumus; tunc autem accipimus id quod quærimus, & consideramus an sit multiplex, vel compositum sit: si multiplex an vniuersale, vel particulare: si vniuersale diuisione vtimur, donec veniamus ad id, quod amplius diuidi non potest, si etiam careret medio, vt demonstrari non possit, oportet videre an compositum sit, & quia omnia quę sub cœlo sunt composita sunt, saltem ex potentia & actu, resolui poterunt in sua principia, & sic deficiente diuisiua, & demonstratiua methodo vtimur resolutiua, hactenus habemus sufficientem viam methodorum; sed quoniam diffinitio maximi est momenti in omni genere scientiarum, & non possumus resoluere sine notitia diffinitionum: quia resolutio nascitur à conceptu essentiæ finis, non possumus minus demonstrare, quia diffinitio medium est in demonstratiua. Quomodo ergo diffinitioné constituemus? ope diuisionis, resolutionis, & compositionis, appropriando propria propriis, & incongrua remouendo, sic enim

fit diffinitio, opinabatur igitur Ammonius præter demonstratiuam: & resolutiuam, & diuisiuam methodum quòd adesset quarta nempe diffinitiua, hæ quatuor methodi ad omnes artes ac scientias tum constituendas, tum edocendas, ediscendásque planè sufficiunt, neq; pluribus indigemus, neque si pauciores susciperentur res integrè perfici posset.

Dictum est de numero methodorum, nunc quæ nam methodus necessaria sit medicis, declaremus, quòd autem resolutiua: & diuisiua sunt illæ, quæ medicis necessariæ sunt, patet, sed quare ambæ? nónne vna sufficit? minimè, quia aliquando genus aliquod non recipit diuisionem, & tunc oportet necessario resoluere, multa præterea non bene resoluuntur, sed melius diuiduntur, ideo duo hæc instrumenta fuerunt medicis necessaria vt Plato in Philebo, & Galenus in nono de placitis asseruerunt. sed cur ita sit, quòd in artibus necessariæ sint duæ illæ viæ, ratio est ista, vos scitis, quòd in artibus quæ circa particularia versantur, oportet eligere, quod melius est, & quòd deterius reiicere, ideo omnes actiones præcedit intellectio, & electio, electio autem fieri non potest sine iudicio, iudicium verò quo

modo

modo fieri poteſt niſi diſcernamus rem, à re, & noſcamus prius? ſed quomodo id faciamus niſi diuidamus cum ſit multiplex, vel reſoluamus in ſuas cauſas, & in ſua principia? & illa eſt ratio cur reſolutiua methodus & diuiſiua medicinæ & actionibus humanis (quæ prudentiæ ſunt) inſeruit, & ita nos vulgari lingua promptos ad agendum, conſultores appellamus, quia per ea ſtatim indicatur quid agendum. eſt etiam alia ratio, quoniam actio eſt circa particularia cum ratione, actio artificis eſt vt exerceatur circa particularia, non quidem caſu, ſed cum ratione, ſi debet verſari circa ea adiumento rationis, & ratio ſit circa vniuerſalia, & particularia, & iungat vniuerſalia particularibus, quia non poteſt fieri aliquid cum ratione circa particularia, ſed ſeruatis vniuerſalibus in mente, particularibus applicare oportet. ſed nulla methodus facit hoc, præter reſolutiuam, & diuiſiuam. Diuiſiua enim ab vniuerſalibus penetrat vſq; ad particularia. Reſolutiua verò à particulari incipit, & reſoluit vſq; ad prima principia. Et illæ fuerunt rationes, quibus medici antiqui (qui ratione artem, & ſcientiam maximè inuenerunt) vſi ſunt, & quibus Platonem vidimus omnes conſtituere artes. Galenus tantum reſolutiuam: & di

& diuisiuam in libro de constitutione artis med. constituit. idem facit in de tuenda sanitate, in therap. magna, & in hac nostra parua; imò in suo libello, an tuendæ sanitatis munus ad gymnasticam spectet. dicit nihil se scripsisse, neq; ab alio recte quicquam scribi posse, sine illa methodo: quam methodũ quinto therap. posuit auctoritate Hippoc. ante quem vaga erat medicina cui dedit Hipp. formam, & hæc satis de secunda parte proposita. Videlicet qua methodo medici potissimum vtantur.

Nunc de ordine ipso doctrinæ differendum. Galenus igitur primo artis paruæ inquit, tres sunt ordines doctrinæ, qui locus diu sanè doctores ipsos vexauit, ac torsit, non enim imaginari possunt, quomodo ordinibus illis viæ illæ ordinentur. nec animaduertunt quod doctrina vel via doctrinæ, differunt ab ordine, differunt inquam ea differentia, qua subiectum differt à passione, & ab essentia doctrinæ fluxit ordo, sicut ab essentia subiecti passio, nec imaginari potest doctrina sine ordine, quo est addiscenda, post artem, imò non sine ratione posuimus Aphorismos extra ordinem necessarium librorum Galeni: est autem ordo contextus eorum quæ ducunt ad actũ, ita vt vnus ab alio pendeat, à principio vsq; ad fi

ad finem,& propterea ordo non separatur à via doctrinæ,differt ergo doctrina ab ordine,sicut passio à subiecto.ordines autem qui in doctrina seruantur,non possunt esse nisi tres,neq; plures,neq; pauciores,& necessario doceri debet vno istorum ordinum,vbi incipitis à simplicioribus,& ad cõposita deuenitis, vt Aristo.facit in lib.nat. quia à causis simpl.ad minus composita deuenit,à minus compositis ad magis composita, quousq; deueniat ad alia,ille ordo dicitur compositiuus,& hic ordo arti tradendæ conuenit,maximè iunioribus.seruatis tamen doctrinis,bene possum ordinem compositiuum facere,& doctrinam tradere methodo resolutiua, & diuisiua vt facit Galenus in parua therap.methodo ad Glau. in qua seruat ord.cõpositiuum,quia à simplicioribus incipit,& ad composita procedit,vtitur tamẽ doctrina,& methodo diuisiua,& resolutiua,traditur igitur doctrina diuisiua & resolutiua,ordine tamen compositiuo alius ordo incipit à compositis,& resoluit ea in causas,& sua principia,& ita resolutiuum ordinem seruat,quem non seruauit aliquis, præter Galenum.ideo bene se iactat cum dicit solus ego ordine resolutiuo vsus sum,& in de constitutione artis, tali vtitur ordine:incipit enim à notione finis

nis id est ab obiecto artis,& resoluit in principio,& causas,donec ad prima deneniat, quem ordinem nos trademus, imitantes Galenum in ordine non tamẽ in re,nec procedemus alio calle,quàm quo Galenus processit,sed ego fortasse ero breuior,& lucidior,isti sunt duo ordines, cum vero nec iste,nec alius placeat tertium eligemus.accipiamus ergo diffinitionem alicuius rei, quam docere intendimus,& proposita diffinitione diuidamus eam in partes, deinde partes illas in alias, declarando singulas,nec vnquam desistemus à contemplatione donec singulas dictionis partes considerauerimus, vsque ad primas. hoc facit Galenus in diffinitione illa, medicina est scientia salubrium,insalubrium,& neutrorum.in cuius diffinitionis declaratione,totam comprehendit artem,& totum librum concludit,& iste est tertius ordo qui diffitiuus appellatur. Primus seruandus est in omnibus scientiis tradendis,resolitiuus viris tantum resolutis conuenit,& in constituenda arte,quam docemus aptissimus est. Diffinitiuus facit doctrinam exquisitam,& summariam,& hæc satis de tribus ordinibus. Nunc vt totam medicinam ob oculos vestros ponamus,& vobis methodum tradamus absolutissimam,non ab alio incipe

cipere debemus, quàm ab eo quod proponit Galenus primo methodi vbi dicit, quòd methodus omnis oritur à conceptione finis. sed diceret aliquis quid est incipere ab huiusmodi notione finis? methodus resolutiua accipit aliquod subiectum, & resoluit ipsum in sua principia, sed iam videamus quomodo facta resolutione à notione finis constituimus artem, medicina est ars, quid est finis? est sanitas, ratione enim sanitatis medici addiscunt artem, & operantur, finis ergo sanitas est, si volumus constituere artem, oportet concipere finem istũ, non dico ipsum nomen, sed naturam eius, concipimus autem finem eius pro conceptu vniuersali, quòd est quoddam bonum, quia homines cum habent eam, sani sunt, & operantur, cum ægri sunt. & eo fine priuati, operari non possunt, si est bonũ quoddam nascitur propositum statim in nobis, vt assequamur illud bonum. ideo duo hic sunt, vnum est cogitatio finis intenti id est sanitatis, alterum sanitatis propositum est appetitus bene operandi, rectéq; assequendi sanitatem: cum nõ adest, cum verò aderit conseruandi, hoc est medici propositum, à quo immediate nascitur methodus modo inuenta à fine, quia finis mouet agentem sub conceptu boni, nascitur ergo appetitus

ſanitatis ſub conceptu boni, cum non adeſt, acquirendi, cum adeſt, conſeruandi, in vniuerſali concipimus conceptum, & hoc modo incipit initium medendi, & artis, vt dicit Galenus in de optima ſecta ad Thraſibulum, & in de conſtitutione artis. imò ſi non ageret ſub ratione boni, eſſet malitia deprauata, volumus indicare ſanitatē, quòd bonum eſt, ſed hoc facere non poſſumus niſi ſciamus principia, quibus ſanitas conſtituitur: prius ergo ſciendum hoc eſt, homines vniuerſalem & corruptum conceptum de ſanitate concipiunt, & eſſe formam naturalem quandam conuenientē humano corpori, à qua prouenīūt operationes, & actiones ſecundum naturam: habemus iſtū conceptum, ex quo maximam habemus anſam ad artem, ſi ſanitas forma eſt conueniens corpori humano, à qua proueniunt actiones ſecundum naturam, ſi inquam forma eſt talis, neceſſario in quadam æqualitate conſiſtit, quia omnis forma naturalis, & omnis potentia naturalis conueniens ſubiecto in quo eſt, conſiſtit in æqualitate quadā, quia natura facit inſtrumenta, & ſubiecta quæ operantur cōuenientia ſecundum complexionem, & formam pro operibus agendis, & omne quod operatur ſecundum propriā temperiem, ſecundum æqualitatem operatur, ſi-

tur, si enim fuerit æquale, rectè, si inæquale, perperam operabitur. cum igitur sanitas sit talis forma, necessario sequitur quòd in æqualitate consistat. ergo si vna æqualitas fuerit in corpore humano, vna tantum erit sanitas, nec oportebit plures sanitates quærere: si verò plures erunt æqualitates, tot erunt sanitates, & ex inæqualitatibus ægritudines. An verò sit vna, vel plures æqualitates in corpore humano videamus: Sed prius quid sit æqualitas dicamus, est enim æqualitas relatiuum alicuius rei, & semper respicit aliud. cum ergo semper æqualitas referatur ad aliud, & non sit nisi proportio eorum, quæ simul cõponuntur, ergo si æqualitas erit compositio, erit in corpore, quia quæ componuntur, vbi sunt secundum naturam, æqualia sunt, quæ verò præter naturam inæqualia, si æqualitas compositio est, quot erunt compositiones, tot erunt æqualitates, sed in corpore humano tres sunt compositiones, ergo tres æqualitates, quædam fit ex mixtione quatuor elementorum, vel quatuor primarum qualitatum, quoniam nondum constat an elementorum corpora, an eorum qualitates misceantur, ex qua mixtione consequuntur temperaturæ, tot autem sunt temperaturæ quæ elementorum mixtionem consequuntur, quot

possunt esse combinationes primarũ quatuor qualitatum elementorum. Sunt autem nouem combinationes, ergo nouem temperaturæ, prima est quando ita conueniunt quatuor qualitates vt nec calidum frigidũ, nec contra, nec humidum siccum, nec contra excedat, sed in quadam æqualitate sunt constitutæ & si non pondere conueniant, & hæc æqualis appellatur. Aliæ verò quæ per excessum fiunt, tot sunt, quot sunt excessus, quãdo sola caliditas, vel frigiditas, vel siccitas, vel humiditas excedit, vel coniungitur frigiditas cum siccitate, caliditas cum siccitate, frigiditas cũ humiditate, caliditas cum humiditate, quæ nouẽ sunt, vna æqualis, reliquæ inæquales, ista est prima compositio, sunt autem nouem, quia nouẽ sunt mixtiones. Secunda compositio ea est, quæ fit ex temperaturis, dicebamus ex mixtione qualitatum temperaturas fieri, ex variis modo temperaturis variæ fiunt partes, ita quòd partes omnes diuersæ sunt ex diuersitate temperaturarũ sic vt in aliquibus dominetur caliditas in aliquibus frigiditas & in aliquibus adiuncta cum humiditate, & siccitate. Et ita ex diuersis temperaturis diuersæ partes similares oriuntur, ex varietate quarum varia oriuntur membra, in istis modo temperaturis mẽbrorum, vel (vt re-

ctius

ctius loquar) partium similarium, contingit quod licet quælibet pars habeat temperaturam propriam, exempli gratia os licet sit frigidum, & siccum natura, nihilominus potest ei quælibet inæqualitas aduenire, & excedere per singulas temperaturas, ita quod potest habere excessum magis quàm naturæ suæ conueniat, per calidum, per humidum &c. & quod de osse dico, idẽ de aliis partibus dicendum est, Cerebrum enim frigidum, & humidum natura est, potest tamen excedere per calidum, & siccum, & reliqua, & habere omnes excessus, sicut igitur nouem sunt tẽperaturæ, quæ ex prima compositione resultant, ita nouem illæ temperaturæ in similaribus partibus sunt, quæ partes generantur, & ipsa ex temperaturis, possuntq; habere singulos quoscunq; excessus, esset modo hic discutiendum quotnam essent illæ partes, & per methodũ procedendum, sed non possumus dicere sunt tot, & numerum venari methodo, non quidem diuisiua, quia diuisio fit per partes formales, & per oppositas differentias, quousq; ad ea deueniamus, quæ amplius diuidi non possunt, tum etiam quia partes diuisionis debent habere proprium, & certum genus, illæ autem partes non habent, igitur diuisiua methodo non potest haberi, mi-

nus etiam resolutiua, quia quæ resoluuntur debent esse propria, non enim in dispa-ribus fieri potest resolutiua, sed in paribus, & ab vno proprio incepto, illud in principia sua resoluere, oportet, nec cessare donec ad prima perueniatur.

Membrorum igitur similarium, quoddam solidum est, & proprio termino termi natum, quoddam liquidũ non proprio termino terminatum, sicut aer, & aqua: diuisio optima est, & per partes formales data, & per differentias proximas, & immediatas. solidum membrum, & concretum proprio termino terminatum duplex est, quoddam terminatum termino proprio ab ortu primo, & ex semine generatum humano, idem numero semper à principio, vsque ad finem permanens; vt cutis, neruus, os, viscera omnia, quæ non immutantur nisi secundum augmentum quoddam, terminatum termino proprio non in primo ortu genitum, sed perpetuo genitum, perpetuo influens, nec vnum numero à principio ad finem permanens, tale est, quod ex alimento generatur, vt caro, adeps, aliquando enim nullus adeps videtur, & minimum carnis, vt in arefactis. postea generatur, sed os, & neruus non solùm non possunt generari, imò neq; consolidari vera consolidi-

tate,

tate,hoc est primum diuisionis membrum. Membrum verò fluens humidum aliquo termino terminatum quoddam humidum fluens,quoddam humidum spirans,humidum fluens sunt humores,qui in venis,arteriis,& in cauitatibus membrorum continentur,& hi necessario sunt quatuor,necessitate finis , & necessitate subiecti : necessitate finis quoniam sunt corporis alimentum, si autem corpus debet ali,ex simili ali debet,& quia corpus ex similaribus constituitur membris,& ex organicis, organica autem non nutriuntur,sed similaria,hęc autem contraria sunt,& contrariam prorsus habent naturam,ea contrarietate, quæ est inter ignem,& aquam:quia quædam calida,& sicca,quædam frigida,& humida , ideo omnia non possunt nutriri ex iisdem nutrimentis,sed contrariis.Igitur cũ tot sint oppositiones in qualitatibus primis , tot etiam erunt humores necessario oppositi in qualitatibus primis.ideo sanguis calidus,& humidus fuit,frigida & humida pituita,calida & sicca bilis,frigida & sicca atra bilis,quia ex his nutriuntur corpora,vt Hippocra.& Galenus,in de natura humana inquiunt:quicquid dicant Philosophi , oportuit igitur vt humores isti essent tales,& tot,& oppositi si debent nu-

trire membra opposita necessario, secundæ substantiæ sunt quatuor hoc pacto, omnis succus qui generat ex solido habet necessario quatuor partes diuersas, habet partē aëreā substātiæ, partē spumosam supernatātem, habet humidā indigestā, & habet partem fecalē, exemplū est de vino: & de oleo, & de omni succo; cum igitur humores contēti in venis, & arteriis, & in cauitatibus mēbrorum succi sint, ergo debēt habere: quod habent alii succi, ideo necessitate subiecti, & finis, humores debent esse quatuor hæc quātum ad humores. Membrum vero alieno termino terminatum humidum spirans est spiritus, quod quidem humidum non est contentum termino proprio, vt aer, fluit autem spiritus in corpore existens, vt daret calorem actualem omnibus partibus corporis: quoniam sine huiusmodi spiritu non essent calida actu, sed tantum potentia, sicut sunt omnia medicamenta qui spiritus perpetuo fluens à corde, & per omnes partes diffusus, dat formam corpori, ideo Auerroes tertio colliget dicebat, calor, & spiritus fluens à corde est veluti calor, qui in pituita est, vnde dat vitam membris, & est causa omnium operationum, quæ in humano corpore fiunt. quomodo autem differt calor à spiritu, notetis, spiritus ille, & humidum

midum

midum illud ſpirans, vel membrum ſimilare humidum ſpirans perpetuo fluit à corde,& diffunditur per corpus, & per varias partes facientes operationes diuerſas, quatenus in arteriis,& in corde mouetur, habet aliam ſubſtantiam & aliam qualitatem naturalem, quàm habeat in aliis partibus, & quantum ad qualitatem eius ibi, eſt caliditas,& ſiccitas: eſt etiam ſubſtantiæ igneæ, ideo indiget euentatione plurima, vt ignis, aliter extingueretur, & ideo generatus eſt pulmo, & arteriæ, vt attrahant aërem copioſius, vt euentetur,& quia tenuis ſubſtantiæ eſt, & facile difflatur, ideo natura denſum cor fecit, vt retineretur, & arteriam cum duplici membrana, vt non difflaretur, quia mobilis eſt, nec vnquam permanet, quia igneæ aſsimilatur ſubſtantiæ. cum vero diffunditur per corpus, dans actum mẽbris, & formam, dum inquam fluit extra arterias ad hepar, ab hepate ad ventriculum,& ad cauitates membrorum, vbi fiunt concoctiones, dum tranſit inquam ad ea loca, efficitur alterius naturæ, & qualitatis, & ſubſtantiæ, & cum prius caliditas & ſiccitas, eſſet, fit calidus, & humidus quoad temperiem, quo vero ad ſubſtantiam, fit craſsioris ſubſtantiæ: præterea quantum ad motum, tardi motus, & mutat nomen, &

vbi ſpiritus prius vocabatur nunc calor innatus appellatur. hunc ſpiritum aperuit Galenus ſuper eo aphoriſmo, qui creſcunt, duodecimo verò therap. dicit, Et fit quidem ſpiritus naturalis (ſi quis ſpiritus naturalis eſt) mutat ergo nomen dum exiſtit in partibus iſtis. de hoc calore, & ſpiritu dicit Galenus quinto de ſimplic. medic. vbi loquitur de ſuppuratione, quòd eſt quidam ſpiritus mixtus, qui tanquam in potentia eſt ad alios ſpiritus, ita quod calorem naturalem ſpiritum appellauit, ſiue igitur ſpiritus proprio nomine appelletur: ſiue calor naturalis, ille eſt qui perpetuo defluit de corde, ſed mutat ſubſtantiam, & nomen. hunc ſi vultis appellare ſpiritum naturalem, vel calorem naturalem, de nominibus non facio difficultatem, quando verò idem ſpiritus ad cerebrum tranſit, ibi mutat nomen, & ſubſtantiam, & qualitatem. quam primum enim in cerebro eſt, mutat temperiem, & cum primo eſſet calidus & ſiccus, ex frigiditate, & humiditate cerebri temperatur: ideo Ariſt. in ſecundo de partibus animalium, vbi docuit vſum maximum cerebri, dixit cerebrum frigidum & humidum, à natura ita factum fuiſſe, vt contemperet caliditatem: & ſiccitatem ſpiritus emanantis à corde: quia ratione caliditatis, &

tis, & ſiccitatis eius non erat aptus facere opera animalia, quòd non fuit in aliis partibus corporis, quia calidus idoneus eſt ad alia opera perficienda. Et cum tale cerebrum, quod debet eſſe frigidum, & humidum fuerit calidum, & ſiccum, talis homo erit multarum operationum, non tamen ſtabilis, ſed inconſtans, mobilis in operationibus, & ſi magis acuitur, erit malus in operationibus, proteruus, peſsimi ingenii, malorum diſcurſuum, & hoc eſt contra opinionem vulgarium, qui ex caliditate cerebri bonitatem ingenii arguunt, hoc eſt contra Ariſt. & Galenum: requiritur igitur frigiditas & humiditas cerebri, ad optimum ingenium, ideo generatum eſt frigidum, & humidum, vt contemperarentur ſpiritus propter operationes animales cerebri, vt depuraretur, & lucidus fieret, & ad motum aptior ſecũdum animæ imperium, quia inſtrumentum eſt animæ. cum ergo in corde eſt vitalis appellatur, cum verò in venis hepatis & in aliis partibus corporis, in quibus fiunt coctiones, innatus calor nuncupatur, & cum eſt in cerebro ſpiritus animalis, & mutat ſubſtantiam, qualitatem, & motum, & hæc de omnibus ſimilaribus membris, quæ dici poſſunt per methodum, vlterius enim progredi non licet,

cum iam ad particulare peruenerimus, quòd non poteſt diuidi, ideo oportet vt eorum numerum venemur alia via, & ea erit ex partium enumeratione. Membra ſimilaria, quæ ex ſemine oriuntur, ſunt, cutis, caro, neruus, os, & reliqua, quæ vos inuenietis in ſecundo de temperamentis, & notetis diligenter ea, quæ diximus, quoniam diuiſiones iſtas non inuenietis in Galeno, ego ex longo labore quæſiui per methodum lucidiſsimam, tum ex Plat. tum ex Galeno in libris de placitis, habetis ergo ex partium enumeratione quæ ſint membra ſimilaria, & quia hic deſideraret aliquis methodum ad inueniendum numerum membrorum ſimilarium, & cum non poſſit fieri ſaltem poſtulabit, vt ei tradamus methodum, qua inuenire poſsit æqualitatem, & inæqualitatem in ſingulis membris ſimilaribus, hoc eſt cuius temperaturæ ſint, & ita faciam, omnia membra ſimilaria, vel ſunt ſine ſanguine, vel cum ſanguine, ſi exanguia ſunt, & dura, ac ſolida, illa frigida ſunt, & ſicca, vt pilus, cartilago, os, & ſi ſimul exanguia ſint & mollia ſunt frigida, & humida, vt ſpinalis medulla: ſi verò ſanguineum, & molle fuerit, calidum, & humidum erit, vt hepar, ſi fuerit ſanguineum, & durum, tale calidum, & ſiccum eſt, vt cor,

vbi

vbi cum habetis extrema, componatis vos inter media, & dicatis membra exanguia alia sunt media in mollitie, & duritie, & hæc sunt frigida, sed non humida, sicut neruus, qui medius est inter humiditatem, & siccitatem, duritiem, & mollitiem, loquor de vero neruo, non de chorda, & ligamentis propterea neque humidus, neque siccus, sed frigidus, quia priuatus sanguine, si vero fuerint sanguinea moderatè, erunt media inter calida, & frigida, & ita ex cõsideratione esse sanguineũ, vel non, vel participare plus, vel minus de sanguine, & cõsideratione gradus duritiei, vel mollitiei, scietis omnes tẽperaturas. loquor de temperatura cõplexionali, nõ virtute cordis, quia ab ipso emanat etiã, & diffunditur ad ea membra, & calida sunt omnia, & hoc pacto temperaturæ sumuntur per methodum, ex quarũ commixtione sequuntur æqualitates in secundis qualitatibus. hoc modo fit mixtura, quæ sub habitudine continetur, ex caliditate, quæ non fit multæ humiditati, neque multæ siccitati admista, quia nimia humiditas emollit, nimia siccitas astringit, caliditas ergo raritatem facit, frigiditas densitatem, humiditas mollitiem, siccitas duritiem, & ista satis sint dicta de æqualitate, quæ est in temperamentis tam in prima, quàm in secunda

cunda compositione. Hoc vnum notetis domini, Membrum illud similare humidum fluens, præter temperaturas & præter hoc quòd sanguis sit calidus, & humidus, pituita frigida & humida, & præter hoc q sanguis sit mediocris inter crassum, & tenue, bilis tenuis, pituita aquosa, melancholia crassioris admodum substantiæ, habet vnum aliud, æqualitatem, quæ ex duobus indicatur, ex quantitate molis, ex saporibus, æqualitas quæ indicatur dupliciter indicatur, vno modo vt tanta sit moles, quæ non aggrauet corpus, sed tolerari possit, tunc illa est bona æqualitas, secundo vt tantum sit de sanguine quantum oportet, & sic de reliquis. Quo ad sapores verò, sanguis habet dulcedinem, pituita insipiditatem, bilis est amara, fex sanguinis astringens. Dum vero mutatur, & sanguis fit amarus, vel pituita salsa, vel bilis aquosa fiat, corpus tunc ægrotat, oportet igitur vt æqualitatem & in quantitate, & in saporibus seruet, quæ sunt secundæ qualitates. Aliud est membrum similare spirans humidum, quod est spiritus, oportet vt seruetis æqualitatem, debitæ quantitatis: quæ attenditur in ipso, & non sint diminuta. Raro plures sunt spiritus, quàm conueniat, nec vnquam satis sunt. Preterea spiritus, si animales sunt, non debent

bent esse crassi, quia tales non habent ingenium, nisi crassum: oportet enim ꝙ tenues sint spiritus, ad hoc vt faciant ingenium. spiritus vero qui concoquunt debent esse crassi, non tenues, vt cum humiditate permaneant, calor enim naturalis non debet esse subtilis, sed crassus, spiritus vero, qui emanant à corde, non nimium subtiles, quia isti nimis cholerici sunt, & nimium appetunt. debent igitur & vitales, & animales, & naturales dici, si naturales appellandi sunt, vel calor naturalis, esse debet quo ad substantiam talis, & quoad temperiem. hæc de secunda compositione.

Tertia compositio quæ est in membris dissimilaribus, quæ ex similaribus fiunt, & hæc compositio non est sicut prima, & secunda, in quibus primas qualitates semper cõsideramus, & in quibus procedimus cum medicamentis semper calidis, vel frigidis. Membra ista sunt ex primis illis, & similaribus, & ex pluribus constructa, sicut manus, quæ habet ossa, cutem, neruos, musculos, quæ actu sunt, ea secundum propriam formam in aliis compositionibus non sunt actu, & cum ita sit, non attendimus temperaturis, nec qualitatibus primis, sed attendimus, æqualitati, quæ consistit in compositione, vt partes recte contineant debitam quantita

quantitatem, ex situ, & structura optima sit, figuram debitã habeant, & breuiter omnes partes conspirent ad debitam structuram, quæ, scilicet structura penes quatuor attenditur, penes debitam conformationem partium, quæ resultat ex debita figura, vt quòd rotundum esse debet, tale sit, penes superficiem, vt superficies quæ plana esse debet, talis sit, & quæ aspera, aspera, quæ mollis, mollis, propterea penes cauitatem attenditur, vt cauitas debitè habeatur, & quod cauum esse debet, sit, quod conuexum, tale sit. secundum genus attenditur penes numerum debitum, sicut manus ex quinque digitis, constat non sex, neque quatuor, habeat magnitudinem debitam, si parua, vel longior esset, peccaret in magnitudine. Ita etiã habitum habere debitũ, & conuenientẽ par est.

Præter tria genera ęqualitatum vna alia est compositio, quæ non est distincta ab aliis, & hæc est continuitatis, sicuti contiguitatis, & hæc non est propria compositio, nisi per similitudinem quandam, quia compositio est constructio plurium partium in vnum conuenientium ad formam actu constituendam, & ideo quando os ossi adhæret, est vnio, non compositio, similiter membrum similare adhærens alteri dicitur contiguum, vt ex Arist. habetis. compositio

igitur,

igitur, seu vnio communis est membris similaribus, in quibus vnitas vera seruari debet, in dissimilaribus vt partes sint simul, & propterea in dissimilaribus contiguitas dicitur, in similaribus continuitas, & potius vnitas, quàm compositio dicitur. Et hoc est quartum genus, & in hac vnitate magna pars medicinæ fundatur. habetis igitur quatuor compositiones æqualitatum: cum tamen tria tantum genera esse deberent. possumus quidem facere quartum genus, sed quia methodus diuisiua est breuissima via, non debemus multiplicare entia sine necessitate, quòd autem sint tria genera æqualitatum ostendo, in primo, & secundo æqualitatum genere, in quibus cõsideratur temperatura habent illæ quidem varium modum considerandi, & varias æqualitates habent, easq; sequuntur in temperamentis. est enim in ipsis naturalis potentia, vel impotentia habens æqualitatem, eaq; in habitu consistit, in raritate, scilicet, & densitate, duritie, & mollitie. ista omnia faciunt tot ęqualitates in similaribus, debetis etiam tot æqualitatum genera ponere, quod non fecimus, & merito, quia nõ debemus multiplicare entia sine necessitate, hæc omnia ad tẽperaturas sequũtur, si ergo cognoscimus tẽperaturam cognoscimus & reliqua, quoniam

niam scimus effectus temperaturarum, scimus.n. quòd calidi est aperire, frigidi densare, humidi mollire, sicci durum facere, qui sunt effectus primarum qualitatum, quæ postea generant secundas qualitates, igitur qui cognoscunt temperaturas, cognoscunt & ea, quæ sequuntur ipsas. primum igitur compositionis genus est in temperatura quòd genus habet illas nouem temperaturas quas probauimus tot esse, vt non plures neque pauciores sint, secūdum quòd in structura partium est, tertium in continuitate, vel contiguitate partium, & iam sumus ad hoc punctum. vt habeatis per methodum omnes æqualitates quæ in corpore humano contingere possunt. Ex his si recte memoria tenetis, quæ diximus non solùm æqualitatum omnium cognitionem habetis, sed substantiæ etiam, hoc est humani corporis totam fabricam, vsque ad prima principia. Didicistis enim quomodo principia necessaria sint ex mixtione elementorum, & quomodo ex illa similiaria membra fiant, & ex similaribus dissimilaria. habuistis præterea, ferè partium omniū enumerationem. breuiter totam fabricam humani corporis vobis exposuimus, sed quia fabrica tota generata est ratione finis alicuius, si illum non noueritis veri quidem

medici

medici non essetis; cuius ergo rei causa facta sit hæc fabrica, & quis sit eius finis videamus, & certè nullus alius finis nisi operatio, ratione enim operationū factum est hoc corpus, vt instrumentum tale visibile ad operationes. ideo dixit Aristot. animam esse actum, & ideo fabrica tota est ratione operationis, oportet igitur videre de istis operationibus, per methodum, quot sint, & procedā via, & methodo diuisiua, operationes animæ subiectū habēt spiritū, ita vt dixerit Hipp. spiritum esse animam. Galenus autem dixit modestius, vel anima, vel instrumentum proprium animæ: si propriū instrumentum est, sine quo non operatur, nec operatio est sine eo, tot erunt operationum genera, quot genera spirituū: si vnum erit, vnum erit etiam operationum genus: si plura spirituum genera operationes etiam erunt variæ. igitur variæ actiones, & varia requirentur instrumēta. ad varietatem igitur spirituum, operationum genera multiplicantur, & quia diximus tria esse spirituum genera, quidam à corpore procedens per arterias, qui vitalis dicitur, & est calidus, & siccus, ergo vnum genus operationum erit, quod habebit idem nomen, quod habet suum instrumentum & appellantur operationes vitales. quæ cum ha-

d beant

beant ſpiritum vitalem proprium inſtrumentum à corde proficiſcentem, & ipſæ à corde oriuntur. genus hoc operationum vitalium habet ſua genera ſubalterna, ideo diuiditur per partes formales & proximas differentias operationum vitalium, quidam ſunt propter cor, & in ipſo corde, ſeu propter ſe, & in ſe, quòd idem eſt: quidam non ſunt propter cor, nec ſunt in corde, quæ ſunt propter cor, & in corde, habent duas ſpecies ſpecialiſsimas, vna excandeſcentia, & iracundia appellatur, cum quis iraſcitur, & appetit vindictam. iſta eſſet vna operatio cordis, & propter ſe, quia opinatur quòd ſibi fiat iniuria, quia eſt principium vitæ, & efficaciæ agendi. alia operatio eſt propter cor, quia propter vitam fit, & cor eſt principium vitæ, ideo ſunt hæ duæ in corde, & propter cor. quæ verò non ſunt in corde, nec propter cor, eſt pulſatio arteriarum, & diſtributio caloris naturalis per omnes partes corporis, iſta operatio non eſt in corde, quia diffunditur calor ad partes corporis; ideo non fit in corde. & quoniam fit propter conſeruationem totius corporis, ideo non propter cor, & hæc ſatis quo ad operationes vitales, quæ ideo vitales dicuntur, quia fiunt à ſpiritu vitali, qui oritur à corde,

ideo

ideo denominatur, à corde & suo instrumento.

Alius est spiritus animalis, qui in cerebro perficitur, ergo erit vnum aliud genus sibi respondens, quod dicitur operatio animalis, hoc operis genus suas habet species, & diuiditur in sua genera subalterna, hoc pacto. Animalium operationũ in cerebro existẽtium quædam fiunt propter cerebrũ, & in ipso cerebro, & istud genus tres habet species, prima: dicitur imaginatio, secunda ratiocinatio, tertia rememoratio, ista sunt in cerebro, & fiunt propter ipsum. Aliæ operationes sunt, quæ non sunt in cerebro, neque propter ipsum, & ista duo genera habent, vnum genus sentire, aliud moueri appellatur. sentire quinq; species habet, scicet videre, audire. gustare, olfacere, tangere, secundum medicos istæ operationes neque sunt in cerebro, neq; propter cerebrum, sed propter aliud, bene à cerebro dependent, quoniã sunt operationes instrumentorũ cerebri tactus in neruo, auditus in auribus, visus in oculo, gustus in lingua, mouere verò secundũ voluntatem est genus particulare, quod nõ subdiuiditur, ꝙ nec in cerebro est, nec propter ipsum non est in cerebro, quia est in musculis motus, quia non est opus vt cerebrũ moueatur, sed bene totum corpus,

ſentire etiam non eſt in cerebro, quia cerebrum non ſentit.

Naturalis & tertius ſpiritus in hepate eſt, quia ibi apparet, à nonnullis appellatur calor naturalis, vel innatus. nomina hæc confunduntur à medicis, cum volunt exquiſitè loqui calorem naturalem appellant, aliquando ſpiritum qui in corde eſt, (non curetis de nominibus) cum verò diffunditur per membra naturalia, appellatur calor naturalis, qui diſtinguitur & ipſe, ſed non poteſt diſtingui, ſicut operationes animales, & vitales diſtinguebantur, quia natura rei hoc docet, illæ diſtinguebantur per operationes, quæ ſunt in ipſo & propter ipſum, & in alio, & propter alium, hoc non poteſt fieri in his, quoniam iſtæ poſitæ ſunt ita formales dependentes ab vno principio, ſicut aliæ, incipiunt quidem operationes iſtæ in hepate, & non ſunt aliæ naturales, & ipſæ in aliis membris exiſtentes, oriuntur quidam ab hepate, ſed non dependent ab aliis, quæ ſunt in hepate, ſicut animales, & vitales, ſed deſtructa operatione hepatis, ita quòd hepar non concoqueret, & non ſanguificaret, modo in membris eſſet ſanguis, viueret animal ſine hepate, quia omnia membra naturalia habent quicquid habet hepar, hepar etiam non

non poteſt facere ſine operatione formali ventriculi. Ventriculi autem operatio dependet ab hepate. Naturales iſtæ operationes reperiuntur etiam in plantis, ideo ſi corpus humanum non haberet niſi operationes naturales, eſſet planta. iſtæ autem operationes naturales, ita diuidantur, quædam ſunt ratione ſpeciei, quædam ratione indiuidui. ratione ſpeciei, vt generatio ipſa, non enim generatio eſt propter natos, ſed propter naſcituros, & ratione ſobolis, & ſpeciei. operationes propter indiuiduum duæ ſunt in genere, vna augmentatio dicitur, & hæc in adoleſcentibus, & pueris eſt à primo ortu, vſque ad iuuentutem, & conſiſtentiam: alia eſt nutritio quæ durat per totum vitæ tempus, & iſtæ operationes habent quatuor ſubminiſtrantes virtutes, quæ in omnibus membris reperiuntur, vt deſeruiant nutritioni, augmentationi, & generationi. prima attrahendi vim habet; ſecunda continendi quod attraxit, tertia concoquendi quod ſecunda continuit, quarta expellendi quod ſuperfluum eſt. & vnum quodque naturaliũ inſtrumentum iſtis virtutibus conſeruatur, & ita habetis omnes operationes, tam vitales, quàm animales, & naturales, cum ſuis ſpeciebus. Hactenus habetis fabricam humanam, &

omnes operationes fabricæ, & maximam partem habetis medicinæ, quæ cōſiſtit circa naturalia, & circa ea, quæ ſunt in corpore ſecundum naturam.

Reſtant modo, expedita iſta parte medicinæ, tres aliæ partes vtiliſsimæ, quæ requiruntur ad actionem, iſta potius pertinēt ad theoreticam, & ad ſpeculationē. Prima pars eſt, vt conſeruemus æqualitates quas cognouimus in humana fabrica, quando adſunt, & animaduertamus quomodo ſunt conſeruandæ, & qua arte, & per methodum generalem, licet poſtea ad particularia deueniamus. Secunda pars eſt, quando tales æqualitates, in quibus conſiſtit ſanitas, ſunt aliquo caſu remotæ à corpore, quomodo ſunt reficiendæ, & reſtaurandæ. Tertia erit quomodo debemus colligere ſigna omnia, ex quibus deueniemus in cognitionem æqualitatum, vel inæqualitatum.

Vt de prima parte igitur imprimis dicamus, Ars conſeruandæ ſanitatis habet ſuum propoſitum, ſicut & reliquæ artes, & actiones humanæ. ſit propoſitum : à fine ad opus, mouetur ſub ratione boni, & ita in humanis actionibus concurrunt propoſitio finis intenti, ſub ratione boni, propoſitum acquirendi finem, & bonum iam conceptum. Circa verò artem tuendæ ſanitatis

nitatis propositum est, vt sanitatem conseruemus, ex qua senium producimus in homine, & vitam producimus. cum ergo sit propositum, ad finem dirigitur, ratione cuius propositū oritur, quis ergo est finis iste, qui est causa propositi? proculdubio, cū huiusmodi ars tuendæ sanitatis sit pars totius medicinę, habere etiā debet finē in specie, qui est totius medicinæ: quoniam idem est finis totius, & partis. Partes enim idem subiectum accipiunt, & per differentias oppositas distinguuntur. ita enim se habēt partes medicinæ circa genus suum: sicut partes subalternæ circa genus suum commune distinctum differentiis propriis, vt in physicis vidimus. est enim corpus mobile subiectum in tota philosophia quatenus tale: postea cum huiusmodi philosophia habeat partes subalternas: hoc subiectum accipiunt, & secundum suas proprias differentias distinguunt: sicuti apparet in libro cæli, in quo corpus mobile est subiectum: sed sortitum est hanc differentiam, corpus mobile ad locum. Libri de generatione & corruptione, habent corpus mobile ad formam: ita quod corpus mobile semper subiectum est, sed quędam differētiæ illæ sunt: quæ faciūt partes differre à toto, & inter se etiam ratione finis: quia

corpus mobile ad locum differt, à corpore mobili ad formam: idem in re nostra, subiectum facimus sanitatem ipsam in tota medicina. in ista autem parte tuendæ sanitatis, habemus sanitatem, vt finem, sed cum differentia. est enim sanitas finis in parte qua conseruatur: sicut in arte curatiua, qua recuperatur amissa. fines sunt diuersi, ex quo sequitur diuersus modus procedendi. Fines enim non solùm faciunt differentias in scientiis, & artibus: verum etiam diuersum modum procedendi. in proposito igitur hoc fine: inuenienda est methodus, & ars qua possimus sanitatem tueri, & tale fundamentum habetis in hac arte, & cognitio applicandi vniuersalia particularibus ex ea oritur. Sed quísnam est finis huius methodi? Non alius nisi natura rei: circa quã versatur rectè inspecta: sicut in omnibus quæ sunt secundum naturam, ipsa quidem respicienda est, natura ergo rei est principium omnium agendorum: si rectè igitur conspiciatur natura methodi, & artis tuendæ sanitatis: circa quam versatur, videbitis circa sanitatem versari: quæ in æqualitate consistit: qua sanitas conseruatur, tamen æqualitas causa immediata sanitalis est: si igitur ita est vt probatum est: si cognouerimus quomodo conseruanda sit

æqua

æqualitas: rectè etiam conseruabimus sanitatem, sed quia volumus sanitatem, & æqualitatem, ideo oportet scire genera, & species æqualitatum, & licet omnia hæc viderimus, oportet etiam denuo reassumere, sed alio modo. Circa æqualitatem conseruandam ita procedimus. (& iam nõ sumus amplius circa speculationes: sed incipimus agere) si volumus conseruare sanitatem: oportet vt agamus aliquid, actio autem est circa particularia, & indiuidua, non possumus autem agere circa indiuidua nisi cognoscamus eorum naturam: quia actio nõ potest fieri circa rem non cognitam: si igitur hoc est necessariũ, videlicet cognoscere hanc naturam, & particularia, & indiuidua non possunt methodo cognosci: quia non per demonstrationem: quia demõstratio est ex necessariis, & necessaria cõcludit, indiuidua sunt cõtingentia, nec cadunt sub scientiam, ergo per demonstrationem cognosci non possunt, minus per diuisionem: quia diuisio, est generis vel speciei, & genus, & species multiplex diuiditur. Indiuiduum autem nec genus est, neque species, ideo non diuiditur, nec etiam per resolutionem: quia hæc à specie specialissima incipit, & eam in principia resoluit, at indiuiduum sub specie est. minus per compositionem,

quia vbi incipit compositio, ibi terminatur resolutio. Et cum quatuor sint tantum methodi doctrinæ, concludimus quod nulla methodo possimus indiuidua cognoscere. Qua ergo arte? Per accidentia, & per sensum indiuidua cognoscuntur: quia sensus habet obiecta particularia, oportet ergo habere signa, & euidentia particularia, quæ offerant se sensibus: quia cognitio naturæ corporis aliter haberi non potest, sunt autem hæc factiones, & operationes humanæ cuiuscunque indiuidui hominis, & ex his naturam cuiuscunque scimus, consideramúsque, tam naturales, quàm animales operationes, & quæcunque sub sensibus apparent, & ex illis particularibus vniuersalia iudicamus, & hic incipimus veluti sub vmbra ostendere quomodo vniuersalia applicētur particularibus, & circa hunc ordinem versatur medici ars, & per signa quidem applicatur, de quibus copiose agemus, & procedit in hoc progressu per analogismum: medici enim ita loquuntur, ita Galenus loquitur, & vocat analogismum qui concludit de indiuiduo, & accipit propositiones, quæ non habent necessitatem, & ab vniuersali particularia concludit, & per hunc analogismum applicatur subiectum minoris propositionis semper est in-

diuid

diuiduum, maior autem vniuersalis, quoniam proprium analogismi est. exempli gratia sic faciam, Vbicunque apparent operationes indicantes æqualitatem in temperatura, in compositione, & in partium vnitate, illæ æqualitates sunt conseruandæ, (hæc est maior) sed in Socrate apparent operationes indicantes omnes istas æqualitates, in temperatura, in compositione, & partium vnitate, ergo in Socrate sunt huiusmodi æqualitates cõseruãdæ. Ecce quomodo ex vniuersali quid sit agendum in Socrate didicimus per analogismum concludentem particulare. Epilogismus verò est quædam comparatio similis ad simile, vt si dicamus mespilum astringit ventrem, & est acerbi saporis, ergo si accipiam pomum cydonium, quod habet acerbitatem, idem poterit, in hoc non est ars aliqua, & hoc Empiricis proprium est, & sub crasso aëre natis, medicis verò analogismus. hæc de analogismo, quando sub forma quadam vniuersali, particularia vniuersalibus sunt applicanda, supponamus igitur (vt ad rem accedam) quod in aliquo corpore humano operationes sint secundũ naturam, & nullum sit vitium in operationibus quantũ, scilicet requiritur corpori Socratis, istæ operationes indicant in corpore

pore

pore esse æqualitatem, consequenterq; esse conseruandam. aliæ sunt operationes, quæ non sunt ita exquisitæ, & ad amusim in corpore, sed diminutæ, quando aliquis non exercet operationes vti deberet tamen non ægrotat, ex istis operibus indicatur corpus istud nō habere suas æqualitates: quia vbi debilitas in operationibus est, ibi inæqualitas erit, pro modo læsarum operationum. inæqualitas autem potest esse multiplex, & lapsus multiplex, & quia omne multiplex distinguendum est, ideo lapsus distinguendus est. Lapsus igitur in corpore humano morbus est, in triplici quidem genere, nec possunt esse plures, nec pauciores, vel enim lapsus huiusmodi erit à naturali aliqua tēperatura, vel æqualitate alicuius indiuidui: itaq; habet quidem æqualitatem in qua sit propria sanitas, non tamen habet eam exquisitam, sicut corpus Herculis, habet tamen sibi propriam. hæc est vna species lapsus, quæ via est ad morbum. Alius lapsus est, qui non est sicut ille ab aliqua dispositione indiuidui: sed ab aliqua dispositione in genere. exempli gratia, os in corpore humano, debet esse frigidæ & siccæ temperaturæ, & quod habet huiusmodi temperaturam frigidam, & siccam, in genere ossis sanum est, nihilominus istud non habet

æqua

æqualitatem propinquam, quam deberet habere: sed est à natura calidum factum, in hoc lapsus non est à naturali temperatura indiuidui: quia fuit semper cũ tali temperatura, sed à genere, id est à propria natura ossis in genere, & iste lapsus longe differt à primo. Tertius lapsus ab omnibus differt, & est cum quis ab æqualitate lapsus est, non quia deciderit à naturali temperie in indiuiduo, vel in genere: sed quia ab eo aliquid detractum est, ideo factum est imbecille, vt qui iam ægrotauit, & adhuc remanet corpus debile, & ita habet huiusmodi lapsus, circa hos tres lapsus versatur tota ars tuendæ sanitatis. cum ergo sit vna æqualitas, & tres lapsus, quatuor in hac parte sequuntur consideranda, primum est æqualitas, quæ conseruari debet, & hæc pars conseruatiua sanitatis appellatur. secundum est lapsus ab indiuiduo, quòd neutrum decidentiæ ab istis appellatur, & iste lapsus eam partem tuendæ sanitatis facit, quæ præseruatiua dicitur. Alius lapsus qui est ab intemperie in genere, facit tertiam partem tuendæ sanitatis, quæ ars correctiua appellatur: quoniam corrigere volumus intemperiem alicuius hominis, & ad temperamentum redigere. Tertius lapsus, qui est quando præcessit ægritudo, & corpus

exinani

exinanitum reddit,& debile,quartam facit partem,quæ reassumptio nuncupatur. Et à Græcis ἀναληπτική. Et circa hæc quatuor versatur peritus artis tuendæ sanitatis. sunt autem hæc quatuor genera, Conseruatiuũ. præseruatiuum, correctiuum, & reassumptiuum. ab ipso igitur conseruatiuo incipiamus.

Conseruandum corpus debet proculdubio conseruari aliquo instrumento,& quia in conseruando operamur, quia conseruare est agere,& actio circa particularia est, & omnis actio hominis indiget instrumento, vel materia, aut remedio, vt corpori applicetur, quomodocunque applicabis remedium appellabitur,& quoniam quidem instrumentum est medium inter artificem agentem, & corpus, oportet vt habeamus instrumentum circa partem conseruatiuã. hoc instrumentum, vel materia semper debet esse simile corpori conseruando, habemus enim axioma illud quod dicit similia similibus conseruari,& præter hoc axioma rationem habemus, quia in conseruatione non requiritur actio, nec motus, sed quies, & conseruatio in statu in quo est, nam tunc conseruamus res cum eas in eo gradu custodimus, in quo reperimus, sine motu, quia simile non agit in simile, cum

autem

autem alterare volumus necessariò contraria applicamus, quia actio est inter contraria, similia ergo in conseruatione sanitatis sunt applicanda, tria autem sunt genera sanitatis, quæ conseruamus, ideo inuenienda sunt congrua remedia singulis æqualitatibus. Primum genus æqualitatis seu sanitatis, in temperatura est: secundum in compositione: tertium in vnitate partium, sed à primo quòd est à temperatura partium incipiamus, dicebamus temperaturas nouem esse, vnam æqualem, octo verò inæquales. si igitur simile à simili conseruatur, & temperaturam volumus conseruare, oportet eam cum similibus qualitatibus conseruare, quia temperatura resultat ex mixtione quatuor qualitatum: & si vultis conseruare ipsam in corpore, oportet vt in ea proportiones applicentur, quæ in illo indiuiduo nullam alterationem faciant, vnde si conseruandum erit æquale temperamentum in quo nec calidum, nec frigidũ dominatur, debetis admouere quæ non alterent, si autem vultis cõseruare partem aliquam in propria temperatura, non oportet admouere quæ calida, & sicca sunt tantum si talis fuerit temperatura conseruanda, sed ea calida, & sicca, quæ conueniunt illi temperaturę partis. idem de omni alio

alio excessu intelligendum est. Instrumenta autem, quibus id facere debetis, sunt inuenienda, instrumenta igitur in genere, quæ corpori humano occurrunt, illa vel conseruant corpus, vel alterant, vel corrumpunt, si volumus conseruare æqualitatem: in eo gradu, quem bonum vidimus, ea quæ corpori admouentur, æqualia debent esse in gradu corporis indiuidui quòd conseruare volumus, ea autem quæ sint hac methodo inueniuntur. Aut enim sumuntur tantum per os, vel exterius tantum applicantur, vel occurrunt interius, & exterius, vel neq; interius, neque exterius, vt sunt affectus animi, vel corporis, ad hæc quatuor genera omnia alterantia, & conseruantia corpus humanum reducuntur. Quantum ad primum quæ sumuntur per os tantum, sunt cibi, & potus, & medicamenta: quæ vel alterant, vel conseruant. Quæ verò tantum exterius applicantur sunt balnea, lotiones, linimenta, fomenta ex pannis calidis, frictiones corporis, quibus vtimur in sanitate, eorum verò quæ tum exterius, tum interius occurrunt, est aer potissimum, quia circum ambit totum corpus exterius, & alterat, & conseruat, & ipse attrahitur per os, nares, & per arterias, & ita interius alterat, & conseruat. eorum autem quæ nec interius

terius, nec exterius admouentur, sunt veluti affectus; & motiones animi, & corporis, corporis quidem vt sunt exercitia, & coitus: animi, vt iracundia, tristitia, somnus, vigilia, inanitio, repletio, quæ tum alterant, tum conseruant corpus secundum debitam, vel indebitam applicationem istorum omnium. circa igitur ista nos versari debemus, cum sanitatem conseruare volumus, sicut etiam cum amissam volumus recuperare, nos igitur imprimis ab aere incipiamus: vultis corpus cōseruare in æqualitate sua, eligite aerem similem temperaturæ conseruandæ, quod si erit oppositarum qualitatum, alterabit corpus, sub aere autem continentur regiones, constitutiones temperamentorum, quandoque enim videmus æstatem frigidam, & humidam, hyemem calidam & siccam, quæ temperamenta non sequuntur naturam propriam, quia æstas debet esse calida, & sicca, autumnus frigidus, & siccus, hyems frigida, & humida. regiones faciunt maximam differentiam, in Aegypto enim, Scythia, Germania, sunt diuersæ qualitates aeris, in Aegypto est caliditas, & siccitas, in Scythia, & Germania frigiditas, & humiditas. si igitur vultis conseruare corpus in temperatura sua, aerem debetis inuenire con-

uenientem tẽperaturæ cõseruandæ, si æqualis sit temperatura aeris temperaturã ęqualem eligite, si corpus biliosum erit, & calidum & siccum declinare aerem talis temperaturæ oportet, circa igitur conseruationem sanitatis: quantum ad aerem attinet, scitis quomodo debetis agere. circa etiã medicinas eadem ratio est, si indigeret corpus pro cõseruanda sanitate medicamento purgãte, vt non excedat à tẽperamento sanitatis, medicamẽta nimis euacuantia non sunt exhibenda, quia èx illis posset calor naturalis diminui, & exagitaret corpus nimis, & inæqualitatem causaret, de quibus inferius dicemus. In cibo, & potu tria debetis considerare, qualitatem, primo. nam si conseruatis corpus quod sit æquale in omnibus, cibus & potus non debet excedere in aliqua primarum qualitatum. si verò biliosum vultis conseruare, vel pituitosum debetis cibos, & potus eligere: qui sint similis temperaturæ hominis, cui applicatis remedia, bilioso calida, & sicca, pituitoso frigida, & humida, secundò consideratur substantia & quo ad eam, quæ nec repleat, nec faciat aliquam inæqualitatem, neq; tam pauca sit, vt fiat inanitio, ita quòd multum, & paucum ad corpus, cui occurrimus refertur. tertiò considerare debetis

tis rationem,& modum substantiæ, an cibus sit tardæ, vel citæ digestionis,solidæ, vel tenuis substantiæ. Nam corpori calidiori solidiora,& quæ magis concoctu difficilia sint,debent exhiberi,quia si tenuia, & facilis concoctionis exhiberetis calido corpori, verteretur in bilem, & fieret inæqualitas,sicut in biliosis, qui vescuntur carne pullorum contingit redundare magis bilem,quia cibo tenui generatur,ex opposito frigidiori debetis exhibere cibos facillimæ concoctionis,& tenuis substantiæ, facilis quidem concoctionis, quia calor suus naturalis debiliter cõcoquitur,& præterea non facile distribuitur,quia venas habent strictas, ideo debet esse tenuis substantiæ, vt facile distribuatur,quo ad extra applicanda,balnea,frictiones,debent esse proportionata temperie, vt non exinaniant plusquàm oportet,vel minus,sed sint æqualia secundum corporis temperaturam,quæ verò nec exterius,nec interius applicãtur, vt affectus sunt animi,& corporis hoc modo considerantur,si vultis affectus applicare,debetis cõsiderare cuius naturæ sit corpus, aliquando enim quæ bilem mouent sunt proficua in aliquo,in aliquo alio est pestis, corpori enim frigido & humido prodest excandescentia, bilio-

 so nihil

ſo nihil deterius, quia excedit à naturali temperamento, & ideo debetis applicare affectus qui non moueant,& ſi mouent;non extra gradum temperaturę.quicquid de affectibus animi diximus, idem de affectibus corporis dicatis. aliud exercitium bilioſo, aliud phlegmatico conuenit, at de coitu, & repletione,& inanitione,eadem ratio eſt,& hoc quantum ad temperaturam conſeruandam. eſt etiam aliud genus æqualitatis quòd in compoſitione dicitur,de quo dicemus in ſequentibus.

Ea pars igitur quam nos ſecundã æqualitatem vocauimus in ea compoſitione con ſiſtit,quæ ex ſimilibus fit.genus autem hoc conſiſtit(vt aliàs diximus) in quatuor vel in debita partium conformatione, in magnitudine,in numero, & conuenienti ſitu. Vt igitur ſanitatem quæ in conformatione partium eſt,& in reliquis generibus con ſeruemus, temperatura imprimis conſeruanda eſt.quia ea conſeruata, compoſitio hæc à primo ortu,vſq; ad finem ſemper rectè præſeruabitur,(niſi à gladio prius aut aliquo huiuſmodi corrumpatur)remouendo contraria, conformario autem debita habet ſub ſe debitã figuram, & reliqua.debemus igitur ſemper conſeruare temperaturam

turam prohibendo contraria. hæc enim ſunt ea, quæ poſſunt temperaturam alterare, quia temperies reſultant ex primis qualitatibus, primæ qualitates agunt inuicem. propterea temperatura, alteratur à contrariis, à ſimilibus conſeruatur, in figura enim, vel ſuperficie, non fit contrarietas, quia non agunt adiuicem, recta enim figura non agit in circularem, nec ſuperficies plana in aſperam, quoniam in his potentiis, vel impotentiis non eſt actio, ſed ſi qua eſt, veſtigium corporum eſt, in quibus ſunt. ſi enim corpus durum alteri, quòd molle ſit, occurrat alterabitur, in reſiſtendo propter duritiem, vnde ſi quòd comprimat caluariam, rotunda vel plana quòd ſit figura, comprimendo, & ratione corporis comprimentis hoc fit, vbicunque ergo corpus molle occurrat corpori aſpero, non læditur vt à molli, ſed vt ab humido, quia ab his qualitatibus prouenit actio, ideo ſufficit remouere contraria ab his, vt conſeruemus. quantum verò ad cauitates, & meatus diuerſus eſt modus conſeruationis, appello cauitates eas, quæ in renibus, & in cerebri ventriculis ſunt, quæ quouſque perſeuerabunt renes ſani erunt, quantum ad conformationem illarum, ſi

verò aboleantur, vel tollantur, ægrotabunt, meatus autem appello cauitates transeuntes per membra, vt sunt venæ, & arteriæ. dico ergo quòd meatus transeuntes per membra conseruabuntur remouendo impedimenta, quæ possunt impedire cauitates, impedimenta autem sunt quatuor quoniam omnis cauitas, & meatus potest obstrui, vel quoniam partes ipsius consident, propterea quòd vacuæ factæ sunt à natura, cum continere debent. si igitur nihil contineant pars aliqua adhæret adeo vt considat, & obstruitur, & iste est vnus modus. secundus huic contrarius est quando implentur ob redundantiam materiæ præter naturam, sicuti cauitates ventriculi, & cerebri obstruuntur, & tales incidunt in apoplexiam, & mortem. meatus autem venarum, & canales obstruuntur & illi, maximè qui sunt inter ventriculum & hepar. tertius modus est quando aliquid vicinum intumescit, & ascendit in magnitudinem præter naturam, & locus comprimitur ab extrinseco, ex qua compressione constringuntur meatus, quò fit vt sanguis non posit deferri ad manum, vel pedem, si ita constringat, quòd vena ad eas partes proueniat. quartus modus est quando mea

do meatus, vel cauitates, validiſsima qualitate extrinſeca habente vim conſtringendi conſtipantur, vt eſt frigiditas & qualitas acerba pura calcanti, vel bituminis, & in hoc differt à paulo antedicta, quia compreſsio fit à corpulento, in hac fit à re acerba aut frigida conſtringente, igitur ſi volumus conſeruare ſanitatem hanc, oportet prohibere omnia hæc. prohibebimus autem, ſi illa quæ ſuperfluè euacuant, & implent euitabimus, & ſtando in illis quatuor iam dictis, quæ nimis euacuant ſunt (vt ab eo genere incipiam) quæ per os tantum ſumuntur medicamenta & potiones nimis educentes, abſtinentia nimia à cibo, & hæc omnia euacuationes ſuperfluas faciunt, vt venæ exinaniantur. quæ verò exterius tantum applicãtur, ſunt balnea nimia, frictiones nimiæ. quæ verò interius, & exterius, ſunt vt occurrere aeri calido, nimis reſoluẽti, quæ autem nec interius, nec exterius, ſunt affectus animi, ſicut ira, mœſtitia, quæ faciunt euacuationem nimiam, præterea motiones corporis, exercitia potentia, coitus autem inter cetera validiſsimus eſt, ad immodicas euacuationes faciendas. hæc ſunt ea, quę euacuant nimis, manendo ſemper in diuiſionibus iam declaratis, ex his quæ corpori offeruntur. Obſtructio au-

tem fit à causis oppositis, vt sunt potus, & cibi immoderati, nimiæ crapulæ, & ebrietates, nimia quies, nimius somnus, abstinentia à coitu nimia, commoratio in aere frigido, vbi non fit resolutio, quæ verò cōprimunt sunt humores vicinorum, quæ constringunt est qualitas austera, acerba, & frigida. Si debemus igitur cōseruare hoc corpus, debemus prohibere hæc omnia. & hæc pro vniuersali speculatione sint dicta: quātum ad primum genus, quomodo debemus conseruare æqualitatem in conformatione reliqua erant magnitudo, numerus, situs, ista tria conseruantur, conseruatis qualitatibus primis, & temperamentis. De lapsu in magnitudine, & situ, vbi de parte curatiua loquemur, dicemus. De conseruatione vnitatis partium nihil dicimus: quoniam ab eisdem seruatur. Seruata enim naturali temperatura, tam per essentiam, quàm per affluxum, conseruantur partes in situ suo, & prohibendo extrinsecus occurrentia, quæ genere sunt compellentia, id est contusiua, & compressiua, trahentia medicamenta, auulsiones, vel quæ circum agunt ne remoueantur membra à proprio situ. hactenus de parte illa sanitatis, quam conseruatiuam appellamus, reliquum est vt de præseruatiua, correctiua, & reassumptiua dicamus.

Præserua

Præſeruatiua pars verſatur circa primũ lapſum, erant enim tres lapſus, ſecundum quod tres partes oriebantur artis tuendæ ſanitatis, ſit autem primus lapſus cum aliqua pars corporis recedit à proprio indiuiduali temperamẽto, & ad oppoſitum accedit, & appellatur lapſus iſte neutrum decidentiæ, à modernis, qui eſt via ad ægritudinem, & antequam tẽdat ad terminum, cum quo eſt morbus, oportet præſeruare, & licet præſeruet, & tueatur ſanitatem, tamen dicitur conſeruatio. Quotiens igitur conſeruamus hominem declinantem ab indiuiduali temperamento, ſiue in toto, ſiue in parte, præſeruatiua dicitur. Exempli gratia, eſt aliquis calidæ, & ſiccæ temperaturæ, quæ eſt ſua ſanitas, labitur ad frigidam, & humidam, vel calidam nimis, & ſiccam, tẽdit iſte ad ægritudinem: præſeruator, vel conſeruator occurrit: quomodo proceditur? procedendum eſt quemadmodum proceſsimus in conſeruando æqualitates, quæ tres erant in genere, ideo oportebit videre, nunquid lapſus iſte ſit in ea æqualitate, quæ in temperatura conſiſtit, aut in partium ſtructura, vel in partium vnione, in quacunque fuerit curabimus ipſam, ſi fuerit in temperatura, duplex eſt temperatura, quædam per eſſentiam, id eſt per nudas qualitates, quædam

per affluxum materiæ, intelligo per essentiam inesse, quando aliquod membrum, vel corpus habet tale dominium, vt dicatur calidum & siccum, calidum & humidum, vel calidum tantum, & tunc non consideramus affluxum, sed temperaturam nudam, quæ ex mixtione est qualitatum, siue ab ortu, siue acquisita fuerit, dummodo essentialis sit, vel in toto, vel in parte, præter temperaturas essentiales membri, quæ sunt ibi per essentiam ex mixtione resultantes, aliæ sunt etiam quæ cognosci debēt & sunt octo tantum, & non amplius: nouem, quæ per affluxum dicuntur, quando membrum propter materiæ affluxum alteratur, & fit vel calidum tantum, vel frigidum tantum, vel siccum tantum, vel humidum tantum, vel calidum & humidū, vel calidum & siccum, frigidum & humidum, vel frigidum & siccum, vt suprà diximus. Non autē quia sic affectus sit in essentia: sed quia accesit humor extrinsecus, qui deduxit membrum ad illam intemperiem. quo remoto, non amplius aderit intemperies, & hæ octo tantum sunt combinationes qualitatum, in his temperiebus per affluxum, non possum in illis inducere temperiem: quia ibi humores fluunt, qui & si haberent temperiem, fiet tamen præter naturam: quia suffocant calorem,

calorem, ſaltem ratione quantitatis, ideo maiores noſtri prætermiſerunt temperaturam æqualem, nec de ea ſunt locuti in his, quæ per affluxum fiunt: cum igitur octo tantum ſint inæqualitates per affluxum, & octo per eſſentiam, erunt ſexdecim temperaturæ. hæc ſunt facienda ſi volumus conſeruare, vel præſeruare, aut curare. Volumus igitur præſeruare hominis lapſum in temperatura, oportet videre in quo genere, ſecundo in qua ſpecie, & ſupponamus lapſum ipſum eſſe in temperatura per eſſentiam, & quod ventriculus ſit frigidior, & humidior, ita tamen vt non ſint impeditæ operationes, nec tamen ſit ægrotus: quia tunc indigemus parte curatiua, ſed lapſus ſit in latitudine, in qua non eſt ægritudo: ſed ſit talis, vt ex eo ſequuantur operationes deteriores, volumus hunc hominem præſeruare, oportet proculdubio cum contrariis procedere: quia vbi volumus præſeruare, vel curare oportet cum contrariis procedere, vbi volumus conſeruare cum ſimilibus, & rationem reddidimus, & quia ſuppoſitum eſt intemperiem eſſe ſine materia, qualitates oppoſitæ debent eſſe in eo gradu, quo eſt etiam illa intemperies: quia non poſſum curare lapſum, niſi ſciam quantitatem eius, & ſæpe credimus curare, & tamen

tamen non curamus, & quandoque nocemus, & ars hæc tota graduum coniecturalis est, & voluit Galenus quod ars tota hanc haberet difficultatem, videlicet scire mensurare remedia. hoc autem fieri nequit, nisi cognito gradu excessus, & hoc est illud, quod artem facit longam, respectu breuitatis vitæ, quam cognitionem solus habuit Aesculapius, vt dicebat Galenus in proposito. nō possumus igitur inuenire huiusmodi qualitatis gradum adhibendæ, hæc autem disceptatio, ita nunc indiscussa dimittatur, de qua loco suo ex proposito dicemus, sed ponamus quòd gradus lapsus sit in primo gradu, oppositis alterantibus in primo indigemus, exempli gratia, Ventriculus humidior, & frigidior in primo factus est, igitur calida & sicca circa primum gradum erunt adhibenda, quæ vero sint eligēda, circa illa quatuor genera iam dicta erit discurrendum, & primo circa ea quæ per os sumūtur, primo cibum eligemus circa quem tria debemus considerare, qualitatem, substantiam, & quantitatem, quomodo ista sint, & primo cibus, & potus, an frigidi, calidi, humidi, vel sicci sint. secundo substantiam vtrum cibus sit solidæ, vel tenuis substantiæ, an facile coquatur, citò, vel tardè. ex his tribus sequūtur alterationes, in proposito

posito: igitur cum exhibemus cibum ventriculo lapso per frigidum & humidum, primò cibum, eligimus qui calidus, & siccus sit circa primum gradum, idem etiam de potu facimus, sed qui sint, (quia non sumus modo in particularibus) suo loco dicemus nunc tantum ponimus. Fundamenta artis in quibus fundabitur totum ædificium, & si medicamenta puta electuaria exhibebimus offerenda sunt talia quæ non transeant primum gradum caliditatis, & siccitatis. Quo verò ad substantiam, cum concoctio fiat, à calore temperato, & hic sit lapsus ad frigidum & humidum non poterit concoquere, ac si esset senex, ideo opus erit exhibere res facilis coctionis, tenuis substantiæ, vt facilius distribuantur, aliter cruditates facerent, & obstructiones, quoad quantitatem minuenda est, quia si prius concoquebat libram cibi, & nunc ad frigiditatem, & humiditatem in primo gradu sit lapsus, non poterit tantam mensuram concoquere. Quantum ad aërem declinare debet ad calidū & siccum in primo, quoad ea, quæ exterius tantum applicantur, balnea, frictiones, linimenta, & fomenta, sint calida & sicca circa primum gradum, ex his quæ nec interius, nec exterius occurrunt, vt sunt affectus animi, & circa somnum, & vi-

giliam

giliam debet fieri consideratio hæc, quia scitis quod somnus superfluus refrigerat, & replet corpus superfluitatibus, moderatus auget calorem, ideò moderatus sit somnus, & moderatæ vigiliæ, quia immoderatæ refrigerant, & exiccant, à coitu etiam abstinentia fiat, quia euacuat calorem naturalem, & ventriculum refrigerat, modico exercitio vtatur: quia auget calorem innatum, & hæc est vestra materia, circa quam versabimini toto tempore vitæ vestræ. Et ista sufficiant quoad ipsam attinet corruptionem temperaturæ per essentiam. Quantum verò ad præseruationem à lapsu qui est in temperatura per affluxum materiæ, nemini dubium est, cum temperatura mala in ventriculo est per affluxum materiæ, hoc est pituitæ, ratione cuius sit factus frigidior & humidior, non autem essentia eius talis fuerit: sed quia humor ille labefacit ventriculum quo remoto esset in sua naturali dispositione, cum occurrit inquam talis intemperies natura rei docet nos, quòd à plenitudine procedit materiæ, & cum curationes fiant per contraria, & hic sit repletio à materia, quæ facit hanc intemperiem cura est euacuatio, & quia vsuri sumus euacuatione, oportet vt tradamus per methodum euacuationes omnes.

Euacatio

Euacuationes quædam sunt spontaneæ, quædam sunt ab extrinseco occurrentes, quæ diuisio immediatè sequitur genus, si rectam artem diuidendi habetis (quam docuit Plato in Philebo, Arist. primo de anima, & secundo de partibus animalium, & secundo poste. Boetius in libro de diuisionibus) appellamus spontaneas euacuationes, quæ fiunt sine euidenti causa, ab aliquo quodam extrinseco occurrente, id est ab euidenti causa. euacuationum spontanearum quædam naturales, quędam verò non. Naturales sunt, quæ naturam consequuntur, regulariter operantem, non coactam, non naturales verò quæ & ipsæ consequuntur naturam: sed coactam ita agere. euacuationum naturalium spontanearum aliæ vniuersales, aliæ particulares. vniuersales sunt illæ, quæ fiunt per meatus, & ductus, quibus totum corpus euacuatur, ideo dictæ vniuersales, quia per canales communes totum corpus euacuatur. Et istæ fiunt vel per aluum, vel per vrinā: quia euacuant ambitum venarum, & à venis: quædam per sudores fiunt, quædam per insensibilem euaporationem, cum scilicet transpirant excrementa omnia porositates corporis: quædam vt in mulieribus per menstrua. istæ sunt naturales euacuationes: spō-

tanceæ,

taneæ, vniuersales: particulares verò sunt, quæ euacuant ab aliquo particulari membro naturali, vt muccus ex naribus, sputum cum expurgatur cerebrum per palatum, sordes in auribus, & omnes sunt euacuationes naturales spontaneæ, tam vniuersales, quàm particulares. Non naturales autem sunt, quæ veniunt à natura coacta, & à causa intrinseca non apparente, aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares: vniuersales sunt proportionales naturalibus, & quantum ad fluorem alui communes dysenteriæ, & quæ præter naturam per secessum exeunt: sicut in diarrhœa, vel per vrinam vt in diabetica passione, cum per vrinam exeat materia à natura coacta, sudores diaphoretici: vel quando plurima menstrua contingunt mulieribus præter naturam. istæ sunt euacuationes vniuersales. particulares sunt catarrhi, siue materia purulenta proueniens à cerebro, aut cum descendit huiusmodi materia per nares.

Particulares autem à mẽbro particulari euacuant, vt fistulæ, vlcera euacuantia, & huiusmodi. Non naturales verò, tam vniuersales, quàm particulares quædam sunt, quæ ex toto genere sunt præter naturam, quædam non ex toto. has appello quando id quod exit non est secundum naturam, nec

nec per vasa debita. Harum euacuationum non naturalium: sed toto genere præter naturam, aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares. vniuersales toto genere præter naturam sunt, vt cum rumpitur magna vena in corpore, & exit sanguis, in hac euacuatione exit, quod exire non debet: quia sanguis alimentum est, non excrementum. præterea exit per viam non conuenienté, euacuationes autem non naturales, nec toto genere præter naturã, alteram conditioné non habent, alteram seruant, cum exit quod deberet: sed non per debitos meatus, vt si quis pituitam in vẽtriculo haberet salsam, aut vitream, aut bilem prasinã vel æruginosam, quæ sunt toto genere præter naturam, nec possunt corrigi, debent exire quidẽ: sed per viam institutã à natura: sed exeunt per vomitum, dicitur præter naturam, non ex toto: sed ratione viæ, per quam exit, vt sæpissimè in crisibus contingit, cum sanguis redundans in corpore multas habet qualitates debet exire extra corpus, vult natura facere expulsioné: sed nõ potest, & parua inde res expellitur, humor est naturalis, & excrementum, & debet exire: sed non exit per loca debita, idem de hæmorrhoidibus, ideo oritur quæstio quã mouet Galenus an hæmorrhoides sint toto genere præter natu-

ram, possunt esse, & non esse, sunt quidem toto genere, quando sanguis exit, qui non debet exire, & quando exit per loca non conuenientia: ideo duas habent conditiones requisitas, vt sint toto genere præter naturam, quando verò sanguis ater, & melancholicus exit, & sic verum excrementum, illa eductio quoad rem expulsam naturalis est, quia excrementum: quia autem non educitur per vias naturales (quando non est naturale, vt venæ aperiantur) dicitur non naturalis, non tamen toto genere præter naturam, & hæc satis de omnibus euacuationibus: quas in genere spontaneas appellamus. Alia modo pars euacuationum (quæ fiunt à causis euidentibus ab extrinseco aliquo occurrente) in duo diuiduntur genera: quædam contingunt casu, quædam ab arte fiunt, ita quod ars proponit hoc facere. euacuationes, quæ à casu prodeunt, habent omnes conditiones, quas naturales, nisi quia casu fiunt, aliæ natura: vt cum quis comederit cibum, vel biberit potum aluũ lenientẽ sine electione, ita quod ex eo cibo, & potu incidit in magnam diarrhœam, habuit causam intrinsecam: sed fuit casu, præterea si quis comederit multũ, vel biberit ea quæ vrinam prouocant euacuatio fiet: sed casu, ab extrinseco: idem si

quis

quis præ nimio labore,vel exercitio in magnos sudores incidat,& in syncopas, à casu fieret, si quis etiam vulneraretur in manu, seu in pede, (& hæc esset particularis euacuatio,) & sanguinis plurimum exiret, à casu proueniret. Euacuationes autem,quæ fiunt ab arte, & à proposito artificis, totidem sunt, & hæc ad artem necessariò pertinent,& tanquam operatores in his versari debemus,in aliis verò tanquam cognitores. Harum quædam vniuersales,quędam particulares sunt: vniuersales quidem sunt illæ, quæ fiunt per aluum certis quibusdam statutis temporibus, per medicamenta educentia per aluum, quædam per vrinam, cum prouocantibus vrinam: sed quando, & quomodo, & quibus materiis, cum in particularibus erimus, dicemus:sed præter euacuationem per aluum, & per sudorem,aliam habemus euacuationem prętter naturã,quando aperimus venam, & volumus euacuare à toto, quod non facit natura. Particulares autem sunt correspondentes aliis, aliquando euacuamus per nares, & hæc caputpurgia appellantur: aliquando per palatum, & apophlegmatismi dicuntur: per gargarismata, & per reliquas partes corporis educimus,per scarificationẽ, per appositionẽ cucurbitularum,

ſanguiſugarum, per ſinapiſmos,per frictiones, iſta ſunt omnia genera euacuationum, tam naturaliũ,quàm quæ ſunt ab extrinſeco,& tam à caſu,quàm à propoſito. His viſis dicebamus quod in lapſu æqualitatis, in temperatura per affluxũ materiæ euacuatione indigebamus, & ſi ventriculus haberet frigidam, & humidam intemperiẽ non in proprio temperamento, & in mixtione ipſius ventriculi: quia plus ſit de frigido, quàm de calido, plus de humido, quàm de ſicco: ſed quia in ipſo membro aliquid redundat, vel ob malam rationem victus,vel ratione defluxus materiæ pituitoſæ plurimæ, ex cuius præſentia factus ſit frigidus & humidus,& actiones eius diminutę,non ita tamen vt faciant morbũ: quia tunc officiũ curatoris eſſet. Præſeruatione enim opus eſt ne cadat in morbum, & in terminum. officium verò curatoris eſt, quando eſt in termino. debet præſeruator igitur euacuare humorem illum cum euacuantibus pituitam, quæ autem euacuant ipſam pituitam, in particularibus dicemus. nunc ponimus fundamenta ſuper quæ fundentur particularia: ſi verò membrum particulare indiguerit curatione particulariter fieret,& hic aduertendum eſt, quod vbi ſit facienda euacuatio particularis non debetis

educere

educere per vasa vniuersalia, & in hoc artifices communiter errant: qui siue magnus, siue paruus fuerit tumor in pede, ad euacuationem vniuersalem, vniuersaliter currunt. vos autem debetis distinguere, si enim in corpore stante lapsu vniuersali particularis sit materia, quę foueat illum humorē, tunc euacuabitis totum corpus, nō vt euacuetis ab illa parte: sed vt remoueatis materiam, quę habet rationem causæ antecedentis, & fluxura est ad locum: sed vbi non sit materia ratione causæ antecedentis, quæ fluxura sit ad locum, non debetis euacuare vniuersaliter: quia agitabitis materiam, & augebitis tumorem, & ista sufficiant de intemperatura tollenda per affluxum materiæ, cum præseruare volumus. Oporteret nunc de lapsibus istis decidentiæ, qui sunt in compositione, & in vnitate partium dicere: sed quoniam de ipsis lapsibus sumus dicturi in parte curatiua, ne bis eadem repetamus, ad eam partem hanc considerandam dimittimus.

Correctiua pars (si rectè memoria tenetis) ea appellatur in qua lapsus est in corpore non quidē à temperatura alicuius indiuidui (quoniā lapsus ille ad partē præseruatiuā attinet) sed à temperatura & à sanitate in genere. exēpli gratia, habet quis tem

peraturam calidam,& siccam, quę est ei sanitas, & tamen operationes, quas habet, non sunt optimæ, quemadmodũ desiderat, ideo corrigere vellet eam intemperiem, pars hæc tuendæ sanitatis longæ differret à prima, quia hæc quærit operationes fortiores, præseruatio cauet ne cadat in morbum, habétque diuersos scopos, quàm habeat præseruatiua, præterea scire debetis quòd conseruatiua, est similis correctiuæ in aliqua parte, quia sicut conseruatiua non cõsiderat temperaturas per affluxum materiæ, sed eam tantùm, quæ est per essentiã, idem facit correctiua. & ratio est, quia quæ conseruat præsentem statum, conseruat eum, qui est naturalis, sed nulla intemperies per affluxũ est naturalis, quia membrum ad quod defluit materia prętet naturam, vel ægrotũ est vel incipit ægrotare, & ita conseruator non considerat intemperię per affluxum, similiter corrector qui vult reducere calidam, & siccam temperaturam ad æqualitatem affluxum non considerat, quia si adesset affluxus, deberet prius curari, exemplo eius qui habet temperiem calidam, & siccam, & febr. non debemus reducere tunc talem temperaturam, ad temperiem, sed remouere prius feb. postea corrigere, & peccarem si vellem prius intemperatu

raturam corrigere, corrector igitur affluxū non conseruat, quia res vel ad præseruatorem, vel ad curatorem pertinet, ideo corrector, & conseruator circa idem versantur, quia vterque considerat temperaturam per essentiam. non autem quia affluxum habeat. corrector præterea habet aliquā similitudinē cum præseruatore, & aliquam dissimilitudinē, quia tam corrector, quàm præseruator versatur circa correctionem lapsus. differūt autem quia lapsus remouendus à præseruatore, est lapsus temperaturæ indiuidui, lapsus verò à correctore remouēdus, est respectu æqualitatis temperaturæ in genere. præterea conueniunt præseruator, & corrector, quia vterque per opposita procedit instrumenta, vterque vult corrigere lapsum, ita oportet vt corrigant per opposita. differt etiam corrector ab vtroque, quoniam conseruator & præseruator intendunt sanitatem absolutè, corrector autem exquisitam sanitatem, & vult corrigere temperaturam quæ habet lapsum ab æqualitate, licet corpus sanū sit, ideo non est cōtentus qualibet sanitate, sed absoluta. istæ sunt differentiæ, & similitudines quas habent istæ tres partes, præseruatiua, conseruatiua, & corroboratiua. Accedamus iam ad correctiuam, &

qua arte corrigatur lapſus ab ea, & primo qua arte corrigãtur inæqualitates, & à temperatura incipiamus, quia cõſeruator eam, quæ per eſſentiam eſt, conſeruat: ideo debetis conſiderare temperaturas per eſſentiam, à qua lapſæ ſunt, verbi gratia, decidit aliquis per calidum, & ſiccum vt duo à proprio temperamento, & ad æqualitatem deſiderat reduci. Qualitatibus oppoſitis reduci debet, & exhibenda ſunt ei æqualia in gradu, vnde ſi corpus calidum, & ſiccum eſt vt duo, debet habere remedia frigida, & humida vt duo, de gradu autem ſciendo, ſuo loco dicemus qua arte ſit cognoſcendus, inſtrumẽta autem quibus id fieri poſſit, ſunt illa quæ reducuntur ad ea, quæ interius tantum ſumuntur, quæ exterius tantum occurrunt, quæ exterius, & interius, quæ nec interius, nec exterius, primo Aër applicãdus corpori in hac correctione debet eſſe frigidus, & humidus, vt duo, & debet viuere in tali aëre, non autẽ ſe exercere, quia in tali motu ſequitur calor, ex quiete frigiditas, & tanta quies requiritur, vt refrigeretur, & humectetur ad eum gradum, idem dicendum eſt de potu, cibo, coitu, & reliquis accidentibus animi, & corporis, de quibus diximus ſuprà, & in particularibus dicemus, & hæc ſatis ſint quo ad cor-

rection

rectionem temperamentorũ per essentiam. Restat circa hanc partem quomodo malæ compositiones, & malæ corporis structuræ sint corrigendæ, quæ in conformatione, numero, & situ consistunt, & quo ad conformationem partium, primo figura debita, & reliqua quæ scilicet diximus (multa enim ista correctione compositionis corrigi possunt, & multa non) circa figurã potestis quidam corrigere figuras: sed oportet pueros, vel adolescentes eligere, senes non possunt corrigi, vt si quis crura varica, torta ad vnam, vel aliam partem haberet, brachia etiam, vel caput oblongum, vel aliam haberet figuram ex dictis à Galeno secũdo artis paruæ, quæ excedunt naturalem figuram, si quis nares ampliores vel strictiores haberet, cũ sunt pueri possunt corrigi, modus autẽ corrigendi, est contorquere membrum ad oppositum, sed qua arte id fiat in particularibus dicemus.

Multæ igitur figuræ sunt quæ à nutricibus corrigi possunt, vt si aspera arteria fuerit lenis, quæ debet esse aspera, aut opposito modo, potest lapsus huiusmodi corrigi, dummodo non esset ægritudo quia tunc ad curatorem pertinet, non ad correctorem, quibus autem instrumentis superficies aspera, quæ deberet esse lenis corri-

gatur, certè non possumus superficiem oppositam applicare, quia inter eas non cadit actio; non enim superficies agit in superficiem; occurrimus igitur cum oppositis sed non cum opposita superficie, sed cum his quæ causas remouere valent, quæ faciunt asperitatem, & lenitatem, quomodo autem & cum quibus procedemus? Nullam aliam habemus methodum nisi naturam rei contemplari, contemplamur autem eam, cum causas contemplamur, causæ igitur asperitatis quæ sunt? Ipsa siccitas. lenitatis? humiditas. ergo si eam lenire volumus oportet humectare locũ exasperatum, & quia locus talis habet partes exsiccatas, quæ fecerunt crustas; quæ non possunt humectari, neque corrigi, oportet eas remouere, ideo cum humectantibus primò procedemus, vt id quod humectari potest humectetur, & fiat lenitas, & quia partes adsunt, quæ præ nimia exsiccatione humectari non possunt, quoniam factæ sunt terrestres admodum, & crustatæ, cum non possint inquam corrigi, debent remoueri cum abstergentibus. Cum quo autem volumus remouere asperitatem existentem in superficie? cum humectãtibus, & abstergentibus procedimus, quæ tamen leniter abstergant, quæ enim multum abstergunt,

stergunt, sicut sunt amara, abstergunt exsiccando, hic autem humiditate indigemus, ideo aqua hordei, & ptisana commodissima est asperitatibus, ideo Hippoc. hæc duo præmisit omnibus aliis, quia humectant, & leniter abstergunt, sine tussis prouocatione, & iam incipimus ostendere methodum. Instrumenta, diceret aliquis, quæ nã sunt? loquemur de his in particularibus. Oppositum autem quòd lenis est, & debet esse asperum, tunc cum exsiccantibus procedimus, sed non cum exasperantibus, neq; cum abstersiuis, cur autẽ abstergentibus nõ vtamur, ratio est quia locus indiget exsiccatione, nec habet partes quæ nõ possint corrigi, & tolli, quia quòd humidũ est facilè resoluitur: & reducitur ad siccitatẽ. Alius est etiam modus leniendi inæqualitatem in superficie, & hoc ad decorationẽ pertinet, sicut cum macula aliqua est in superficie, quæ à natiuitate sit, ad correctionem pertinet superficiẽ hanc decorã facere, & corrigere eam, sicut mulieres istæ, quæ à natiuitate maculas habent in facie, quas moderni stercus dæmonum appellant, quia maculæ illæ à sanguine tenui procedunt, & istæ sunt mulieres iracundæ admodum, & viri etiam sunt tales, vt facilè in atram bilem incidant, igitur in iis qui tales maculas

contr

contraxerunt, correctoris munus est corrigere. sed qua arte tolluntur, & quibus ingeniis? cum contrariis. dico autem modi à natura sunt considerandi. vnus est, vt repercutiatur materia, quia ex toto genere præter naturam est, sed quicquid est tale, debet prorsus remoueri, quia amplius non potest rectificari; maculę ergo humores habent ex toto genere præter naturam, ergo oportet remouere humorem illũ, vno modo repercutiendo, & faciendo, quòd humores in superficie existentes ad centrum retrudantur, alio modo cũ abstergentibus, & mundificãtibus. primus modus ab istis mulieribus vsurpatur quæ vtuntur abstergentibus & crassis, quæ constipant, & repercutiunt, quoniam ea quæ refrigerant, & constipant repercutiunt à superficie ad centrũ: sed modus iste non est laudabilis. secundus est laudabilis, sed quoniam abstergentia, & mundificantia inducunt à principio crustas, non tolerant mulieres hunc modum. quòd autem primus modus non sit laudabilis ratio est, quia non est vtile, vt materia mala repercutiatur à superficie, ad partes intimas, ideo malè facitis, quicunq; curatis scabiem cum repercutientibus, sed cũ abstergentibus, & mundificantibus procedere debetis. potest ergo macula corrigi apparens

parens in superficie vel cum repercutientibus, vel cum abstergentibus, & hæc est vna curatio. Sunt modo duæ aliæ partes in isto primo conformationis genere, & sunt cauitates, & meatus, isti non possunt corrigi arte vlla, qui enim habent venas angustas, vel latas, vel cauitates latas, vel angustas, non possunt corrigi, sed tantum præseruari, vt sine obstructione permaneant; corrigi minime, quia corrector tollit statum præsentem, & ad meliorem reducit. Duo igitur possunt corrigi superficies & figura præter naturam, dummodo illi sint adolescentes, in quibus figura corrigitur.

Restat modo vt dicamus quomodo corrigendus sit cum quis habet in conformatione partem superfluam, vel inæqualitatem in numero, sicut sex digitos. correctio hæc fit per abscisionem, & est munus chirurgi. si verò fuerint partes, quæ ad corruptionem attinent, alio modo poterunt corrigi, vt pili in barba, & capilli in capite, & pili in mulieribus, vbi non deberent esse, etiam quòd sit vitium naturale: modus curationis est, vt videatis naturam rei, & est vt prohibeatis pilos cum vultis, vt non nascuntur, reficiatis cum vultis vt prodeant, hæc duo ad correctorem attinent, sed quam methodum debeatis habere in animo, vt

habeatis remedia ad generandos, vel remouendos pilos, naturam rei scire oportet, & vnde pili generentur, & proculdubio vos multiplicabitis illos, vel remouebitis. remouebitis quidem remouendo causam facientem illos, generabitis autē causas perspiciendo ex quibus generentur. si ergo vultis pilos generare, oportet videre quæ sit materia pilorum, hæc autem est, vapores adusti ab ambitu totius, venientes ad cutem, qui trāseunt per poros cutis, & ibi adhærent, & concrescunt à frigiditate aeris, partes aliæ adueniunt, & impellunt primas, & illæ exeunt, & secundæ adhærent concrescuntq;, & ita procedendo, id quod cōcretum est vnitur, & tam diu crescunt quā diu habeant materiam, causa verò efficiens calor est naturalis expellens, ideo vbi causa effi ciens (calor videlicet) deficiat, vel materia corrumpatur, vel non adsit, vt in conualescentibus ex ægritudine propter defectum materiæ euaporantis, pili non nascuntur, imò decidunt, qui generati sunt. corrumpitur autem materia in morbo Gallico, in quo pili decidunt, quia materia, ex qua generantur, corrumpitur, & qui sunt validioris virtutis totum, quod putrefactum est, ad cutem expellunt, ideo non potest generari pilus, & aliquando materia il-

la adu

la adusta est, vel à morbo Gallico ita corrupta, vt non possint generari, & secundũ diuersitatem varij contingunt, ideo vel causæ efficiens, vel materia deficit. deficit autem, vel quia non adest, vel quia corrumpitur.

Si ergo vultis curare, oportet inuenire opposita: exẽpli gratia si per signa cognoscitis, quòd sit defectus caloris, si vultis generare pilos, oportet calefacere locum, cũ rebus applicitis, calefacientibus: aliquando materia redundat, quæ nõ potest facere vapores, tunc tantùm exsiccantibus vtimur, si verò ex nimia humiditate pili cadant, tunc exsiccantia omnia conueniunt, non tamẽ in omni casu pilorum, & ex hoc videtis quàm rectè curant, qui habent methodum. igitur vbicunq; casus erit propter redundantiam materiæ, quæ non possit transire in vaporẽ, vt in pueris, cum exsiccantibus procedetis: quia consumetis redundantiam materiæ. si verò putredo causa fuerit cum remouentibus putredinem: si propter defectum materiæ, vt in conualescentibus, nutrietis, & calorem naturalem reficietis. iste est modus procedendi, quoad indicationem vniuersalem: vnde postea particularia eligatis, & hęc oportet diligenter, considerare, cum volumus generare pilos.

Cum verò volumus remouere pilos, cum

opposi

oppositis procedimus, si nimius calor erit, tunc cum refrigerantibus, & repercutientibus, vt est sanguis ranarum, oua formicarum, succus cicutæ, licet quandoq; cicuta ipsa augeat pilos, vbi exempli gratia calor nimius exiccat naturam pilorum, frigida tunc adhibemus, vt contemperetur calor, & fiant pili, si materia nimia redundat, & facit ne generentur pili, tolletis materiam, & diuertetis eam ad alias partes, & ita semper procedetis cum oppositis, & causam considerabitis, quæ lapsus, & morbos faciat, & hæc etiam sunt fundamenta curationis, nec vnum potest dici, sine commemoratione alterius. Magnitudo autẽ quæ est quartum genus inæqualitatis structuræ corrigi potest, cum paruum est membrum, vel maius, quàm cõueniat, vt est prohibitio mamillarum, & vt magnificetur virga, quam etiam Auicenna docuit magnifacere. istæ igitur sunt regulæ docentes per methodum facere magnificere per attractionem multi alimenti ad locum, calefaciendo, & fricando prius locum, sed cautè procedere oportet, & aduertere ne nimis trahant, vel nimis calefaciant: quia nutrimentum attractum resolueret, & volentes membrum magnifacere minorẽ ipsum efficerent, sicut nimius motus frigiditatẽ inducit,

ducit, moderatus verò calorem, eadẽ enim res effectus oppositos producit, nimia ergo attractio, & nimia calefactio locis resoluit, & dum magnifacere quæritis, paruitatem efficietis. Moderata autem attractione facietis magnitudinem. Ex oppositis verò fit paruitas, ideo refrigerantibus, & repercutientibus vtemini, quæ materiam ad profundum propellant, & calorem optimè conficiant, & ad profundum penetrare compellant, ideo pro mamillis ne multum augeantur in puellis, & pro testibus ne nimis augeantur (cum aliqui sint qui id appetant) nihil efficacius est, quàm habere acetum, in quo lẽtes sint decoctæ, quoniam acetum refrigerat, & exiccat, & ad profundum penetrat, & occurrit eminus alimento, ne pertranseat, lentes quoq; exiccant, & penetrãt, & consumunt alimentum, ideo hoc decoctum maximè cõuenit, & Galenus in quinto de tuenda sanitate hac methodo procedit nec aliter posset facere, nec pluribus verbis opus est, vt doceat quomodo membrũ paruum augeatur, dum loquitur de corrigendis, & reficiendis membris, & dat exẽplum pueri tredecim annorum, cui crura erant gracilia, docet hac methodo trahere alimentum ad locum, moderatè tamen, & iubet vt mediocriter fricentur crura, fe-

citq; vt balneis, & alimentis conuenientibus vteretur, & hoc pacto deduxit crura illius pueri ad magnitudinem cōuenientem. in proposito igitur ita augebitis membrū, & ita minuetis.

Situs verò in nōnullis corrigitur, in nonnullis non, aliqui habent oculos vt boues, in magna distantia adinuicem, non corrigetis illos: aliqui (maximè pueri) habent pollicem nimis propinquum, vel nimis remotum ab aliis, possunt corrigi cum sunt tenelli, reducendo per opposita ad situm, & locum suum.

Reassumptiua pars vltima est, hæc differt ab aliis tribus, primò à conseruatiua: quia conseruatiua versatur circa statū præsentem, vt conseruet eum, sicut inuenit: sed reassumptiua non curat pręsentem statum, imò reducit statum præsentem ad pristinum, & indiuidualem. differt autem à correctiua: quia correctiua non reducit ad pristinum statum: sed ad æqualem in genere, à præseruatiua autem differt, quia præseruatiua præseruat à casu, neq; cadere permittit: sed reassumptiua ad pristinum statum reducit, ratione etiam finis differt corrector à reassumptore: quia corrector non est contentus sanitate simplici, sed vult sanitatem athleticam; & reassumptor contentus

tentus est sanitate sua pristina. differt etiam alia differentia propria à reliquis omnibus reassumptiua; quia reliquæ siue conseruent, vel alterent: semper vel conseruant, vel alterant qualitates, & accidentia, sola reassumptiua reficit substantiam, quod nõ attinet, neque ad conseruatorem, neque ad præseruatorem, neq; ad correctorem. His ita enumeratis, & definitis, ad reassumptiuam accedamus, neq; credatis paruam esse artem reducendi eos, qui ex morbo conualuerunt; quoniam non minor est virtus, quàm quærere parta tueri; methodus autem non erit alia, nec ab alio fine, vel termino, incipietq; à natura rei. quæ autem sit illa videamus. Quærimus itaq; ægrum reducere ad pristinum statum, & ad pristinas vires. Illi enim conualescentes non patiuntur morbum: quia iam abiuit, patiuntur tamen imbecillitatem virium, non possunt operationes exercere: quia inualidi sunt. nõ habent ergo vires, ideo refici debent vires, & hoc inuenistis via resolutiua, resoluendo rem ad sua principia. Ex natura igitur rei vidistis, quod in isto viro nihil aliud faciendum est, nisi quod vires restaurandæ sunt: sed nunquam id fiet, nisi sciamus, quæ sunt illæ vires, siue facultates, siue virtutes, quæ idem sunt. certè tot sunt,

quot operationes: sed ostendimus tot esse operationes, quot sunt spiritus, spiritus autem triplex est animalis, vitalis, & naturalis, quem calorem naturalem appellamus: ideo tres erunt virtutes, animalis in cerebro, vitalis in corde, naturalis verò in hepate. His consideratis debetis adhuc considerare in qua virtute sit debilitas, & an in vna, vel in pluribus, aliquando enim vna magis debilitatur quàm alia, aliquando duæ, aliquando omnes, ideo oportet prius videre an vna sit debilis, vel duæ, vel tres, & viso quod vna sit vel duæ, vel omnes tres affectæ, illa vel illæ erunt reficiendæ, & ita discurretis in omnibus speciebus. Ponã igitur naturalem facultatem esse debilem, non loquor de generatiua, vel de augmentatiua: sed de nutritiua, & de illis quatuor subministrantibus alimenta, quoniam alimento opus est, & tunc oportet iterum videre ex illis quatuor, quæ illarum sit debilis, an attractiua, an cõtentiua, an concoctiua, vel expulsiua. sepissime enim videbitis vnam istarum esse imbecillem, ideo oportet non solùm aduertere genera: sed etiam species istarum virtutũ, & vbi cõsiderauerimus distinctè, quæ species virtutis affecta sit, suæ parabitis remedia. hactenus scitis quid faciendũ, quod scilicet vires sint reficiendæ: sed

ſed quomodo ſunt reficiendæ non vidiſtis, & indigemus alia reſolutione. vultis igitur reaſſumere? ſi rectè vultis id efficere à natura rei id incipere debetis: hoc eſt à natura ipſa viriũ: quia omnes indicationes, & curãdi & præſeruãdi, & cõſeruãdi, & reaſſumendi oriuntur à natura rei, circa quam vultis verſari, & quia vultis reficere vires, oportet cognoſcere naturã virium. cognoſcitur autem natura virium, ex cognitione cauſarum, & principiorum: quia omnis res habens cauſas cognoſcitur, ex cognitione earum: igitur natura virium cognoſcitur ex cognitione ſuarum cauſarum, & principiorum, ergo principia cognoſcere debetis virium, non ſolùm dico extrinſeca, quæ ſunt agens, & finis, (quia hæc non faciunt ad curationem: ſed ad præſeruationem,) ſed intrinſeca principia cognoſcere etiam debetis, hæc autem dicuntur materia, & forma. Finis mouet agentem, ab agente enim incipit motus, qui ducit nos in opus, materia igitur & forma ſunt natura rei: quia natura dicitur de materia, & forma: conſideretis igitur, quæ ſit natura virium, in quo conſiſtant vires; nonne audiuiſtis, quomodo à ſpiritibus oriuntur, & ſunt in ſpiritibus? ideo voluit Hippoc. ſpiritus eſſe facultates animæ, & totam ani-

mam esse spiritus, Galenus inquit, si anima non est spiritus, saltem est proximum animæ instrumentum. si igitur ita est, quod modis patiuntur spiritus, tot modis restaurandi sunt, videamus ergo quot modis affici possunt.

Spiritus igitur possunt impediri incipiendo à genere, & diuidendo per formales diuisiones, vel propter peccatum inuentum in ipsis spiritibus contingens, vel ob prohibitionem sui transitus per membrum, siue animalis, siue vitalis, siue naturalis fuerit, potest inquam impediri spiritus in se ipso, vel quoniam suffocatur, vel minuitur eius substantia aliquomodo, vel quoniam alteratur, suffocatur spiritus, vel ab extrinseco, vel ab intrinseco, ab extrinseco potest suffocari, vel ab excessu aëris attracti, vel calidioris, vel frigidioris, vel habentis qualitatem venenosam, ab aere quidem frigido sæpe audiuimus homines qui per maxima frigora ambulauere suffocari eorum spiritus, & sicuti flammæ ignis ab occursu aeris frigidioris suffocari contingit. quòd etiam ab excessu calidioris aeris suffocetur patet, quia aliqui paucos spiritus habentes, & resolubiles ex occursu aeris balnei calidioris suffocantur, nisi citò recedant, quòd etiam spiritus à qualitate venenosa suffocetur, in

tur, in pestilentiis videmus, & contingit in speluca Puteolana prope Neapolim, si quis enim animal ponat circa eius orificiũ, suffocatur, non ex alio, nisi quia ex ea exhalat aer habẽs qualitates prorsus oppositas substantiæ spirituum, ideo suffocantur statim, & eliduntur, propterea quo ad extrinsecas causas, possunt à nimio potu, vel cibo confertim, & in magna quantitate ingesto suffocari, ideo tales sicut apoplectici, non amplius surgũt, & à causa procathartica suffocãtur spiritus, hæ sunt causæ extrinsecæ quæ possunt suffocare spiritus. Intrinsecę autem sunt, vel plenitudo sanguinis, vel multitudo aliorum humorum elidens, & suffocans spiritus. Et cognoui ego quẽdam ex sanguinis plenitudine suffocatum, & hoc voluit Hippocrates cum dixit habitus athletarum &c. inquit Galenus in commento periculosus est, quia ex plenitudine sanguinis non possunt spiritus euentari, & ita suffocantur, & hæ sunt causæ tam extrinsecę, quàm intrinsecæ, quæ spiritus ipsos suffocando lædunt. secunda verò causa lædens spiritum in seipso, est diminutio substantiæ spirituum, & hoc potest contingere, vel defectu proprii alimenti, vel ob raritatem habitus, vel texturæ difflantis spiritus alimentum, prima causa est sanguis, quia dicit Galenus secun-

dum rationem ſanguinis fieri ſpiritus à puro puros, a pituitoſo ſanguine frigidos, à calidiori & bilioſo calidos. præterea vbi deficit ſanguis, deficit alimentum ſpirituum; nutriuntur præterea ſpiritus ex aere attracto, per os, nares, & per arterias. vbicunque igitur deficit alimẽtum, ſiue ſit ſanguis, ſiue aer attractus, deficiunt ſpiritus, & minuuntur in ſubſtantia, vel quia totus habitus corporis ita rarus eſt, vt difflatur. Et ideo natura ſagax vt conſeruarentur ſpiritus, & continerentur in arteriis, prouidit, vt arteriæ duas haberẽt tunicas. Vbi ergo ex ægritudine rareſcit, & ſpiritus contineri non poſſunt, deficiunt vires, contingit autem raritas, quia muſculi reſoluuntur ex ægritudine, minuitur caro, & tandem corpus ita rarum, & priuatum carne redditur, nécnon pinguedine, & omni re quæ poteſt repercutere ſpiritus. tertia cauſa eſt alteratio, alterant enim ſpiritus extrinſeca, vel intrinſeca: extrinſeca quidem vbi aer occurrit habens qualitatem quæ reddat ſpiritus, vel calidiores vel frigidiores, vel craſsiores quàm oporteat. exempli gratia, ſi fuerit aer nebuloſus inquit Galenus in tertia ſect. primi epid. redduntur ſpiritus craſsiores, & frigidiores, & quia non poſſunt difflari continentur excrementa, & facile putreſcunt, quamobr

quamobrem inducere possunt varias ægritudines. Præterea quæ assumuntur per os, quæ habeant qualitatem nimis calidam: vel nimis frigidam spiritus alterant, vt ex assumptione opij & cicutæ fiunt aliquando ita debiles, vt restaurari non posint, ex excessu qualitatum extrinsecus occurrẽtium, & alterantium, si nimis excesserint fit extinctio, sicut in igne extrinseco contingit, si occurrerit qualitas non conueniens, si parua fuerit, alterat flammam, si magna extinguit. ita in his causis alterantibus contingit, si paruæ sunt alterant, si magnæ suffocant, qualitas etiam venenosa, si nõ fuerit magna alterabit, si magna corrumpet. putredo, si non fuerit magna, alterabit, si magna, suffocabit, præterea humores nimis crassi, vel nimis frigidi, aut flatuosi, vel sub forma vaporum, vel humorum commiscẽtur spiritibus, & reddunt spiritus frigidos, vel vaporosos nimis, vel flatuosos, & ita alterantur. quantum etiã alterentur in feb. pestilentiali à putridis vaporibus patet ex feb. illis tam sæuis. ex causis igitur tã internis quàm externis possunt spiritus lædi, siue per suffocationẽ, siue per diminutionẽ substãtiæ, siue per alterationẽ. Aliud mẽbrũ erat per quod prohibetur transitus spirituum, prohibetur autem, vel quia membrum redditur

ita intemperatum aliqua intemperie, vt non sit aptum ad recipiendos spiritus, vt in paralysi, ex sola frigiditate membri spiritus non proueniunt ad eas partes, non enim alia de causa priuatur membrum motu & sensu, nisi quia talis intemperies reddit mẽbrum ineptum ad suscipiendos quoscunq; spiritus, siue animales siue vitales fuerint. Vel impeditur trãsitus propter obstructionem meatuum, seu canalium, vbi transeunt spiritus, siue fuerit talis obstructio ex repletione humoris crasi, siue sit propter compressionem factam à membro vicino, vel ob frigiditatem stringentem, dummodo constringantur meatus ne tumescant spiritus, impedimentum fit in transitum spirituum, & ita vires membri, ad quod deberẽt venire spiritus isti, vitiantur iam habetis causam, qua possunt impediri spiritus, & ex consequenti vires debilitari, ex quibus habetis distinctam methodum reficiendi humorem, quia reassumitur ab ægritudine. diximus primò considerandum vtrum vires vnius generis, vel plurium sint affectæ, & cum deuenerimus ad vnum genus species distinguere debemus, & videre, an vna, vel duæ, vel tres sint affectæ, & vbi considerauerimus quot genera, & quot species lesæ fuerint, tunc occurremus. Modus autem occur

rendi

rendi ex causa læsionis cognoscitur, si læsio fuerit, quia in aëre calidiori, vel frigidiori sit, vt vires non possint instaurari, quia alterat nimis, vel suffocat sua caliditate, & facit spiritus nimis difflare, vel aliam qualitatem malam habet suffocantem, debet mutare aerem: ideo medici optimè consulunt, cum iubent ægris, vt aerem permutent, modo cum ratione iubeant, potest etiam esse in isto, qui fuit æger, vt vires sint debiles, & suffocatæ ex multitudine humorũ in corpore existentium, quia sæpe contingit, vt post ægritudinem corpora non sint bene purgata, ideo vires non possunt reassumi, imò recidiuam plerumq; faciunt: si igitur fuerint vires suffocatæ ob talem causam, debetis euacuare multitudinem, sed qua arte in particularibus, cum de arte curatiua loquemur, dicemus. Si verò fuerint læsi ex diminutione substantiæ, oportet videre an ab aliquo extrinseco lædantur, & si aer fuerit, mutare aerem oportet, si cibus, & potus, vt sæpe contingit, iis, qui credunt citò se conualituros si multum comedunt, & tamen magis suffocantur vires, & periculum est de ægro. vbi ergo sciueritis multitudinem cibi esse causam, debetis prouidere ne tantum comedant: si verò fuerit causa quia alimentum sit defectum, ita quòd non

sufficiat

sufficiat ad vires recuperandas, debent medici supplere alimentum, & hoc est sanguis, ideo oportet generare sanguinem. quomodo autem generatur? non aliter quàm ex cibis conuenientibus qui habent tres conditiones, debitam qualitatem, quãtitatem, & debitum modum substantię. debitam habebunt quantitatem, si ventriculum corporis alendi non aggrauabunt, signum autem quòd non aggrauant est, si post assumptionem non percipitur grauitas, quam si percipiet, nimium cibi assumpsit: quare minuere cibi quantitatem, & tandem ad eam deuenire oportet, quam posit tolerare. quòd si non potest tolerare quantitatem sufficientem ad vires reficiendas, debetis partiri vices, & offerre sæpe, & parum: prouidere tertio debetis vt cibi debitam substantiam habeant, nec nimis crassi, nec nimium solidi sint, sed facile concoquantur, & optimi sint nutrimenti, & hoc modo reficietis ægrum & spiritus redibunt ad naturam propriam si fuerint pauci, quoniam minuuntur propter longitudinem ægritudinis, inedias, vigilias, & dolores, quos passus est. quòd si macilentus sit, & carnem perraram habeat, & veluti cribrum factum sit corpus eius, tunc debetis restaurare eum, & vitare ne exerceatur, neque

motu

motu resoluatur, imò illiniatur cum re moderatè viscida, vt calor contineatur, quia cum sit paucus non indiget difflatione, & ita nutriatur, vt plus sit, quod continet, quàm quod difflatur, & resoluitur. si verò fuerint defectæ vires, quia substantia spirituum alteratur ab extrinsecis causis, & ab aëris excessu, debetis excessus remouere: si fuerit à causa intrinseca, sicut sunt humores viscidi,& frigidi nimis,vt pituita: si fuerit viscidus, incidentibus, & attenuantibus vtemur, ad digerendum, & concoquẽdum: ita tamen vt difflari non posint: si fuerint frigidi, calefacientibus pharmacis non tamen resoluentibus,vt contemperentur vtemini: si fuerint humores putridi sine feb. præparentur, vt euacuentur, & si aderit feb. in declinatione euacuabitis, ne putridi isti humores reddãt spiritus debiles, efficiantq; recidiuam: si verò fuerint obstructione vt spiritus transire non posit, sicut in obstructiones mesaraicarum, vel in quacunque alia parte, ratione quarum spiritus, & calor innatus non posit liberè transire ad coctiones faciendas, & excitandum calorem naturalem membrorum, debetis aperire obstructiones, ideo non malefaciunt medici post ægritudines, cum potiones aliquas exhibent ad aperiendum, & trochiscos,

ſcos, vt ſunt trochiſci de rhabarbaro, de abſinthio, de roſis, qui præter corroborationem membrorum obſtructiones etiam aperiant,& ex tali apertione, calor innatus, & humores diſtribuendi ad alimẽtum corporis poſsint liberè diſtribui, cum calore & ſpiritu, & hac arte procedere debetis, cum vultis aliquem reficere qui fuit ægrotans,& conſiderare, & procedere ſecundum varias cauſas debilitatis, & ita videtis, quòd ars reficiendæ ſanitatis non eſt contemnenda, & maxima pars eſt,& hoc quãtum ad tuendam ſanitatem attinet, & eam partem quæ reaſſumptiua dicitur, quæ eſt quarta pars in ordine, & ita iam omnes quatuor partes tuendæ ſanitatis ſunt declaratæ in vniuerſali, vt ſi ad particularia volueritis accedere ex fundamento iſto,facillimum vobis ſit. Reſtat vltima pars, quam curatiuam appellamus in qua verſantur omnes medici,cum propter morbos vocantur, raro autem, vt conſeruent, vel præſeruent, vel corrigant, vel reaſſumant, imò cum ſunt reaſſumendi nihil deterius illis occurrere poteſt, quàm medicus,tum propter auaritiam, tum quia credunt cum vident medicos, ſe ægrotos eſſe.in hac igitur perſuadeo vos vt exerceamini, non neglecta prima,quæ eſt ars tuendæ ſanitatis, quoniam vna eſt menſura alterius,

terius. ad partẽ igitur curatiuã accedamus.

In primis sciendum est quòd differt ars curatiua, ab ea quæ sanitatem tuetur, quia ars tuendæ sanitatis vult cõseruare, siue cõseruet, siue præseruet, siue corroboret, siue reassumat, curatiua verò habet alium scopum, videlicet vt sanitatem acquirat. hoc habito, videamus quo pacto, & qua arte, & methodo sit procedendum, ad inueniẽdam artem curatiuam vt habeatis omnia fundamenta, & verum habitum assequi possitis: & certè ab eo incipiemus, à quo principiũ capiũt omnes methodi à natura, scilicet rei. si quis ergo percũctaretur à vobis, quid esset initium, diceretis, natura rei, & scimus ab ea esse incipiendum, sed quid sit (diceret aliquis) in huiusmodi arte curatiua ignoro, sed iam initium videamus, quod volumus facere in hac parte, nónne dicimus quòd volumus sanitatem amissam acquirere? Hæc igitur sunt duo acquisitio, & sanitas amissa, acquisitio enim est vna res, sanitas alia, si volumus acquirere sanitatem, oportebit scire, quid sit ipsa sanitas amissa, & in quo consistat, & ita duę nascũtur partes: prima oportet scire q̃d sanitas, & in quo cõsistat. secũda quomodo sit acquirenda, & hęc duo verba erũt cõsiderãda, q̃ multa parturiunt. sanitas ergo amissã nihil aliud est, quã sanitatis priuatio,

uatio, ergo opposita est habitui sanitatis, & ita iam inuenimus suum oppositum habitum esse sanitatis: sed quid nam est iste habitus? nónne posuimus ipsum in quadam æqualitate? ergo priuatio sanitatis est in quadam inæqualitate, habitum autem sanitatis, quæ in æqualitate est, nónne diximus esse secundum numerum compositionum? numerum autem compositionum inuenimus esse triplicem, vna erit compositio temperaturæ in membris similaribus, secunda ex similaribus, in compositis, tertia in vnitate partium, ergo tot erunt inæqualitatis genera, correspondentia æqualitatibus. Et sanitatis amissio, & hæc priuatio inuenitur in triplici genere inæqualitatum existentium in corpore. Sed hic diceret aliquis in quo differt inæqualitas hæc ab aliis inæqualitatibus, quas docuisti, vbi loquebaris de inæqualitate in parte præseruatiua, & correctiua? differentia maxima est inter vtrasque inæqualitates; illa enim quæ attinet ad præseruationem est in fieri, & est motus alterationis, quæ non consequitur terminum, nec formam. hoc autem tantum pertinet ad præseruationem, eius enim munus est præseruare à casu, cum decidit, decidit enim in intemperaturam: sed non adhuc cecidit, sed tendit ad terminum,

præseruator autem accedit, & ne cadat prouidet, Sed inæqualitas nostra non est in fieri: sed in facto esse, est enim inæqualitas hæc, quam morbum appellamus, res facta, non fiens; & est terminus acquisitus inæqualitatis, hũc oculis cernitis in partium structura, sed antequam vlterius procedamus, remoueamus aliam difficultatem à mentibus nostris, dicet aliquis video multas ægritudines, quæ continuè fiunt sicut inflammatio pleuritis, & tamẽ morbus est, febres etiam nónne continue fiunt? vlcera quoq; & omnia ferè genera ægritudinum, quid igitur dicis morbũ esse in facto esse? respondeo, heterogenorũ, & homogeneorũ sunt diuersæ generationes, heterogenea, quæ habent partes dissimilares ita fiunt, vt cum facta sint, non amplius fieri possint, verbi gratia cum manus fit, est in fieri cum verò est facta habet formã suam, nec amplius fieri potest. ita brachium, & reliquæ partes, quæ sunt heterogeneæ, cum sunt, non generantur amplius: sed homogenea sunt vnius naturæ, & vna quælibet pars semper idem nomen habet, cum suo toto, ista quando generantur sunt, & continue etiam generantur, exempli gratia caro continue generatur, & genita est, sanguis etiam continue, & aqua, sunt & generantur, & cum

morbus ſit res homogenea, non habet partem factam, & partem futuram: quia morbum dicimus. Nonnulla hic deſunt quę à nobis hactenus haberi non potuerunt.

Ars curatiua habet tres res præter naturales cõſiderandas à curatore, cauſam, morbum, & ſymptoma, quibus tribus ignoratis non poterimus curare: quia omnis cognitio oritur à natura rei, nam natura rei indicat nobis totam ſanitatem. Verſabamur enim ſupra circa illa prima, id eſt cauſam, morbos, & ſymptomata, quæ non ſunt ignoranda, ſi volumus curare. ſemper enim oportet noſcere primam cauſam, quę ſit cauſa, quæ facit, quod efficitur, & quid ſit: nos conſideramus cauſas in generali, & quia multi dixerunt me inter loquendum incidiſſe in mentionem illarum, nec expliſcuiſſe, licet omnia de illis dicta ſint, iterum tamen ediſſeram. Dicimus cauſas in arte illa eſſe ſicut in aliis quatuor, ſcilicet finalem, efficientem, materialem, & formalem, duæ extrinſecæ, duæ aliæ intrinſecæ, deinde dicimus cauſam finalem non eſſe in arte medecinæ, & ratio eſt: quia efficiens in qualitate malum, non agit naturaliter in morbo, ſed per accidens agit, & coactè, bene omnes aliæ cauſæ ſunt in arte, & per eas ſumus curatores, ſi tamen finis capiatur

tur pro vltimo rei, sic potest haberi finis à medico: sed sic finis sumptus, vt vltimum rei, non est amplius causa, sed causæ efficientes in genere sunt, quæ alterant, deducẽtes corpus ab æqualitate ad inæqualitatem, vel sunt efficientes, quæ tamen occurrunt corpori ad intra, (repetam vt habeamus, quæ diximus suprà rectè,) causæ igitur efficiẽtes ad intra sunt sicut cibus, potus, medicamenta, & omnia similia indebitè sumpta, quæ faciunt morbum in corpore, vt si quis assumat medicamentum, vel cibum, quem nõ debet sumere, vel in tempore non debito, vel in maiori quãtitate, cibus ille habet generare morbos intra corpus, idem dicimus de potu indebitè sumpto, ꝙ faciat morbum in corpore, qui peccat in tribus, aut qualitate, aut quãtitate, aut substantia. causæ efficientes, quæ tantum exterius occurrunt corpori sunt, vt balnea, frictiones, & similia, ista deducunt corpus ad inæqualitatem, & causant morbos in corpore, & tamen extra accidunt. aliæ sunt causæ efficientes, quæ & extra, & intra accidunt, sicuti est præcipuè aer, qui secundum variam eius naturam alterat, & extra & intra, & sic secundum eius mutationẽ fiunt in corpore multę inæqualitates, quę deinde mutãtur in morbos, aliæ

deinde sunt causæ quæ nec intra, nec extra adueniunt, & sunt affectus animi, ira, motiones, coitus, & etiã nimius somnus, & vigilia. istæ sunt causæ quæ causant inæqualitatem in corpore: quia sunt partim intra, & partim extra, & sic ista sunt omnia quæ habentur in genere causarum, quæ causant morbos, quæ à Græcis dicuntur procatarticæ, à nobis autem primitiuæ. Sunt etiam aliæ causæ efficientes morbos, & sunt causæ materiales, quarum vna dicitur materia in qua, alia dicitur materia ex qua, materia ex qua est sicut sunt humores varij, qui generantur in corpore. Ex quibus deinde fiunt morbi, secũdum dispositionem, vel qualitatem peccantem, vel quantitatẽ, vel propter putredinem ex qua sunt qualitates interminatæ, & dicimus quod certo gradu existunt in corpore ex quibus generatur morbus, & sunt quidẽ materia: quia Plato in Philebo inquit, quòd omnia corporea sunt mixta ex finito, præter primum ens, & addunt philosophi naturales sunt mixta ex potentia, & actu: habent igitur isti formas interminatas, deinde terminantur, & fit morbus, materia verò in qua, sunt membra recipientia morbos, & indispositiones, & secundum diuersitatem istius, morbi etiam sunt varij, ac diuersi, & huiusmodi

modi materiæ sic se habent. de his autem in particulari dicemus, forma autem in genere morbi est vltimum ad quod peruenit inæqualitas, & est etiam dispositio facta impediens ipsas operationes, hoc facit ipsa forma. diximus etiam quòd finis, vt est causa, non consideratur ab artifice medico, sed mittamus iam causas istas: quia quicquid diximus hucúsque in præsenti lectione, est residuum lectionis superioris. quamobrem ad id quod reliquum est accedamus, tria sunt proposita scitu necessaria curatori, primum sunt causæ efficientes in genere, secundò morbi, & de his loquendo heri non diximus, tertiò sunt symptomata. inueniamus modo primum, quod est propositum, id est materiam morbi, deinde pergamus dicere de eius natura. Certè clarũ est quòd morbus opponitur sanitati, & est inter ipsos eadem proportio, quæ est priuationis ad habitum, nam sanitas nihil aliud est quàm ipse habitus, morbus autem est priuatio ipsius sanitatis, ergo opponuntur in qualitate. Diximus suprà quod triplex erat genus inæqualitatis. inæqualitas quæ est in temperamentis est duplex, sicut duplex genus temperaturarum, vna per essentiam, alia per confluxum, per essentiam habetur per diuisionem, scilicet quod sunt tan-

tum nouem, vna dicitur esse merè æqualis; quia stat sine excessu aliquo, aliæ octo dicuntur inæquales, quoniam vna qualitas superat aliā, vel duæ iunctæ simul superant alias duas, vt videbimus. & sic fiūt quatuor inæquales simplices, & quatuor compositæ, quæ dicuntur inæquales respectu primæ, quæ est merè æqualis, tamē in se etiam istæ octo sunt æquales, circa hanc partem curatiuam habemus considerare inæqualitatem tantum, non de æqualitatibus, ergo æqualitas nullo modo potest esse morbus, sed inæqualitas dicitur esse morbus, at æqualitas dicitur esse ipsamet sanitas. Diceret quis quomodo dicuntur inæqualitates in ista parte curatiua, & in præseruatiua? dico quod alio modo consideramus inæqualitatem hic, & alio modo ibi, nam ibi sumpsimus inæqualitates, vt sunt in via ad lapsum, & ita non sunt morbi, hic tantum consideratæ sunt, vt termini, & indispositiones præter naturam, vt inæqualitas calidi & sicci est inæqualitas præter naturam, in toto genere, & de his nunc dicimus, & huiusmodi inæqualitates sunt tātum octo, nec plures, nec pauciores, quoniam alio modo non possunt combinari plures. si volumus has habere, oportet earum naturam cognoscere, qua cognita poterimus deinde cur

de curare. oportet ergo habere causas causarum, potest enim fieri caliditas in corpore augmento per quantitatem, vel qualitatem, & non est alia diuisio circa hæc, quæ faciunt calorem in corpore, nisi quod augetur, vel quantitate, vel qualitate. si quantitate augetur, vel augetur substantia, vel miscetur caliditas cũ aliquo extraneo magis calido, & sic augetur calor magis. ergo augetur calor in corpore, quandoq; etiam substantia ab alimento, à cibo, potu, & ab attractione: quia materia auget substantiam, huiusmodi omnes quantitates possunt augeri substantificè, ideo medicus curaturus, hoc cognoscere debet augmentum quomodo fuit, & quod fiunt istæ suffocationes caloris, etiam in quibus sunt habitus athletarũ. dicebamus quod etiam suffocatur calor propter nimiam substantiam caloris, ergo augmentũ huiusmodi auctum per substantiam est habendum à curatore, vel quandoque augetur quantitas mixtione alicuius caloris extranei magis calidi in corpore, vt accidit de humoribus putrescẽtibus in corpore humano, qui humores putridi in corpore mixti cum spiritibus generant calorem putridum, ex quo deinde fiũt febres putridę, vt dicemus suo loco, de differentia febrili. potest etiam caliditas augeri

secundum qualitatẽ multis modis, & quot modis? vel augetur qualitas cum calor contrahitur, & vnitur, vel cum trahitur in angusta loca tunc augetur valde inæqualitas, vt fit apud Germanos in suis cellulis, vel cameris, quotiescunque obturantur meatus loci illius, vbi adsit magnus calor, tunc magis augetur inæqualitas; quia constringitur in seipso, nam si talis calor esset in loco amplo, vtputa sub aëre, difflaretur, & disperderet se, vt si in aëre magnus ignis esset, & augeretur, non ita calefaceret ille ignis aërem: sed si ignis est in loco angusto, & obturato, bene calefaceret, & sic augebitur calor in qualitate. augetur etiam calor in qualitate quando approximantur corpori calida, aut approximamus extrinseca, vt sunt balnea calida, quæ calefaciunt valde, & augetur calor, sic etiam calida ad intra augent calorem in qualitate, etiã si stemus sub sole, & sic ratione harum causarum augetur calor in corpore secundum qualitatem, augetur etiam adhuc in corpore per calida ad intus sumpta, vt si medicinę sumuntur habentes qualitatem calidam, & ista qualitas caloris longe differt ab ea miscella vaporum putridorum in quantitate: quia ista caliditas augetur tantum, & non putrefacit corpus, illa

verò

verò caliditas in quantitate cum mixtione vaporum putridorum auget, & putrefacit corpus, & fiunt febr. putridæ. tertiò etiam motus magnus est causa quòd calor augeatur, quia excitatur à motu magno, patet in exercitationibus, si quis valde laboret, fit sudor extra corpus: quia excitatur calor ab exercitio, & sic fit multus calor in qualitate, excitatur enim secundum qualitatem, & vidistis iam quot modis, deinde quomodo augentur in quantitate cum substantia, & sine substātia, & cum mixtione vaporum putridorum. istæ sunt omnes causæ sciendę à curatore, vt sciat quomodo calor augeatur, & quomodo fiant inæqualitates in corpore. sunt etiam corpora calida in quibus fiunt inæqualitates ex causis superius dictis, scilicet à caliditate secundum qualitatem vel quantitatem. Sed causæ frigoris sunt quæ inducunt inæqualitatem in corpore calido, & frigiditas sic facit morbū, & istæ causæ sunt penitus oppositæ. fiunt enim vel tollendo caliditatem à corpore, quomodo per frigiditatem tollitur? quia fit resolutio. sed quomodo fit resolutio? fit exsiccando substantiam propter defectū alimenti. quomodo deficit alimentum? quia deficit sanguis, vel propter inediam longam fit resolutio, & sic deficit

ſanguis, iſta exiccant calorem naturalem immoderatè, ideo fit in eo reſolutio. Etiam motiones animi cauſant reſolutionem caloris, vt eſt ira, nimiæ euacuationes, & præcipuè coitus, qui habet reſoluere ſpiritus, inationes quoque. & hæc omnia præter naturam ſunt cauſæ, ex quibus deperditur calor naturalis, ad quam reſolutionem deficit alimentum, ergo & ſanguis: ſi ſanguis deficit, nihil amplius remanet de calore, ergo corpus frigeſcit, & ſic fit inæqualitas ergo & morbus, ſic etiam ſi corpus ſumat cibum frigidum, reſoluitur calor in corpore, poſtea etiam laxitas habet reſoluere calorem, nam vbi eſt locus rarus in quo ſit aer apertus, & poſſit diffiari, locus ille fiet frigidus, ſic eſt dicere de calore naturali in corpore, ſi corpus fuerit rarum, vt accidit in longis ægritudinibus diffiatur calor, & corpus fit frigidum, & ſic inæqualitas producitur in eo, ergo & morbus. laxitas ergo eſt cauſa quòd reſoluitur calor naturalis in corpore, aliquando etiam fit reſolutio caloris à malo vſu, vt à balneo frigido. iſta eſt prima cauſa quæ inducit frigiditatem, quando quantitas caloris minuitur per reſolutionem. quandò fit frigiditas per ſuffocationem caloris; fit quando impeditur motus caloris, ne poſſit euentari, tunc

tunc suffocatur ipse calor,& eius substãtia, & fit frigiditas intensa, vt accidit in somno nimis longo, cum somnus lõgus faciat frigiditatem: quia habet ligare calorem,& nimia quies, vel animi, vel corporis,& retentio excrementorum,& constipatio vaporũ, omnes istæ causæ habent suffocare calorẽ, ac si inclusus esset in cubiculo, deinde suffocaretur ex subita actione materiæ aduenientis subito, ac repente, per causam ad extra, vt à cibo, vel potu, vel ab aliqua causa interna, vt à sudoribus. iam dixi quomodo inducatur frigiditas in corpore ad resolutionem caloris,& fit inæqualitas,& sic oritur morbus, modo dicamus quomodo fiat frigiditas in corpore, alio modo fit frigiditas in corpore per alterationem caloris, vel à causa exteriori, vt ab aere nimis frigido, vel à causa interna, vt sunt medicamenta frigida, vt est opium, mandragora,& soporifera multa,& caueatis ne habeatis soporiferum propter appetitum, quia multi huiusmodi soporiferis vtuntur,& infrigidant multum, ideo decipiuntur non considerantes qualitates eorum. cum ergo ab his inducatur frigiditas, ideo caueatis, deinde sunt multa cibaria quæ inducunt frigiditatem, vt est lactuca, portulaca; & nimia acida, quia alterant calorem, & sic alte

ſic alterando calorem inducitur frigiditas in corpore, ergo & inæqualitas. cauſæ verò facientes ſiccitatem quæ ſunt? ſunt vt reſolutio humidi, fit autem talis humidi reſolutio, vel à putredine, vel quando deficit alimentum in corpore, quia exſiccatur corpus, tunc deficiente alimento, quòd eſt ſanguis, vel propter defectum potus, iſta eſt reſolutio humidi quia peccat alimẽtum. alio etiam modo propter cauſam aduenientem extra fit ſiccitas, vt quando calor multus eſt extra reſoluendo humiditatem per accidens, ſicuti ſunt balnea in quibus eſt exſiccandi vis, motus quoq; animi, & corporis poſſunt facere exſiccationem, & reſoluere humiditates. omnia iſta habent exſiccare, præterea omnia quæ ſunt ſicca reſoluunt humiditatem. hæ ſunt cauſæ quæ ſiccitatem inducunt, ergo & inæqualitatem, & ſic fit motus, cauſæ verò quæ faciunt humiditatem ſunt, vt retentio humidi, ſubſtantia humectans, humiditas excremẽtorũ. oriuntur iſta propter nimium ocium, & propter nimium ſomnum, præterea omnia extrinſeca retenta præter naturam faciunt corpus humidum, propter adiectionem ſubſtantiæ, & qualitatis, vt quando exterius corpus verſatur in aere frigido, & balneum tepidum humectat corpus, & ſic corpora

hume

humectantur per qualitates ad extra. quæ verò interius humectant sunt vt humectantia cibaria, medicamenta humida, humectatur autem corpus per substantiam humidi, quando nutritur corpus ex humido. istæ sunt omnes causæ quibus corpus fiat calidius, frigidius, siccius, & humidius, & aliæ non sunt causæ nisi istæ. ex complexibus causarum habemus complexiones affectuum, si sumas modo alias causas simul implicatas, vel caliditatis, vel frigiditatis, vel humiditatis, vel siccitatis, etiam aliæ erunt duæ causæ implicatæ simul, quæ superabuntur ab his, & sic fient etiam aliæ quatuor inæqualitates in corpore, quæ debent dici compositæ. habetis ergo omnes inæqualitates existentes in corpore, & quot sint: Et vbicunq; erit inæqualitas in corpore præter naturam, aut erit in parte corporis, aut in toto corpore, & non poterit esse nisi vna istarum octo, quas superius diximus. dicet quis, quare dicis hoc? nónne omnia sunt apud Galenum nota? respondeo quòd non est quicquam noui, sed sunt Galeni omnia, quæ dico, quia si dicerem noua, essem dignus reprehensione: ideo fateor me dicere quæ dicit Galenus, sed clarè, & distinctè, quæ ab ipso dispersim posita sunt in suis operibus, nihil aliud dixi nisi

quòd

quòd ibi dicit Galenus diffuse,ideo ea aliter explico,& breuiter ista sint dicta de inæqualitatibus.

Sciendum est autem quod quatuor sunt internæ virtutes vnicuiq; membro administrantes quarũ prima est attractiua, secunda retentiua,tertia verò alteratiua,& quarta expulsiua. quæ omnes sunt subministrantes,ergo scire oportet eas rectè,stante hoc quòd in omni membro sint quatuor istæ virtutes,& cum in corpore sint tot membra diuersa habentia diuersas temperaturas,& facultates,aliæ oriuntur ex his bonæ,aliæ verò malæ.vt cum sit plus de sanguine in membro aliquo,quàm oporteat,& membrum illud sit validum,ac robustũ,& membrum aliud sit debile, membrum quidem validum expellet illum sanguinem superfluum , & illud membrum debile recipiet illum,qui est factus excrementum.quædã etiam sunt membra ita debilia,vt non possint expellere illa excrementa recepta à mẽbro forti,ad alia membra,& talia excremẽta multiplicantur,in his membris,& membra sunt facta vt excrementa expellantur, nam aliqua excrementa subtilia euacuantur per vrinam,alia magis subtilia per sudores expelluntur & vapores insensibiles.cũ verò corpus habet in se excrementa,& va-

sa fa

sa facta ad hoc,vt expellantur,& euacuent corpus,& non faciunt hoc satis, quia non expellunt propter sui debilitatem,vel aliquod membrum reperitur ad quod omnia excrementa expelluntur à membris fortibus,contingit hac de causa,vt fiant fluxiones in corpore,quæ dicuntur intemperaturæ per affluxum,& sic si debent istæ fluxiones fieri,oportet quòd sit membrum validum quod expellat,& quòd sit membrum debile quod recipiat tale excrementũ,quod ab eo alibi trãsmittitur,post modum si huiusmodi influxio fieri debet opus est viis per quas deducantur hæc excrementa ad extra.quatuor ergo sunt requisita,primum oportet quòd sit membrum fortè,deinde quòd sit materia excremẽtosa,deinde quòd sit membrum debile. Vltimo quòd sit via apta per quam exeat tale excrementũ.Quibus stantibus quatuor fieri poterit influxio,& ista quatuor deseruiunt omnibus fluxionibus,& affectibus. Accidit autẽ quandoq;,quòd fluxiones sint incurabiles:& hoc fit quando aliquod membrum sit ita debile quòd non solùm habeat recipere excrementum ab alio membro valido,sed etiam quòd non posit concoquere alimentum ad illud delatum,ergo in eo redundant excrementa per cruditatem facta,quoniam si

illud

iſtud membrum nihil operari poteſt, ergo in eo cauſabitur influxio quæ vix poterit curari,& hoc multotiens accidit in illis, in quibus oriūtur deſtillationes, quæ quidem deinde habent cauſare mortem. Hæc ſint ſatis dicta pro hac re. habetis igitur omnes morbos factos in temperamētis. Qui morbi in complexionibus ſine materia ſunt octo, facti etiam per affluxum ſunt octo, ergo in totum ſunt ſexdecim, omnia ergo ſunt dicta. Hucuſq; dixi vnum genus, reſtant modo duo genera declaranda, quæ breuiter expediam. In compoſitione qui ſint lapſus, diximus in de præſeruatiua parte, nec in toto iſto loco habemus multum curare inæqualitates, quæ ſunt in compoſitione, ſed conſiderare debemus de inęqualitatibus quæ pertinent ad hanc partem curatiuam, ideo non multum dicam de illis: quia ea ad chirurgicos pertinent, licet aliquo modo etiam ad phyſicos, ſicuti curatio obſtructionum, quæ à phyſico curari debent. diximus enim ibi qui eſſent lapſus, & aſsignauimus eorum cauſas,& in cauitatibus,& in meatibus, in quibus fiunt obſtructiones. Dimittamus pro nunc quæ ſunt neceſſaria pro ipſa compoſitione.

Quantum autem ad tertiū genus, quod dicitur, Solutio continui, duas habet cauſas ex

ſas,extrinſecam, & intrinſecam.extrinſeca habet omnes cauſas,quæ fieri poſſunt ab extra,vel cõcidere,vel impellere,cũ iſtę cau ſæ ſint violétę ſoluere poſſunt cõtinuitaté, & cõtiguitatem membrorũ. Quantũ verò ad cauſas intrinſecas euenientes,ſunt vt humor peccans,vel alterans ex quibus fiunt inflammationes,quæ ſunt propter malam materiæ multitudinem , ex qua deinde fit diſſolutio,ex qua deinde fit acrimonia,vel in cute trãſiens ſit morbus formicans:Quãdoq; fit etiam quòd multitudo illa materiæ,& acrimonia reperiuntur ſimul.& tunc generantur vlcera cum magna corroſione, quæ nunquam ſanantur:quia ibi eſt multitudo materiæ, & acrimonia corrodens, ſiue in oſſe ſit,ſiue in neruis, ſiue in carne,& iſta attinent ad particularia documenta, de quibus in ſecundo huius tractatur.

Tertium quòd conſiderandum eſt ſunt proprietates,& affectus morborum ſcilicet ſymptomata ipſa.dicebamus ſuperius oſtẽdendo quomodo ſymptomata oriuntur ab operibus læſis,& in tumoribus, & doloribus,cum operationes præter naturam correſpondeant operationibus naturalibus.ſuperius diximus operationum genera eſſe tria,& diximus de eorum operibus ſecun-

dum naturam, quas si sciemus habebimus & suas oppositas operationes, quę sunt pręter naturam. Quantum verò ad causas quæ conferunt ad cognitionem operationis læsæ, aliæ sunt immediatæ, sicut sunt morbi, qui faciunt læsas operationes, & morbi fiunt à causis vt diximus. quòd morbi fiũt à causis, qui deinde morbi faciunt operationes læsas, ergo morbi erunt causæ immediatæ læsarum operationum, quoniam inter operationes, & causas, cadit morbus ipse. habetis ergo omnia facientia ad præternaturalia, si enim volumus facere sanitatem oportet habere omnia ista necessario. Vbi stat sanitas amissa, quæ sunt tria vt diximus, causæ morborum, & morbi ipsi, & symptomata oportet modo habere genera huiusmodi.

Vt doceamus quomodo varientur ægritudines in genere, deinde dicamus de his in particulari. & videbitis quantum erit vtilis ista methodus vobis tradita. His cognitis oportet habere modum, quo possimus ad cognitionem curationis accedere. Si volumus scire talem modum, oportet scire naturam rei, & hoc videre poteritis per resolutionis rationem, vt superius dictum est, necesse est ergo scire naturam morbi, quam habere nunquam poterimus, nisi etiã

habea

habeatur sanitas, quæ est æqualitas ipsa, ergo æqualitas est habenda, & cum æqualitates multæ sint, oportet videre quot sint, ex quibus oriuntur operationes, ergo operationes habendæ sunt, quæ oriuntur à compositionibus, quæ compositiones tres sunt, ex quibus fiunt tres æqualitates, quas habere non possumus, nisi per ipsam compositionem id est per tẽperaturam, quæ temperatura habetur per similaria, quæ similaria habẽtur per membra disimilaria. Ideo non possumus cognoscere sanitatem, & tẽperaturam nisi prius cognitis his omnibus. cognoscimus igitur operationes corporis incipiendo à temperatura, per quam venimus ad similares partes, deinde ad disimilares, deinde ad membra particularia, cum suis operibus, quæ sunt per eam, & æqualitatem. Habitis istis, habetis etiam quot sint inæqualitates præter naturam cum suis causis, ergo ista sunt necessaria ad curationis partem. Videatis ergo an iste discursus sit præter naturam, nam multi dicunt me docere attinẽtia parti theoreticæ, & nõ practicæ, dico quod hæc non pertinent præcipuè ad theoreticam, quia si docerẽ theoreticẽ, dixissem omnia pertinentia ad theoreticã, dico igitur quòd si volumus curare, hoc facere non possumus nisi habeamus natu-

ræ notitiam, eo quia omnis medicatio oritur à natura rei, & hoc non tantùm est necessarium in hac arte, sed in omnibus artibus, & cùm ars sit habitus cum ratione factiuus, vt docuit Philosophus ethicorũ sexto; si volumus hanc artem curatiuam assequi, oportet prius rationem habere de ea, quia si aliter, non fieret cum ratione indicatio, nam si natura rei habebitur in vniuersali, sic etiam habebitur indicatio, si autem natura rei habebitur in particulari, similiter erit indicatio ipsius, & quanto magis cognitio naturæ rei erit in particulari, tanto etiam magis erit indicatio in particulari, cum actio stet circa particularia: si possemus habere indicationem particularium, magna esset dementia ea relinquere, & amplecti vniuersalia, cum omnis nostra intentio sit vt sanetur indiuiduũ. Si possemus facere hoc, nunquam vniuersalia consideraremus, si particularia curare possemus sine vniuersalibus: sed hoc non possumus facere, cum ars sit habitus cum ratione, ergo oportet prius scire vniuersalia, tum etiam quia proprietates, & passiones, & symptomata sunt infinita, & de infinito nulla sit scientia: ergo non possemus illa habere, nisi sub modo vniuersali, quod quidem vniuersale omnia amplectitur: quia aliter si curamus

ramus particularia oportet casu ea curare,& nō ratione:& ideo antiqui omnes boni medici,quorum vnus fuit Hippocrates circa vniuersalia versati sunt in curando,& hoc vt redigerent artem cum ratione ad particularia,cum quis ergo cognoscit vniuersale stare cum particularibus,tunc sciet artem ipsam in particulari approximare, etiam ad gradum,quæ curatio melior est, quam quæ curat tantùm particulare.Ideo in hac nostra methodo videbitis quomodo procedemus,& sic euadetis cito medici perfecti. Incipiamus modo exequi, quod sumus pertractaturi,cum cognoscimus vniuersalia in arte stare cum particularibus indigemus natura rei,quæ est multiplex.

Incipiamus igitur distinguere,nā morbi omnes habentur per suas causas, cum suis effectibus, primò sunt cognoscendæ causæ,deinde affectus, postea operationes. ex quibus etiam habetis multa distincta, quibus cognitis cognoscetis tunc perfectè naturam singularium, ergo habere oportet per naturam ipsam causas, deinde effectus, & operationes, quibus habitis, Notandum quòd quinque sunt indicationes requisitæ ad morbi naturam habendam. Quid sit ergo agendum considerandum est primò, Quantum agendum,

Quomodo, Vbi, Et Quando. Hæc scilicet ergo seruantur in omnibus artibus. oportet modo omnia ista diuidere,& quomodo sanitas sit acquirenda videre. Discurramus in hoc per causas formales,& efficientes, deinde per effectus. causæ efficientes sunt, quæ sunt extra rem componentes & facientes rem, tamen non sunt partes ipsius rei, neq; effectus: sed tantùm sunt causæ, quod sint illi effectus. cum igitur ita sit, possunt esse effectus, & si non sit causa, & stet effectus cum deuenit ad suum terminum, si autem effectus non sit sine causa, recedente causa destruitur effectus etiam: sed morbus est res facta, ita quod stat sine suo effectu causæ efficientis, ex quo ita se habet vt factus sit, & non amplius efficiatur. Nos quærimus causam non vt tollamus morbum: sed ne augeatur, curamus ergo vt alleuietur morbus: indicat causa quid agendum sit, & est præcipua hæc in parte præseruatiua, nam in parte ista curatiua curamus morbum, & non præseruamus, eo quia istarum partium scilicet præseruatiuæ,& curatiuę opera valde distant: quia lapsus in curatiua dicitur quando est factus, & non est amplius in fieri: quia iam acquisiuit terminum suum, & dicitur morbus, at lapsus in præseruatiua dicitur quando est in via ad morbum, id est

est dum fit, & nondum est, quem causa efficiens potest tollere: sed in curatiua lapsus tolli nequit, bene alleuiari potest, & sic talis indicatio est habenda à præseruatore, vt habetur à Galeno in therap. dicente à causa (scilicet efficiente) in præseruatiuis est indicatio, & non in curatiua. Indicatio igitur in præseruatione est à causa, exemplum in feb. habetur febris putrida, ex qua fiunt vapores putridi, & eleuantur. quibus eleuatis permiscentur cum spiritibus, accedo ad ægrum, & dico est tollenda feb. ipsa quando tollitur, curamus ne tunc ægrum? an præseruamus? dico quod tunc præseruamus, & non curamus. Patitur febrem æger, ergo feb. est tollenda, hoc est præseruatoris: quia præseruator tunc remouet putredinem à spiritibus, vt inde putridi humores expellantur, ideo tantum curat causam efficientem, & non materialem propriam. Quod autem tantum præseruetur à feb. illa, & non curetur, hinc patet. Nam putredo tollitur cum aperientibus, & exiccantibus, quæ faciunt febrem, ideo indicatio sumpta à causa efficiente pertinet ad præseruatorem. Hæc sint dicta de causa efficiente, nam indicat tantum efficiens quid agendum sit, & tantum facit operationem spectantem ad præser-

uatorem: Causæ vero materiales, quæ nam sint, superius diximus, quæ sunt duplices. Alia enim dicitur materialis ex qua, alia in qua, causæ materiales ex quibus adhuc duplices sunt, aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ. corporeæ sunt vt humores putridi ex quibus generantur febres. Incorporeæ verò dicuntur qualitates interminatæ, sumentes deinde gradum, & terminum à forma. ergo ad curatorem causarum, quæ corporeæ sunt pertinent, cum fiat diuersa & varia indicatio à causis, ex quibus causæ corporeæ faciunt indicationem curandi. Vt ista febris debet remoueri. per quæ debet remoueri? per euacuationem, & non per alterationem, sit apostema in corpore, pendeat à materia calida, materia faciens hoc apostema est humor calidus, ergo debet euacuari: materia ergo vel causa materialis corporea, ex qua (cum faciat morbum) pertinet ad curatorem, & indicat euacuationē, causa verò materialis ex qua, quæ est incorporea, quærit non euacuationem, sed alterationem, vt est in feb. hectica, vbi est materia ex qua incorporea, id est caliditas cum siccitate, forma hæc est caliditas illa quæ putrefacit materiam, & ista materia cum sit in potentia ad morbum, indicat alterationem, cum sit alterata caliditas, ergo quærit

alterat

alterationem scilicet frigefactionem, nam contraria contrariis curantur, cum ergo ex huiusmodi qualitate calefiat, debet curari cum suo opposito. Febres ergo putridæ corporeæ cum euacuatione curantur, quæ autem sunt incorporeæ, cum oppositis alterantibus. propterea patet quod causa efficiens, & omnis causa materialis, vel corporea, vel incorporea quid agendum indicant, & sic in hoc ista tria contrariantur. Differunt autem, quia causa efficiens pertinet ad præseruatorem, causa autem materialis, aut corporea, aut incorporea ad curatorem attinet. Quæ duæ causæ materiales inter se etiam differunt, quia causa materialis corporea sibi vendicat euacuationem, causa autem incorporea quærit vt alteretur. Hæc omnia post paucos dies exercebimus, & examinabimus circa ægrotos, iam declarauimus materiam ex qua corpoream, & incorpoream. Materia verò in qua quid est? subiectum in quo consistit morbus, vt si sit cerebrum, vel hepar membrum in se continens morbum, dicitur materia in qua, & ista non indicat nobis quid agendum sit, sicuti aliæ supra, efficiens scilicet & materialis ex qua, indicat ista quomodo, & Vbi agendum sit, ergo ista duo dicunt, quomodo, & Vbi. dicat quis cum

sit vna res, & vna materia, quare dicit duo? Dico quod varius est modus considerandi ista duo, ideo habet indicationes varias: quia membrum est considerandum secundum suum situm.& tunc facit vbi agēdum, vel operandum sit: quia vbi membrum erit morbosum ibi erit operandum, ideo sic est considerandum Vbi, si vero considero membrum cuius sit naturæ, indicatio ista habet quomodo sit curandum, vt si sit inflammatio in cerebro, vel in hepate, longe aliter curatur inflammatio in cerebro quàm in hepate,& ratio est, quia subiectum vel materia in qua, facit varias indicationes, Vbi & quomodo sit operandum. ergo duas dicit indicationes, vna ad situm pertinet, altera ad naturam, & operationem membri quomodo sit operãdum in membro, ista omnia aliâs dicemus. Reliquum est dicere de forma, scilicet quæ sit causa formalis mixta, scilicet terminus morbi vltimus, vt si caliditas & siccitas in duobus gradibus sit facit feb. ephemeram. Hic requirũtur duo caloris gradus. ad feb. verò hecticam requiruntur quatuor gradus caloris, fiunt enim varij termini sub causa formali cum tamen omnes formæ nuncupentur.

Causa igitur formalis corporea, vel incorporea semper est terminus ipsius morbi: quia

quia terminus facit morbum esse, & in facto esse, quæ forma est dispositio facta præter naturam, à qua fiunt operationes læsæ, vt si sit feb. putrida, calor ille ignoratur qui cunq; sit, vel in duobus gradibus, vel in tribus, ab eo fiunt operationes variæ, secũdum suos gradus, & ista formalis causa, vel est incorporea, vel est corporea, vt dicitur de febribus hecticis, & de ephemeris, quę habẽt tantum materiam corpoream, cum certo gradu, tamen alius est ephemeræ gradus, alius est hecticæ, ratione quorum graduum diuersorum, alia dicitur hectica alia ephemera. Ephemera enim habet tantum duos gradus caliditatis, hectica quatuor. Vna istarum potest tantum inflammare ipsos spiritus, alia etiam membra, hoc volui dixisse, quia isti gradus, in his febribus sunt diuersi, si diuersi ergo & eorum operationes erunt diuersæ. ab hac causa non habemus aliam indicationem nisi quãtum agendum sit, & hoc fit ratione lapsus, debemus enim in hoc tantum occurrere cum contrariis, quantum fuerit ille lapsus, siue magnus, siue paruus fuerit, causa ergo formalis indicat nobis quantum agẽdum sit. cum igitur hoc ipsum non ignoremus, opus est tamen medicamentorum qualitatem determinare, quod est omnium in arte nostra difficillimum

mum. Et si hoc possemus scire, reliqua omnia in medicina essent facillima, nõ enim est difficile procedere ad morbum in aliis indicationibus, res tamen ista difficilis est, si ergo possemus limitare istud quantum, omnia essent facilia, sed non possumus acquirere hoc, nisi cognoscamus formam: sed nulla forma cognosci potest, nisi per effectus, & per signa. ideo scientia illa coniecturalis esse dicitur, ergo non est certa scientia. Si enim vultis etiã scire gradus istius quanti, oportet vt habeatis, quid sit sanitas. Sed sanitas non potest haberi nisi per formam indiuidui, & forma indiuidui non potest haberi nisi per formam vniuersalem, ergo forma vniuersalis est habenda, si volumus habere indiuidua. cum autem particularia sint infinita, ergo & eorum formæ sunt infinitæ, ergo per se non possunt haberi, ideo necessarium est quod habeamus primò methodum vniuersalem, vt deinde posimus applicare vniuersalia particularibus. Circa istum cursum vniuersalem laboraui hucusq; , solum vt docerem quomodo sint applicanda vniuersalia particularibus, id est Analogismum qui est syllogismus vniuersalis. Ideo in hoc facimus analogismos applicando vniuersalia particularibus. Dico ergo quod ars ista solum est, vt sciamus

quantit

quãtitatem remediorum metiri: quia tunc operari sciemus, si non, ducitur ægrotus ad mortem. causa ergo formalis est illa, quæ dat totam indicationem quantum agendum sit, & si nõ esset talis indicatio in causa formali ars non esset longa, ergo causa formalis ea est, quæ facit artem longam, nam cognita natura morbi, habemus statim illam materialem quæ sit: sed hoc non sufficit: sed oportet, vt sciamus metiri medicamenta quantum possumus, etsi ad amussim hoc nec disci, nec sciri posit, & ideo in hoc ars dicitur longa, & vita breuis. à causis ergo formalibus sumitur indicatio quantum agendum sit, & sic iam à nobis de omnibus causis dictum est, & quid indicant. de finali autem dico, quod non habetur in arte medica, & suprà rationem dixi, quare non consideratur à medico, causa est quoniam causa efficiens in arte ista est violenta, & non naturalis, ergo nec finis consideratur: quia causa finalis presupponit efficientem, quæ cum sit Violenta, est etiam mala, ergo nec finis hic consideratur, consideratur effectus qui sunt necessarij, sed qui sunt isti? sunt humores, morbi, & symptomata quædam, non omnia, & quandoque non semper, deinde tempus est necessarium, habendi ergo sunt isti tres affectus

circa

circa curationem, qui habent indicationes distinctas, deinde quare morbus sit longus, & malignus. Ita omnia malignitatem indicant, contrariam benignitati: deinde dolores necessario sunt sciendi, & syncopæ, & similia. ista omnia indicant morbum, & quomodo agendum sit, nam alio modo agimus vbi morbus est malignus, alio Vbi benignus, alio modo Vbi sunt symptomata, alio Vbi non sunt. Quantum verò ad motum morbi, nos considerare debemus ipsum duplici modo. Aut consideramus motum in tempore, Aut consideramus motum in alteratione. cum tempore quidem, vt quãdo morbus vel citò, vel tardè terminatur, vel quando statim mouetur, vel lentè à principio. Quandoque autem consideramus motum morbi cum alteratione, vt quando vel tardè, vel cito concoquitur, differt enim quia coctiones facit diuersas, sed si non fiant coctiones, & sit tempus prope, tunc non expectamus, sed oportet curare ipsum morbum. Ita motus morbi sunt, qui indicant quando agendum sit, vel non, sumpto tempore, pro motu morbi, vel pro alteratione, semper tempus est habendum. Habetis ergo indicationem quid agendum ab efficienti causa, & à causa materiali ex qua, vel corporea, vel incorporea, indicationes

tiones autem quomodo, & vbi habentur à materiali causa in qua; indicatio verò de quanto, sumitur à causa materiali, corporea vel incorporea. Tempus verò indicat quando sit agendum. Et sic sunt quinque indicationes necessariæ ad curatorem. Sed quia reperiuntur indicationes magni momenti, Videndum est vtrum possimus agere, nec ne. Hoc autem est prudentis signum. Et sciendum est primum, num illud quod tentatis sit possibile, nam tunc debetis agere: si verò impossibile nequaquam, quia est magnum dedecus aggredi opus, & illud non perficere; ergo oportet vt videamus quando sit agendum, vel quando non, si nos habuerimus indicationem sciemus tum agere, tum etiam prædicere an possimus, vel non, assequi finem. tum etiam sciemus dicere quia non possumus sanare, ergo oportet vt habeamus indicia agendi, vel non agendi, & quando agendum, & quando non. non autem habere ex præcepto & iussu. dicit Galenus non dicimus hoc fieri debere ex tyrannide, id est vi, vel iussu, sed ratione, nec dicam vt iurisconsulti, nolo facere hoc, quia nolũt leges, sed dico inquit Galenus esse agendum ratione. Quomodo ergo scire possumus quando agere debemus, vel non? hoc à natura habetur, si circa corpus

pus agere intendimus, oportet vt habeamus duo, scilicet causam efficiẽtem, & materiam, vel instrumentum in quo medicus operetur, cum ista duo sint valde necessaria, ergo si agere debemus, oportet scire causám efficientem, & materiã circa quam agitur, & in hoc conueniunt ista duo, quòd ambo sint necessaria. Videamus modo quid possumus agere, & quid non, Et primò ab efficientibus causis. causæ efficientes sunt duæ, natura scilicet & instrumentum. Quid est natura materiæ? natura materiæ est sanguis, humor bonus, caro. Versantur ista circa naturam materiæ. Instrumentum verò qd est? Est calor innatus, & spiritus omnes. instrumenta autem medici interius sunt, cibus, potus: instrumenta extrinseca sunt incisiones. phlebotomiæ. Dicemus modo quòd in omni arte, & in omni curatione ista duo sunt habenda, scilicet efficiens & materia, hæc cum habebitis scietis modum curandi. Quando enim dicimus posse agere, vel non, hoc fit duplici de causa, vel quãdo deficit potestas, vel quando instrumentum. Et tunc si agere volumus malè operamur, ergo cum deficit efficiens, vel materia siue instrumentum, agere non valemus. Quandoque tamen in hoc accidit, quòd materia sit præcipua in agendo, & medicus minister

minister, quandoque autem opposito modo, sed raro, videlicet quòd medicus, vel agens sit principalis in agendo, & materia sit ministra. Materia tunc est causa præcipua in agendo, Vbi est maior virtus paranda in sanitate acquirenda, tunc agimus primò materia ipsa, & tunc materia est causa prima sanitatis. In oppositum autem quando agimus in curatione, tunc medici, & instrumentum est causa principalis. Vt si volumus generare carnem in vulnere, tũc materia est principalis in agendo, quia generat carnẽ, materia faciens carnem est sanguis, nos verò ibi nihil facimus, nec generamus, nisi quia ministri sumus & in sanando illud membrum, & eius vires restituendo.

Medicus vero primus est, aliquando vt si quis patiatur asperitatem oculorum propter pilos, ex qua fit inflammatio oculorum, materia tunc non potest defendere illos pilos, sed ad hoc opus est instrumento medici, & tunc medicus est propria causa, & vbi fit luxatio membri, materia non potest pellere illum morbum, sed medicus est ille qui statim succurrit, & in pristinum locum, atque situm restituit. præterea potestis ea quæ medicus facere, sed non quæ natura, vt quando æger habens ita corpus aridum, & siccum, vt non adsint nisi ossa, &

cutis, & in eo non sit calor, adeo quòd si præbeas cibum, effluat, & similiter de medicamento quòd effluet, (in tali enim corpore nulla est operatio naturæ) vanum est ibi laborare, & agere, quoniam causa efficiens deficit, si ergo prima causa deficit, non potest induci sanitas, similiter si materia deficit, vt si auferatur aliqua pars corporis, vt puta nasi, vel ossis illam reficere non potestis, quia deficit materia, quoniam talia membra genita sunt ex semine, ergo si operari debemus oportet quòd adsit causa materialis. Deficit autem medicus propter suam ignorantiam, vel inexperientiam eius, quòd non scit operari, sunt enim multæ operationes ab antiquis scriptæ, quas ipsi fecerunt, tamen nullus medicus hoc tempore audet eas facere, quia sunt difficillimę, & multi antiqui ausi sunt auellere inflationes aquarum ad extra, sed nemo istorum medicorum audet talia facere, vel propter ignorantiam, vel propter istarum operationũ difficultatem. Ergo istud remedium est imbecillimum ex parte medici. Hæ sunt causæ quare operari non possumus, hoc pertinet ad indicationem quãtum possumus operari. Non possumus operari quando etiam materia & instrumentum adsunt, sed non licet, propter mul-

tas

tas circunſtantias, nam aliæ ad intra, aliæ ad extra eſſentialiter ſubiecto adueniunt, ad intra, vt temperaturæ, ætates, motus animi. Quandoque fit vt tenui diæta vti debeat, & licet inſtrumentum, & materia adſit, tamen non poſſumus, quia habemus tale corpus ſanandum in quo non poſſumus operari ratione ſuæ temperaturæ. Quæ eſt vel in parte corporis, vel in toto: in parte vt qui habent ventriculum debilem, ita vt facilius poſsit in ſyncopem incidere, ſi ei mittatur ſanguis, vel fiat clyſter. ideo cauete iſta facere, & ſi neceſſaria ſint, quando natura, & temperies corporis id negat. quia ſi traheretis ſanguinem efficeretis ſyncopem. Iſta eſt cauſa ad intra quæ prohibet ne poſsimus circa ægrũ operari. Vt ſi accidat te mederi puero, qui ſit inter ſeptimum & quartũdecimũ annum, in quibus nõ poteſt fieri phlebotomia, & ſi ſit neceſſaria, quia ætas illa prohibet, quia eſt reſolubilis, & multum quærunt alimentum, ideo ſi mitteretur, reſolueretur, nec poſſet puer nutriri. hoc idẽ accidit in ſenibus poſt ſexageſimum vel ſeptuageſimũ annum, in quibus non eſt facienda euacuatio, & phlebotomia quoniã hæ cauſant viriũ imbecillitatẽ, & ſi neceſſaria ſint, tamẽ reſoluuntur vires, iam facta reſolutione virium nõ po-

test amplius induci sanitas. Tertio motus animi est causa quòd operari non possumus. Nam multi sunt qui habent naturam bonam, tamen habent motus animi, & prohibet ne operemur, vt si sit necessarium trahere sanguinem pro sanitate reducenda, & quia illi motus sanitatem negant, ideo sanguinem non mittimus, imò cauete ab his, quæ supra dicta sunt de temperatura, vel ætate omni, vel animi motibus. Ista indicatio est sumenda à nobis. Aliæ etiam sunt indicationes quæ sumuntur ab intra, vt quãdo aliqua mulier est prægnans, oportet quandoque vt euacuetur, tamen tunc nõ euacuamus, sicut Hippo. quinta particula Aph. 30. si mulieri prægnanti sanguis mittatur, tunc enim fit in ea abortus & mors, & tanto citius quanto fœtus fuerit maior, ideo in huiusmodi casu nõ debet mitti sanguis, postea si menstrua fiunt superflua, non debet mitti sanguis, deinde si sunt hæmorrhoides, non est facienda euacuatio, quia nimium resoluit. Et sic accidunt multa inconuenientia, quæ prohibent ne fiat operatio à medico, & si necessaria sit, & ideo indicant ista omnia quid medicus agere debeat. Quæ verò ab extrinseco eueniunt, sunt sicut aer, nam si habetis ægrum qui sit mollis, est aduertendus aer, ne sint calores æstiui,

æstiui, vel nimium frigidi, quia si sic tunc non possumus in illo corpore agere, similiter & regio est animaduertenda, ne sit multum calida, vel frigida, ideo scire debetis regionis rationem, cum impediat sæpe, ne fiat operatio necessaria in ægro, consuetudines etiam considerandæ sunt, nam aliqui sunt, qui bis in die comedunt, alij ter, alij quater hos non debemus tantum semel in die reficere, sed plus: quoniam propter inediam debilitantur virtutes. deinde qui solitus sit in sanitate parum comedere, & in ægritudine dabitis multum de cibo, fiet suffocatio spirituum in illo. ostendimus ergo hac indicatione quomodo agendum sit, quantum, & quando, quæ indicant quæ sint agenda, & quæ non, & vidistis ex quibus locis sumantur indicationes.

Et ita docuimus, vt iam inuenerimus per viam resolutionis causas suas, sed quoniam versamur circa particularia & ob id artifices sensibiles appellamur, oportet cogitare causas morborum, sed in particularibus, id facere non possumus: quia particularia per sensus notificantur, causæ autem non cognoscuntur per sensum, quia vniuersales sunt, sed ab intellectu tantum percipiuntur. causę ergo latent sensibus, ideo per signum euidens & apparens sensibus procedere

dere debemus ad causarum cognitionem, & iste affectus deprehensus, cum signum sit particulare & sensui apparens, excitat sensum, postea refertur ad intellectum, & ab ipso concipitur, deinde comparat ipsum ad causas latentes, & facit analogismum, quę est relatio quędam particularis ad vniuersale, & concludit particulare, & fit demõstratio à signo. Istud igitur quòd repræsentatur intellectui cum sit particulare in indiuiduo apparens, & affectus dum apprehenditur ab intellectu, comparat ipsum causæ recognitæ iam ab intellectu, sub modo vniuersali, & recognoscit eum dependere à causa, & memoratur à signo illo, & ex tali rememoratione fit scientia, itaque causam occultam cognoscitis per exterius apparens, & cognoscit causam esse in illo indiuiduo, prius tamen in vniuersali ab intellectu cognoscebatur, exempli gratia, cognoscitis naturam ignis, & cognoscitis in ipso hanc proprietatẽ, quòd emittit fumum, lateat ignis in aliqua parte, cognoscitis quidem ignem, sed non ibi existere, sed emergit fumus, quo percepto à sensu, cognoscitis ibi ignem adesse, ita faciunt signa apparentia sensui, ita deprehensa à sensu: per deprehensionem enim hanc cognoscitis in corpore esse affectionẽ illam, cuius

cuius proprium est signum illud, hinc apparet vtilitas, & necessitas signorum, quia vniuersaliter non cognosceretis rem occultam, & talis est necessitas non absoluta, sed suppositionis: quia si haberemus notitiam morborum per sensum, sicut in morbis extrinsecis manifestè apparentibus contingit, non quæreremus signa: ideo Auicenna non posuit signa eorum, & Galenus de internis affectibus, & morbis ponit signa. Hactenus de necessitate, & vtilitate signorum, quantum spectat ad vniuersalem speculationem. cum ergo necessaria sint signa necessitate suppositionis, vnde hauriemus ea? & à quibus fontibus? Vt caput habeamus eorum sub certa methodo, Debetis scire circa hoc, quod signa sumuntur ab affectibus, & passionibus, siue accidētibus, siue symptomatibus, quæ sequuntur morbum. Quia diximus tria esse præter naturam consideranda, causas, morbos, & symptomata: quia symptomata sunt ipsamet signa, nec differunt nisi per relationem quandam, fons autem à quo eueniunt, sunt operationes læsæ, ex quibus subsequuntur cætera accidentia, quomodo autem dicantur signa, & passiones dicemus. Passiones quæ sequūtur morbos, sicut vmbra corpus, dicūtur signa, prout referuntur

ad aliquid indicandum, & tot nominibus variantur, quot variantur relationes. Exempli gratia si accipiam hoc symptoma, vel affectum, & referam ipsum ad essentiam morbi præsentis, & vellem indicare essentiam morbi præsentis, appellatur indicantia, & repræsentantia, si verò eosdem affectus referam ad præteritas causas efficientes, vel procatharticas, dum habemus talem relationem, appellantur rememoratiua: quia nobis rememorare faciunt præterita. si vero referantur ad euentum morbi futurum, & inde vellemus scire euentum morbi futurum, appellantur prognostica, siue præuisiua, & ita sub diuersis relationibus istimet affectus dicuntur signa indicãtia, rememoratiua, & prognostica. Si vero istimet affectus, & passiones per aliam diuisionem referantur, relationes accipiunt alia nomina, si enim referantur ad morbum, ita vt dum referuntur ad morbum, vellemus habere exactam notitiam morbi, & affectus isti, & passiones necessario sequantur morbum, nec possint apparere, nisi sit ille morbus, dum fit hæc relatio & propriè ad causam suam, quibus positis ponuntur causæ, pathognomonica appellantur, id est indicantia perpetuo affectionem, ita vt positis illis ponatur morbus,

bus, & ista sunt in pleuritide illa quinque signa, quibus positis ponitur necessariò morbus, vt sunt difficultas anhelitus, febris continua, tussis, pulsus serrinus,& dolor pungitiuus. vbi inquam sunt ista quinque necessario ibi est pleuritis: quia ista ita collecta sunt pathognomonica, id est necessario adhærentia, indicantia affectum quem pleuritidem appellamus. vbi inquam affectus isti talem habent relationem ad morbum, vt istis positis ponatur morbus pathognomonica dicuntur, si vero referuntur, non vt significant morbum: sed quandam conditionem, puta magnitudinem, vel declinationem ad vnum, vel ad alium locum, non autẽ essentiam ipsam, familiaria tamen morbi, appellantur synedreuonta, id est asidentia: quia videntur asidere morbo, tanquam familiaria, non tamen in essentia sunt. Exempli gratia sputum in pleuritide, non est necessarium, vt posita pleuritide ponatur sputum: quia multæ sunt pleuritides sine sputo, & multi etiam sine sputo moriuntur, indicat autem mores morbi,& asidens appellatur, si etiam apparet dolor circa furculas, vel circa hypocondria, hæc non sunt de essentia morbi, plerunque autem consequuntur, & conditiones morbi ostendunt. Tertia relatio

tio est quando nos comparamus eosdemmet affectus, quos symptomata appellamus ad morbum, non vt sint familiaria, vel ostendant essentiam morbi, nec conditionem aliquam, sed referuntur ad mutationem aliquam magnã, & sunt propriæ mutationes, sicuti subitus vomitus, fluor sanguinis narium, subitus effluxus per intestina, per hæmorroidas, per sudorẽ, hæc appellantur epiphænomena, id est post apparentia, & ita habetis omnes relationes, quæ faciunt diuersam nominationem illius rei. Quia semper sunt symptomata: sed aliquando indicantia, aliquando rememoratiua, aliquando prognostica, aliquando per aliam relationem, aliquando synedreuonta, aliquando epiphænomena, & hæc satis de relatione symptomatum, quæ per tales denominationes signorum habent relationem, & eorum varia nomina. Cum verò omnium istorum symptomatũ, quæ per relationem dicuntur signa, fons sint operationes læsæ, videndum est quomodo operationes læsæ sint fundamenta omnium symptomatum, quæ postea erunt signa. Quod operationes læsæ sint fons omnium præter naturam, quæ apparent in corpore, patet: quia, immediatè quod morbus est, sequitur operatio lęsa, ita quod propria

propria passio essentialiter inhærens morbo est operatio læsa, imò ipsa ingreditur diffinitionem morbi. Est enim morbus (vt inquit Galenus in primo therap. & in primo de causis morborum & accidentium) dispositio prȩter naturam à qua immediate sequitur læsio operationum, ideo quantum sit intrinseca ipsi morbo ex hoc videtis: quoniam ingreditur diffinitionem. cum ergo ita sit annexa læsa operatio morbo, merito post morbum fons est operatio læsa. Præterea via doctrinæ, nónne innata est nobis via vt à notioribus incipiamus? Sed id quod manifestum in ægro est, est actio læsa, nec ipsa vnquam fallet, præterea videmus quod vnquam apparent reliqua symptomata, nisi appareat operatio læsa, sit operatio læsa in hæpate, & hepar non concoquat succum, primò oportet vt sit hæc operatio læsa, postea accidentia sequuntur, & antequam sit hæc operatio læsa, non apparet symptomata. primum est fluor alui, secundum materiæ liquidæ cruentæ, vt lotura carnis, vrina pallida, fusca, alba, pallor postea, & albedo intensa (ex priuatione sanguinis) per totum corpus apparet, præterea tumor, & liuiditas in toto, & cachexia ita subsequitur: sed primò præcedit operatio læsa, ita quòd si non esset illa, non

appar

apparerent alia,& ita operationes læsæ sunt fontes signorum. Ex hoc est, si volumus methodum vniuersalẽ exercitare, oportet operationes læsas videre, de quibus iam diximus. Sed qua arte operationes læsæ videndæ sunt? Facillima via est, nam vbicunque accedetis ad ægrum cognituri ægritudinem, debetis primò deuenire ad cognitionem læsarum operationũ,& incipere à genere,& in species diuidere,& videre an vnũ genus, an plura læsa sint, postea videre species,& scire an vna, vel plures læsæ sint. Vidistis supra, quemadmodũ docuimus operationum tria esse genera, primum dicebatur operationum animalium, secundum vitalium, tertium naturalium,& ostendimus ex ipsa methodo, non posse esse nec plura, neq; pauciora. oportet ergo primo videre quod genus lęsum sit, animalium, vitalium, an naturalium, & an omnia, vel plurima, & stare in genere. Diximus enim operationes animales quasdam in cerebro, & propter cerebrum quasdam, neq; in cerebro, neq; propter cerebrum esse, ita etiam de vitalibus diximus aliquas esse in corde,& propter cor, aliquas nec in corde, neq; propter cor, à corde tamen dependere. Et dedimus exemplũ de cerebro,& diximus quod operationes, quæ sunt in cerebro,& propter cerebrum

rebrum sunt tres, imaginatio, intellectus, & memoria: sunt enim in cerebro, & sunt propter cerebri perfectionem. Quæ verò nec in cerebro sunt, neq; propter cerebrum à cerebro tamen dependent, sunt quinque sensus, qui non sunt in cerebro, sed in suis instrumentis, quædam motiuæ, & hæ non sunt in cerebro: sed in neruis & musculis. Quę verò in corde sunt & propter cor, constantia, & vigor ad vindictam, & ad iracundiam, ista enim fiunt ex optima temperatura cordis, & propter conseruationem cordis, operationes verò nec in corde, nec propter cor sunt, perpetuus fluxus caloris à corde ad alias corporis partes, & pulsatio arteriarum. Et hoc volui dicere: quia vbi videbitis operationes læsas, statim debetis videre an ex illis sint quæ sunt in ipso, & propter ipsum: in cerebro, vt imaginatio & reliqua, ex hoc scietis in cerebro læsionē esse. Vbi ergo vna istarum læditur, vt intellectio, necesse est dicere læsionem esse in cerebro, quod ita non est in aliis, quæ nō sunt in cerebro, nec propter cerebrum. Vbi oculus, vel sensus tactus sit læsus, non est necessarium dicere, ergo in cerebro est affectio: quia tunc non recipiatur virtus, quæ à cerebro procedit. cum autem feceritis hanc diuisionem, oportet deuenire ad species speciales

cialis

cialissimas,& quo ad operationes cerebri, quæ non sunt in ipso,nec propter ipsum,similiter quæ non sunt in corde,nec propter cor,videre an motus, vel aliquis ex sensibus,vel pulsatio arteriarum sit læsa,aut calor,qui à corde diffunditur,non diffundatur.Et videre quæ species ex istis læsa sit, de virtutibus etiam naturalibus subministrantibus idem facere debetis,& videre an attractiua,an contentiua,an alteratiua, vel expulsiua sit læsa,& vtrum vna,vel plures læsæ sint.Hæc sunt consideranda antequàm ægrotos curare aggrediamini, vbi habetis quot sint actiones læsæ,& quibus debetis occurrere,& oportet primo videre hoc, postea quomodo lædantur, aliter nihil scietis.

Possunt autem tripliciter lædi in genere,vel enim auferuntur penitus, vel diminuuntur, vel corrumpuntur, id est operatio fit,sed peruersa, & habet ignorantiam prauæ dispositionis: ideo oportet videre an operatio sit ablata, vel diminuta,vel corrupta,sed si diminuta fuerit actio, vel ablata,(vt ab ea incipiamus)oportet videre quid significet istud.Est autem actio diminuta cum oculus malè videt, vel malè brachium mouetur,aut ventriculus malè concoquit, dicitur ablata,cum nihil penitus

nitus concoquit. Oportet igitur videre quę sit ægritudo faciens hoc,& quid iudicetur per operationem istam lęsam. Indicat enim nobis rem, quam non videmus oculis: sed quomodo comparabimus ré rei, attendite.

Nascitur cognitio ista ab eo, à quo etiam medicina oritur, quæ oritur à Philosophia, & est sua filia, considerantur ea, quæ sunt à philosophis considerata, quæ scilicet sint ea quæ faciunt operationes læsas, vel diminutas. Diminutio vel. ablatio caloris causa est istorum, quia calor causa est omnium motuum horum inferiorum, causa autem sistens motum est frigiditas. Si ergo diminutam, vel ablatam esse operationem videmus, necessariò est frigiditas, vel sola calorem tollens, vel cum materia calorem suffocans, est igitur necessarium concludere vbi videtis in membro actionem diminui, vel auferri etiam dicere, ergo hic est frigiditas: sed quoniam potest esse sola, vel cum humiditate, vel cum humore imbibito in membro, vel similari, vel instrumentali, id est in vasis de meatibus membri repletis illo humore, quo fit vt spiritus vitalis pertransire cum calore, non posit,& ideo sequitur diminutio, vel ablatio operationum. Indicat igitur diminutio, vel ablatio, frigiditatem, vel solam,

lam, vel cum humore, vel à materia imbibita in similaribus membris, vel in compositione membri meatus, & vasa replens, & transitum caloris, & spiritus impediens, & alimenti. cum ergo diminutio, & ablatio indicent hæc omnia, quomodo discernemus ea, & differentias? dicam statim regulam ponens, si prius de correctione operum duo verba fecero. Vidistis quomodo diminutio, & ablatio frigiditatem significent nec differant nisi quia diminutio fit à maiori, ablatio verò à maiori frigiditate, verbi gratia, frigiditas vt duo, minuit, vt quatuor, tollit.

Dicimus verò operationes esse corruptas, quotiescunq; fit quidem operatio, sed corrupta, vt stomachus concoquit quidem, sed corruptè, assat enim vel adurit, oculus videt, sed videt nebulas, & obiecta quæ non sunt extra, intellectus intelligit, imaginatio imaginatur, sed corruptè, & non sicut oportet, significat autem operatio corrupta oppositum, quòd diminutio & ablatio, caliditatem scilicet vel solã, vel cum siccitate, vel cum humore calefaciente, & erodente, & excitante, & hoc habemus ex philosophia ipsa, quia caliditas est causa operationum, & vbi erit temperatus calor, ex singulis temperaturis corporum conueniens, secundum

cundum ęqualitatē iustitię, sequuntur operationes secundum naturam, si verò fuerit excedens quanto magis excedens fuerit, tāto importunior, & virtus non poterit regere instrumentum illud, quia non est instrumentum conueniens, sed igneum, non regulatum à natura, & ideo fiet actio corrupta, & propterea vbi videbitis corruptionem actionis, dicetis ibi excessum esse caliditatis, & humiditatis redundantiis, & erodentis, tunc enim est humor erodens in membro, cum adest vel humor amarus, vel salsus excitans naturam. Dicetis vos quomodo sciemus differentias omnium, tam minutionis quàm ablationis, & corruptionis? Dabo vobis regulam vnde sumetis distinctionem. loquor in genere non in specie, quia sicut diximus operationes læsæ fontes sunt, à quibus omnia accidentia sequuntur, & variæ operationes læsæ varietatem in morbis ostendunt, ita varij effectus operationum, ostendunt causarum varietatem. Differentias verò & loca omnium reliquorum accidentium ita sumetis. Vbi sunt læsæ operationes necessariò accidentia corporis mutantur, & primò quæ excernuntur à corpore, mutantur, & vbi prius quæ per secessum, per vrinam, & per alias corporis partes excrementa erant in æqualitate de-

bita, vbi operationes læsæ sunt, alui excrementa, & reliqua omnia mutantur, vel in quantitate, & plurima, vel pauciora sunt, vel in qualitate, & in substantia, & iste est primus fons accidentium sequentium operationes læsas, immutatio scilicet exeuntiũ, pro ratione loci affecti. reliqua accidentia sequuntur secundum ordinem prædicamẽtorum. Circa qualitatem sunt plurimæ mutationes in corpore. Incipiamus à corpore, & à pasionibus, vel pasibili qualitate. in hac specie qualitatum contingunt (post operationes læsas) mutari qualitates sensibiles, & obiecta sensuum, & primò colores, qui erant secundum naturam, læsis operationibus mutantur, & ideo aliquis fit nimis rubeus, vel nimis pallidus, & scitis quòd vbicunq; est color rubeus, quòd indicat dominium sanguinis: pallidus, priuationem indicat, stando in vniuersalibus, semper ergo colores primo immutantur operationibus læsis. præterea qualitates, quæ sunt obiecta auditus mutantur, & percipitis sonum in intestinis, & auribus iudicabitis varios modos læsarum actionum & operationum. Ex obiecto odoratus etiã, nónne ratione fœtoris in humoribus putrescentibus, & per aluum exeuntibus, per nares, vel per vrinam, varias putredines, &

circa

circa illas partes affectus indicabitis? Quātum ad qualitates, quæ sunt obiecta gustus, maximum indicium humoris prædominant's habetis, cum saporem acidum, amarum, salsum, acerbum, vel astringentē percipitis, iudicantur enim his saporibus varij humores, tunc enim scitis acidum esse humorem, & insipidum in pituita, in bile amarum. Ex tactu quoq; ex calore percepto vel frigiditate, vel dolore apparente in aliqua parte corporis habetis indicia maxima discurrendi varietates morborum. Circa verò qualitates secundas, naturales potentias, vel impotētias, vbi durities, asperitas, lenitas, raritas, densitas apparebit, ex his habitibus varios affectus arguetis. Quātum verò attinet ad figuram multum refert. Videbitis enim sæpe tumorem rotundum, vel in forma pineali arguere & indicare, vel tumorem longum laxum, & ex tumore circa ventriculum apparente, & longitudine eius, vel cum transuerse se habeat, vel rectè, vel obliquè, cognoscetis an vētriculus sit qui malè habeat, an musculi, præterea circa quantitatem debetis cōsiderare an nimis tumidum, vel nimis arefactum, ex tumefactione multitudinem humoris, ex arefactione, priuationem caloris concoquētis. Præterea circa motum maximam ha-

betis differentiam in motu, sæpe enim percipietis & ægri referunt, humorem agitari, & moueri de parte ad partem, & citum vel etiam aliquando tardum habere motum, ex qua velocitate, & tarditate scietis differentiam læsionis, & naturam morbi, & ex fontibus istis habebitis naturam morborum, & notitiam ipsorum. ista sint dicta de signis indicantibus quæ sunt ipsæmet operationes, quæ sequuntur morbum. Istímet affectus sunt signa prognostica, si sumimus ab ipsis relationem ad euentũ morbi. exempli gratia si considerabitis aliquod genus operationum, & accidẽtium, & læsionis magnitudinem, & magnitudinem symptomatum, & comparabitis cum corpore affecto, pronũciabitis de futuro, num æger succumbet, vel liberabitur, ex qualitate, & quantitate, horum symptomatum si postea cũ his aggregabitis dies in quibus excrementa exeunt, & hæc apparent, in quarta, vel septima, vel decimaquarta, si inquam hęc omnia considerabitis, non tantùm artem prædicẽdi habebitis, sed scietis etiam diem, & horam, de quibus latius à Galeno in libris de crisibus, & diebus decretoriis disputatur.

IOAN



IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VEronensis medici in primum librum Galeni ad Glauconem.

*

EXPLANATIO.

QVOD non solùm communem omnium hominum naturam à Glauco, sed & cuiusq; propriam nosse medicus debeat, & ab Hippocrate olim traditum est, & à nobis in ipsis artis operibus (vt nosti) studiosè obseruatum.



ROGATVS (vt superius dixi) à Glaucone Galenus vt sibi medendi arté compendio scriberet, prius, quàm opus ipsum aggrediatur præfatione imprimis quadam vtitur, & prudenter in ea præmonet de nonnullis quemadmodum necessaria sunt, & inquit, tu petiisti quidé vt traderem tibi methodum vniuersalem, qua artem docearis curandi ægritudines, aduerte, quia & si sciueris methodum exquisitè, ad exercendam ta-

men artem circa particularia non eris idoneus, quia non tantũ sufficit scire methodũ vniuersalem, imò opus est in particularibus versari, si rectè curare debeamus. In quibus verbis habemus hanc conclusionem, quòd methodus vniuersalis non est sufficiens, sed requiritur cognitio particularium. hanc cõclusionẽ probauit auctoritate primò, deinde inductione & experimẽto. & hæc est prima pars præfationis. At dicet quispiam si particularia sunt ita necessaria, cur conterimus tempus in vniuersalibus? & cur statim non doces, quomodo circa particularia debemus nos exercere, omissa vniuersali methodo? ostendit Galen. in secũda parte vniuersalia non minus esse necessaria particularibus, imò sine cognitione vniuersalium, frustra nos laborare in particularibus, & cõcludit quòd si volumus esse boni medici, oportet scire vniuersalia particularibus cõiungere id est rationem sensibus adiungere, ita cum ars sit habitus recta cum ratione factiuus, & actio sit circa particularia si cũ ratione agere debemus vniuersalia particularibus iungere oportet id est rationẽ sensibus. hoc voluit Galen. in tota præfatione. Declaro primam partẽ, cũ vellet hãc cõclusionem probare, methodum vniuersalẽ non sufficere ad artem curãdi, proponit maiorẽ, & in

& inquit, non sufficere medico vt naturam communem cognoscat, sed oportet vt particulares cognoscat vniuscuiusq;, at si hoc scire debet, cum naturæ particulares in indiuiduis sint, indiuiduorum autem non est scientia, imò nec scribere, nec imaginari possumus, vt dicebat Arist. primo Ethicorũ circa finem. & cum methodus sit circa vniuersalia tantum, & non possumus exercere artem sine cognitione particularium: quæ non cadunt sub scientia, ergo sequitur quòd methodus vniuersalis non sufficit, sed oportet scire particularia, quę sensu, & per experimenta sciuntur: sequitur ergo quòd & si habeamus vniuersalem methodum, & nesciamus exercere circa particularia, & componere vniuersalia cũ particularibus, quòd propterea non sumus medici. maiorem illam probat auctoritate Hipp. primò, & inquit istam ipsius esse sententiam, deinde suo probat experimento, quia didicistis & vos, qui mecum ita exercitati estis, deinde subdit cum sit necessarium cognoscere particulares naturas, huiusmodi autẽ naturę particulares nec scribi, nec dici posint, cum sint infinitæ, infinitũ verò sciri non potest ergo &c. quod autem infinitũ sciri non posit, & particulares naturę necessariò cognosci debeãt, probat ratione euidẽtisima, & inquit,

certum est si volumus morbos curare, & versari circa particularia oportet habere has circunscriptiones agendi, vt sciamus quid, quomodo, quantum, & quando, & vbi agendum: si ergo ita sciri debeant, & nulla possunt sciri, nisi sciantur particulares naturæ corporis, ergo si hoc probabimus, oportebit quòd naturę particulares sint cognoscendæ. Probat autem hoc, sed antequã de probatione aliquid dicamus, oportet vos scire, quòd totum hoc proœmium à nobis virtute probatum fuit, quando dixi quinque conditiones esse attendendas semper in omni actione, nec posse perfectè fieri, nisi sciamus Quid, quomodo, vbi, quando, & quantum, quæ ab Aristotele optimè fuerunt declarata in libris Ethicorum: habuistis præterea id quòd dicimus, quid agendum, indicari à natura rei agendæ, hoc est à causa efficienti, & materiali ex qua, tam corporea, quàm incorporea, & declarauimus quo pacto & diximus cum ex aliquo humore, vt ex causa coniuncta generatur ægritudo, indicatur quid agendum, vt euacuandum, à causa verò efficiente esse præseruandum, à causa materiali ex qua incorporea indicatur quid, scilicet alterandum, quia scilicet hic adest excessus caliditatis, & siccitatis. ostẽdebamus præterea quomodo

ex

ex materia in qua, (quam dicebamus esse membrum recipiens dispositionem) indicari primo, quomodo agendum: si consideramus membrum quo ad propriam naturam, si verò consideramus quo ad situm, indicat vbi, id est, quo in loco sint applicanda remedia. dicebamus præterea quomodo à forma terminãte ipsam ægritudinem indicatur quantum. Exempli gratia, qualitas in terminata caliditate, & siccitate, indicant quid agendum, id est refrigerandum & & humectandum. istarum verò qualitatum gradus, vel vt duo, vel vt quatuor, indicant non solùm refrigerandum, & humectandũ, sed in tali gradu. Idem etiam ex materia corporea habetis, vbi scietis quantitatem humorum peccantium, scietis etiam quantitatem medicinarũ, quoniam remedium tam alterans, quàm expellens applicãdum, debet esse proportionatum. Sumitur autem à quantitate materiæ ex qua, corporea, quantum: quia quantitas, & multitudo addit gradum dispositioni. Dicebamus etiam quomodo ab effectibus morbi sumebatur, quomodo esset agendum, vbi enim mitior est, vel sæuior, aliter in mitiori, aliter in seuiori procedimus. præterea motus morbi indicat quando, & dicebamus motum dupliciter considerari. vno modo circa tem-

pus, id est considerando an velociter, vel tardè moueatur, & an præceps sit: quia in acutis morbis statim in principio euacuandum est, in tardis, tardè. Alio modo dicebamus considerari motum respectu alterationis in cruditate, & coctione, videlicet an materia cito, vel tardius coquatur, & dicebat Hippoc. concocta medicari, & mouere non cruda. Dicebamus ergo si volumus eligere tempus medendi, considerandum esse ipsum motum, in huiusmodi alteratione cōcoctionis, vel cruditatis, istæ sunt limitationes, in hoc tex. dictæ. sed non fuerunt probatæ, & vnum hic dicit, in quo fuit admodum diminutus, vt vix posit intelligi, sicut apparebit. Restat modo declarandum quomodo sit necessarium (si rectè curare volumus) vt cognoscamus particulares naturas, quantum attinet ad quid, quomodo, & vbi agendum si naturæ particulares non essent necessariæ, imò posset vnusquisque nostrū statim cum discesserit ex scholis exercere artem hanc: quia facillimum est cognoscere naturam ægritudinis: quia semper eadem est, & est vniuersalis consideratio, an calidus, vel frigidus, ita quod excessus sit per frigidum, vel humidum, vel siccum, vel excessus sit compositus ex his, & vtrum sit inæqualitas in cōpositione, vel in solutione cont

ne continui,& si in compositione, an in formatione, vel in numero, vel in quantitate præter naturam:& si in formatione,an in figura,vel in superficie,vel in meatibus,& cauitatibus, & semper scietis calidum, & frigidum morbum cum contrariis curari, & reliqua etiam, figura quæ debet esse leuis, sit aspera, & aspera leuis, cum contrariis ita debet curari,ista sunt facilia. Præterea quomodo agēdum à natura membri sumptum semper se habet eodem modo: quia membra semper sunt eiusdem naturæ, cor, cerebrum & reliqua. Vbi etiam facile est quia semper manent in eodem situ. Quantum ergo ad hæc tria quid,quomodo,& vbi, ars non est difficilis,& pauca indiget exercitatione, illa verò quæ faciunt vt particularia necessariò cognoscantur sine cognitione, quorum non possumus curare, & quæ medicos contorquent, qui postquam habuerunt artem, & sciunt exquisitè naturam ægritudinis cognoscere,& quæ remedia huic conueniunt, & copiosi sunt in recensendo, nesciunt tamen artem exercere, quia illud quando, & quantum ex quibus quod est in arte potissimum dependet, impediunt eos. Sed quare hæc duo faciūt tam arduam difficultatem in arte medendi? quia quantum operari debemus, à forma dispositiōis sumi

tur,

tur, id est à gradu determinato. quod corpus hoc excedat per calidum & ſiccum facile eſt videre : ſed in quo gradu difficillimum. Si enim Socratis corpus receſſerit per calidum & ſiccum, & febriat, facillimum eſt videre exceſſum : ſed in quo gradu excedat non poteſtis videre, niſi ſciatis gradum proprium temperaturæ Socratis, & talem in ipſo fuiſſe caliditatis, & ſiccitatis gradum. Igitur oportet conſiderare naturam illius particularem : quia ſi volumus mederi eius exceſſui, oportet vt ſciamus particularem eius gradum. Sed qua arte aſſequemur hanc cognitionem? cum particularis ſcientia non cadat ſub ſenſum, ideo fieri non poteſt, vt exquiſitè cognoſcamus certũ, & proprium gradum temperaturæ ipſius, abſolutè tamen cognoſcemus, propterea dicit Galenus in de temperamentis, Niſi quis cognoſcat temperamentum vniuſcuiuſque, ſicut propria elementa, A, B, non poteſt artem exercere. Poſtea in de miſsione ſanguinis dicit nihil coniecturale magis eſt, quam cognoſcere naturam propriam. intellexit Galenus de temperamentis quod qualitates indeterminantas ſcire poſſumus, ſed gradum earum nō poſſumus ſcire. & tertio methodi dixit, ſi profiterer ſcire temperamentum indiuidui determinatè, crederem me eſſe

qualem ego arbitror fuisse Apollinem, & Aesculapium, subdit postea ideo crasim, id est propriam temperaturam cuiuscunque rectè cognoscere nō est humani intellectus, propterea antiqui rectè hanc notitiam tribuerunt Apollini, & Aesculapio. relinquitur ergo ex hoc difficultas maxima circa istud quantum. nunquam ergo attingimus gradum, sed prope accedimus, si excellentes simus. & ob hanc causam Auer. noluit esse medicus: quia nesciebat proprietatem indiuidui, à qua sumitur quantum. & hoc est illud quod requirit necessariò cognitionē vniuscuiusque particularis naturæ, quæ quam difficillimè cognoscantur ostendit auctoritate, præterea nō habemus modum, nisi cum longa conuersatione cum particularibus. Et ex bono intellectu. Ad hæc quādo agendum sit non est parum difficile: quia si debemus eligere tempus agendi, oportet cognoscere statum, id est quietem, & motum singularium, non solum naturam cuiuscunq;, quia morbus est in fieri, & in motu: tempus etiam semper fluit, & non est idem in mane, & in sero: quia perpetuò fluit, & momentaneum est. non potest igitur sine difficultate maxima eligi occasio, quam si non eligatis opportunè, sequuntur incommoda, redditur ergo difficultas ex

occasione,

occasione, quia præceps est, experimentum autem fallax. Ista igitur duo quantum, & quando requirũt cognitionem necessariam particularium, & hæc intendebat probare quando dixit non solùm communem omnium naturam esse cognoscendam, sed & particularem, & probauit hoc auctoritate, & inductione. ita quod sit necessariũ inuenire, quãtũ & quãdo, at nõ potest inueniri nisi per cognitionem exquisitã particularium, ergo necessario indigemus cognitione particularium. totum hoc declarat in hac prima parte. & est argumentum totius procemij. Nunc verba ipsa declaremus. Natura apud medicos multipliciter sumitur, aliquando pro quatuor humoribus, & quatuor elementis, id est pro materia. Et hoc modo Hippocr. primo de natura humana intellexit, in quo agit de principiis elementariis corporis humani, tam propinquis, quàm remotis, ex quibus tanquam ex materia constat. Aliquando sumitur pro forma, siue ea temperamentum sit, vt ostendit Galenus in libro quòd animi mores sequãtur temperaturam corporis, vbi vult vnumquenque philosophorum antiquorum, etiã si noluerunt, dixisse naturam hominis esse temperaturam, id tamen fuerunt coacti dicere, & credit probare Aristotelem ita sensisse;

fisse: quia dixit animam esse actum corporis physici organici, & nihil aliud intelligere voluisse quàm animam esse temperaturam. Aliquando sumitur pro toto composito, & ad hunc sensum Galenus vndecimo methodi ipsam accepit, cum dixit naturam hominis ex tribus constare, ex spiritu, membris carnosis, & spermaticis. Aliquando pro temperatura sumitur, & in isto sensu accepit Hipp. & Galenus tertio reg. acut. 36. Vbi dixit Hippoc. in tex. naturam, & habitum communem esse considerandum dicit in commento Galenus per naturam temperaturam, & per habitum corporis structuram intelligi, præterea tertiò Apho. dicit Hippoc. naturarum quædam hyeme, quædam æstate melius se habent, intelligebat naturam pro temperatura, præterea vndecimo methodi dicebat Galenus naturarum corporis quædam propriæ, & innatæ, quædam aduentitiæ, quæ acquiruntur per ætates, vel aëris excessum, vel otium, vel exercitium, aut per consuetudinem, quandoque sumitur pro accidentibus consequentibus formam vniuscuiusque, etiam in hoc sensu intelligebat Galenus, & Hippoc. quando dicebant naturam corporis in habitu, calore, colore, & moribus esse considerandam, cõsiderabant tunc naturam

in acci

in accidentibus,& affectibus animi, & corporis, & vulgares accipiũt hoc modo naturam, cum dicunt homines etiam bonæ vel malæ naturæ,id est bonorum, vel malorum morum. quandoque etiam accipitis naturam pro virtute dispensatrice corporis,quę corpus regit, & in eo sensu intellexit Hippocr.sexto Epid.vbi dicebat naturam morborum medicam esse. per naturam intelligebat virtutem regentem nostrum corpus, quæ vera medica est, nos verò ministri sumus,idem intellexit cum dixit, naturæ non docentur in suis artibus:quia agunt absque eo quod doceantur. quandoque intelligimus naturam pro structura corporis, & in eo sensu intelligit Hippoc.naturarum quędam stricti: quædam ampli pectoris sunt. cum igitur tot modis accipiatur natura, & omne multiplex diuidendum sit,cum dixit Galenus non tantùm communem omnium naturam, sed particularem medicus noscere debet, de qua intellexit? respondeatis de quacunque istarum:quia qui vult considerare instrumenta necessaria artis,oportet vt cognoscat vnum pro materia, pro forma,& pro composito, & sciat temperaturas, tam vniuersales,quàm particulares,omnes euentus,& accidẽtia omnia, & præterea sciat facultates regitiuas corporis, & tandem sub

quocunque significato sumatur, & intellexit sub sensu communi, & sub quo omnia comprehendantur: quia non tantùm communes, sed & particulares naturæ sunt considerandæ, & cognoscendæ, vt iam ostensum est, & melius ostendetur. dixit autem Galenus in text. id ab Hippocrat. rectè traditum esse, hoc dixit in primo Epid. Sect. tertia, & in libello de chymis, & à nobis in ipsis artis operibus (vt nosti) studiose obseruatum. dixit vt nosti obseruatum: quia ex quinto de locis affectis Glauco fuit admodum familiaris Galeno, & plerunque versabatur secũ in visendis ægris. subiungit, fieri autem non potest vt propria natura cuiusque, perinde atque communis, scribatur, sed opposito se habẽt ordine, scripta, & opera. iste interpres dum malè tradidit latinum, malè etiam exposuit; quia inquit ordine & Galenus prorsus nullam facit mentionem de ordine: quia scripta, & opera nullam affinitatem habent, & quia hunc ordinem intellexit interpres exponens inquit, Aduertas quod aliter opera tractamus, aliter scribimus, quando opera tractamus ab indiuiduo incipimus, & resoluimus illud in sua principia, & ordinem resolutiuum facimus, sed cum docemus, ac scribimus, ab vniuersalibus incipimus, &

m ad

ad particularia deuenimus, & ordinē compositiuum seruamus, iste deceptus fuit, nam methodus, & via tam resolutiua, quā compositiua sunt doctrinæ, quæ circa vniuersalia versantur. Resolutiua habet suum processum à particularibus ascendendo ad vniuersale, compositiua verò ab vniuersali ad particulare descendendo, ita quod terminus in via compositiua exclusiuè est particulare, in via resolutiua vniuersale. Hæc autē possunt rectè scribi, ideo dicebat Porphyrius in quinq; vocibus, in processibus resolutiuis, & diuisiuis, ab vniuersalibus incipimus, & ad particulare terminamus, in quo iubet Plato quiescere, vt particulare sit terminus distinguens. Noluit igitur Galenus dicere ordinem cōpositiuum, sed voluit dicere opposite se habent: quia qui opera exercent artis cum ratione, versantur circa particularia, & habent orizontem suum vniuersale, ad quod respiciunt, tanquam ad sidus, à quo diriguntur circa particularia. Qui verò scribunt habēt vniuersale, circa quod versantur, & in illo permanent, sicut in scientiis, in artibus verò tradendis, habent quidem vniuersale circa quod versantur, sed habent orizonta particulare à quo diriguntur, & ad quod terminantur; quia circa illud operantur. qui verò

rò scribunt, licet versentur circa vniuersale, habent tamen orizonta suum particulare, ad quod terminãtur, ideo contrario modo se habent, qui scribunt, & qui operantur, ideo nec interpretationem, neque suam expositionẽ audiatis. Alium præterea committit errorem interpres non negligendum, postquam dixit opposito se habent ordine scripta, & opera, subiungit cum in aliis plerisque, tum in his maximè, quæ nunc docere statuimus. si hoc diceret, falsum affirmaret, cõmune enim & vniuersale est in omnibus artibus, & contrario modo, &c. Ideo cum dicit in plerisq; aliis, doctrinam tradit confusam, sed debetis dicere in omnibus, & non minus in aliis, quã in medicina, & errauit in verbo πολλαχόθι, quod sæpe, passim, & vulgò significat, & in omnibus, nam & πόλλοι apud Græcos vulgum significat, & ideo passim, & in omnibus artibus, debebat exponere contrario modo se habent scripta, & opera, & non minus in arte nostra medica. Efflagitasti enim vt tibi vniuersalem medendi viam, ac rationem quasi summatim describerem. In hac parte Galenus magis se declarat, & vult ostẽdere, quòd & si tradat methodum, quæ expetitur, fieri tamen non potest vt exerceri res possit nisi cognitio particularium

habeatur ſatis obſcurè tamen declarat hoc, ideo inquit, Efflagitaſti enim vt tibi vniuerſalem medendi viam ac rationem quaſi ſummatim deſcriberem, hæc autem qualitate, quantitatéque remedij cuiuſq;, & vtendi modo, & occaſione, (quæ horum omniũ difficillima eſt) perficitur. Sunt autem illa duo, videlicet quantum, & quando quæ faciunt neceſsitatem cognoſcendi particularia. per qualitaté remediorũ Galenus intelligit ſubſtantiam omnium agendorum, dixit qualitatem, quia vt plurimum vtimur qualitate, vel remediis, in quibus cõſideratur qualitas, ideo Græci cum materiam applicandam nominant, eam δύναμιν, id eſt facultatem, quæ conſiſtit in quibuſdam facultatibus, ideo per qualitaté quid agendũ intelligit, propter breuitatem tacuit vbi: quia ſequitur ex modo agendi, per occaſionem de tempore eligendo intelligit, quæ quidem occaſio omniũ cognitu longe difficillima eſt. dixit omnium cognitu, &c. Videtur expreſſa cõtradictio in dictis Galeni. Hoc enim loco dicit occaſioné cognitu difficillimam eſſe, cum alibi quantitaté remediorũ difficillimam dixiſſet, in libro enim de ſanguinis miſsione inquit, nihil facit artem ita coniecturalé quã cognoſcere remediorũ quantitaté. Præterea dixit in ſecundo

reg.

reg.acut.exquisitè cognoscere quantitatem ita difficilè est vt pauci inueniãtur,qui eam cognoscant, & in tertio methodi cognitionem hanc tribuit tantum Aesculapio,&c.

Et in hoc procemio etiam asserit quantitatem sciri nõ posse, nisi sciamus propriã vniuscuiusque naturam , sed hoc haberi non potest,ergo quantitas sciri non potest. cum ergo dicat hoc loco occasionẽ omniũ eorum quæ in medicina sunt esse difficillimam cognitu,oportebat hãc discutere difficultatem,ne sibi cõtrarius videretur. Difficultas est ratione vnius æquiuoci , quia multiplex facessit maximũ negotiũ indagatoribus veritatis. Difficultas dupliciter consideratur,vno modo quo ad executionem rei,alio modo quo ad cognitionem. si volumus intelligere difficultatẽ assequẽdi, nihil difficilius occasione, quia eligere tempus & occasionẽ tam præcipite,indiget viro consummatissimo,cognoscere autem facillimum est,& nos in arte cum instituimus remedium, iam tempus præterit operandi, & in tam præcipiti motu vix posses eligere tempus opportunum , & licet eligamus celerrimè trãsit illa occasio vt fluuius.Ideo in tam veloci fluxu, etiam si immineret occasio,non posset quis eam exquisitè assequi.

Est etiam hic difficultas alia , quia si non

eligimus ad vnguem tempus, ſed pręter rationem pharmacum exhibeamus, ſequeretur vel mors, vel incommoda multa, ideo Galenus in quinto de tuenda ſanitate. Tutius inquit, præſeruamus ab ægritudine quam curemus, quia in præſeruãdo, non habemus præcipitẽ lapſum, & poſſumus tempus eligere commodum ad euacuandum, & alia peragẽda, ſed in curando id facere non poſſumus, quia ſi tempus nõ eligemus opportunum (maximè in acutis) ſequitur mors, propter velociſsimum morbi tempus, merito ergo acuta eſt, & veluti inſtans velociſsima occaſio, ſed difficillima eſt in capiendo, & aſſequendo. Quantitas autem oppoſito modo ſe habet, hæc aliter non tranſit, nec eſt in præcipiti, ſicuti occaſio, ſed cognitu difficillima, quia non cognoſcitur quantitas gradus difficultate igitur cognitionis difficillima eſt quantitas. Difficultate verò executionis occaſio difficilior eſt, quia ſi debet menſura quãtitatis menſurari, ex naturalis diſpoſitione indiuidui menſuranda eſt, naturalis autẽ cognitio indiuidui, & menſura non poteſt cognoſci, & quia non poteſt cognoſci menſura, nec menſuratum cognoſcetur. non habita igitur hac cognitione non ſumus veri medici, nec perfecti, ita vt Auerrois artem exercere noluerit.

rit. iam duas hasce difficultates remouimus. ex ea æquiuoci distinctione, de difficultate cognitionis & executionis. cũ ergo dixit Galenus occ. omnium,&c. de difficultate executionis intellexit, cum verò dicit quantitatem difficillimam,&c. de difficultate cognitionis, quia si cognosceremus lapsum esse corpus per duo, permaneretque dispositio, etiã sciremus quantitatẽ mensurare; sed quia nõ cognoscimus lapsum, nec etiam inuenire possumus quantitatẽ, præterea si erramus in quantitate, non est tam magnum incommodum, sicuti in occasione, exemplo vlceris, cui fuerunt applicata nimis exsiccantia, dum hoc fuerit sine multo discrimine ægri, mutat medicus medicamentũ,& reficit errorem, sed in occasione moritur æger, antequàm eligi posit aliud tempus opportunum. Probat Galenus occ. esse difficillimam Hippoc. testimonio, qui in procemio Apo. dicebat artem longam, vitam breuem, experimentum fallax, iudicium difficile, occas. præcipitem, siue acutam, in quibus occasionibus inquit Galenus medicos nõ modò vulgares, sed & optimos decipi videmus, quoniam in executione,& consequutione falluntur, quando etiã rectè assequi coniectura medicamẽti quantitatem pro virium ratione corpori accom

modam difficile idem vir scripsit.

Ostendit modo difficultatem esse in cognoscenda quantitate, & etiam citat testimoniũ Hippo. in libro de puero epileptico circa finem. Hic aduertatis quod sententia hæc de quantitate, quam Galenus vult esse accommodam pro ratione virium, videtur quòd contraria sit his, quæ diximus nos in vniuersali methodo, vbi diximus quantitatem sumi penes quãtitatem gradus ægritudinis, id est, penes formam morbi, hic autem ait sumi à quantitate Virium, ergo videtur contradictio.

Atqui eadẽ est sentẽtia nostra, & Galeni, sed hic quoq; est distinguẽdum vnum multiplex. Vos sciuistis quòd indicationes quędam à materia ex qua corporea, & ex qua incorporea sumebãtur, & materia vtraque indicabat quid, quantum verò à forma vniuscuiusque sumebatur, vbicunque ergo est materia redundans in corpore, vel per oppositũ deficiens, nascitur indicatio euacuandi: si redundat, replendi: si deficit, quòd quidem corporeũ esse debet, vt ex carne, aut ex spiritibus, aut ex calore innato, vel ex alimento, quãdo verò in corpore est simplex alteratio, siue qualitas, & facta est intemperies, nascitur indicatio alterandi. per oppositum vbi est defectus, vel repletio

quant

quantitatis corporeæ oportet habeamus quantitatem operãdi,& qualitatem instrumẽti, similiter etiam vbi alteratis hæc sunt necessaria : sed est differentia, quia à quantitate materiæ corporeæ,& à defectu nascitur indicatio à viribus, à quantitate materiæ incorporeæ (quæ sunt qualitates,& gradus, & forma ipsius morbi) indicatio sumitur à gradu lapsus, & quòd hoc sit verũ. ponamus quòd sit aliquis in quo redundet sanguinis, vel biliosus humor aut pituitosus,volumus euacuare, oportet scire quantitatem & eam inuenire,quantitatem,dico medicamenti euacuantis, quàm græci dosim nostri verò dationem appellãt,quæ erit methodus? Vires corporis indicabũt quantum medicamenti euacuantis sit exhibendum, si robustæ erunt, multum, si defectæ, parum exhibebunt, præterea illud quantũ, quod ad defectum attinet, ad vires referendum est,si enim validæ sunt, affatim exhibemus, & plurimum ; si plurimo sit opus alimento, si verò debiles sint vires, debile alimentum, & in parua mole eligimus, ne virtus suffocetur. Ideo ratione defectus, & redundantiæ materiæ existentis in corpore, quantitatem eligimus,indicatione sumpta à viribus, & de huiusmodi quantitate intelligit Galenus in hoc loco. Alia quanti-

tas sumitur à quantitate gradus qualitatis malæ, vt si corpus præhumidum, & frigidum sit, excedens per tot gradus, oportet exhibere opposita alterantia in eodem gradu. Quantitas ergo, quæ sumitur à viribus, est in euacuando, vel replendo. Quæ verò sumitur à gradu, in alterando, sumitur ab intensione, & remissione alterationis. De vtraque quantitate habemus auctoritatem Galeni. Quantum ad quantitatem quæ sumitur à gradu alterationis, habetis hoc ex ipso Galeno in quinto de tuenda sanitate, & in nono therap. de quantitate verò quæ sumitur à viribus in secundo regu. acut. 36. & vndecimo therap. & hæc quantitas difficillima est, quia vires difficillimè noscuntur, nascitúrque huiusmodi difficultas ab eodem loco, quia vires cordis à temperatura noscuntur, temperatura autem cordis cognosci non potest, quę est causa virium, ergo minus cognoscentur vires, quæ sunt effectus temperaturæ, & propterea siue vires sunt cognoscendæ, siue temperatura, à quibus sumuntur, semper difficillimum erit cognoscere quantitatem, tam quo ad gradum, quàm quo ad vires. Quum igitur ad rectam curationem conferre plurimum tum occasionem, tum quantitatem remediorum cōstet, sint

autem

autẽ hæc singulis propria, nihil verò quòd propriũ sit scribi possit, hac ratione quòd commune est scribere cogimur, tametsi ad vsum sit secundum.

Ista est secunda pars totius proœmij. in prima enim ostendit Galenus quòd non possumus exercere artem, sine cognitione particularium, posset ergo aliquis dicere, si non possumus facere sine particularibus, quare non accedimus ad particularia? in hac parte ostendit quòd sine cognitione vniuersaliũ non possumus in particularibus exercere, & vsq; in finẽ ostendit quomodo sit exercẽdum in particularibus, ideo inquit, aduertas quòd licet necessarium sit cognoscere particularia, quia non possumus rectè mederi sine occasionis cognitione, & quantitatis medicamẽti, & hæc secundo sine particularibus cognosci non possunt, hac de causa ad vniuersale confugiendum est, licet sit vsu, secundum quia habet rationem causæ sine qua nõ, propterea cogimur necessario progredi ad vniuersalia, quantũ referat cognitio occasionis, & quantitatis iam diximus, & in particularibus ostendemus, ideo Galenus in consilio pueri Epileptici, ait, remedia nõ esse applicanda, nisi cognoscatur occasio, & quãtitas:

Quia

Quia ea medicamenta quæ apud aromatarios sunt, dicuntur materiæ remediorum: in manu verò medici seruata debita quantitate, & occasione, remedia vocantur, quia remedium afferunt, appellantur autem materiæ remediorum, sicuti materia cum non habet formam, dicitur potentia, ista medicamenta sunt materiæ remediorum, cum non habent formam quam eis tradunt periti medici, cum seruant quantitatem debitam, & occasioné. Interpres, pro chria transtulit vsum, si per vsum, intelligitis necessitatem, & vtilitatem, rectè intelligitis, si verò modum, non rectè intelligitis, quia vniuersalia priora sunt, & præcedunt particularia, est autem id quod commune est, vtilitate secundum, quia finis artis est exercitatio particularium. docemus autem methodum, non vt sciamus ipsam tantùm, sed quia volumus versari circa particularia, quia finis est nobilior, quia propter ipsum agimus, ideo bene dicitur quòd finis est primum, ea autem, quæ ducunt ad finé, (licet necessaria sint) vsu tamen id est vtilitate sunt secunda.

Plerunq; enim ægrotos quosdam inuisimus, quibus cũ antea, cũ sani essent, versati non fuimus, proinde quem calorem, quam cordis habitudinem, quem natiuum calorem

rem, arteriarumq; pulsum antea habuerint ignoramus. Quæ si antea nobis perspecta fuissent morbi vtiq; magnitudinem probè iudicare potuissemus. Probat Galen. quantum sit necessaria cognitio vniuersalium hoc modo, sæpissime contingit, vt medici versentur cum ægrotis, quos non amplius viderunt, quia non habent aliam cognitionem eorum, nisi vniuersalẽ, quomodo possent mederi lapsum in particulari sine ratione & methodo, non possumus cum his quos amplius non vidimus vti epilogismo, quo vtuntur empirici, & qui simile quoddam cognitum ad aliud simile incognitum comparant, & per comparationem horum particularium metiuntur lapsum, non possumus vnquam vti epilogismo, quia non fuerunt à nobis cogniti, siquidem eos cognouissemus, possemus dicere, hic in sanitate habuit talem colorem, & talem habitudinem, nunc autem non habet, & possemus metiri gradum per epilogismum, sed eos, quos nunquam vidimus, per epilogismum non possumus metiri: quia non habemus accidentia, quæ comparari possint aliis, ideo opus erit analogismo, id est assumere vniuersales propositiones, & recurrere ad commune præcognitum, & cõparare vniuersale particulari, si rectè metiri volumus.

mus. innuit Galenus hoc loco nõ posse nos facere epilogismum: quia ignoramus, vt supra &c. quem colorem, quem calorem narium, quam corporis habitudinem, & quẽ pulsum arteriarum habuerit antea, & quicquid de his dixit, de reliquis intelligatis, & si rectè memoria tenetis, quæ diximus in vltima lectione, vbi de methodo loquebamur diximus signa, ab operationibus læsis primò sumi, secundò ab effectibus consequentibus operationes læsas, quæ sunt in omni specie qualitatis, & in quantitate, & in motu, & in his, quæ exeunt, itaq; oportet cognoscere colorem, quę est vna ex passionibus qualitatum ad vsum consequens, & ideo quantum attinet ad colorem, qui obiectum est visus, si in facie, vel in superficie, vel in cuti fuerit, indicat propriam operationem, an bona sit, nec ne, est autem operatio eius, operatio virtutis alentis: quia vbi calor naturalis, vel spiritus naturalis, ita se habet in corpore, vt bene concoquat, & bonum sanguinem generet, optimum facit colorem corporis: si biliosum, citrinitatem facit: si deficiat sanguis pallorem, & καχεξίαν. Vbi verò fuerit assatio in sanguine, nigredo & fuscatio generatur, & sic color indicat aliam, & aliam temperaturam. Inquit Galenus hic, si non cognoscimus quem

habue

habuerint calorem ægri in sanitate, quomodo poterimus per epilogismum facere comparationem præsentis caloris, ad eũ quem in sanitate habuerunt. Eadem etiam ratio est de habitudine, & occurrimus plerunque corpori gracili, quod quidem tale erat in sanitate, nullam prorsus poterimus per epilogismum facere comparationem: quia non cognouimus cuius habitus esset in sanitate, si tangimus pulsum, & in eo tempore ægritudinis percipiamus velocitatem, & frequentiam: quia ignoramus, an talis fuerit in sanitate, non possumus facere comparationem particularem ad particularia, & vti epilogismo, quæ omnia si antea nobis perspecta fuissent, morbi vtique magnitudinem indicare probè potuissemus. Sed hic diceret aliquis, Tu dixisti ô Galene non posse hanc cognitionem haberi, nisi ab Aesculapio, cui tantùm tradidisti rei huius exactam cognitionem. Notetis. Galenus loquitur de coniecturali cognitione, qua cognoscimus, & scimus metiri probè, non tamẽ exquisitè, & vsq; ad vltimam differentiam, sed quantũ possunt humanæ vires, non quantum sciuit Aesculapius, qui fuit Deus, quantũ verò recedat à naturali habitu, is solus nouit qui naturalem habitũ ad amussim habuerit, quod cũ

in illis ignoramus, ne omnino hæsitemus, ad id quod commune est confugimus. Hic dubitat aliquis: vult Galenus ex quo particularium cognitionem habere non possumus ad commune esse cõfugiendum, modo quid est illud commune, ad quod confugimus, & ad particularia applicamus? est analogismus. Declaro occurritis ægro, quẽ nunquàm vidistis, necessarium est cognoscere naturalem temperaturam, non poteritis vti nisi analogismo, & recurritis ad vniuersalia, & obseruatis in hoc homine corporis habitum, faciem, colorem, amplitudinem thoracis circa profundum, & latum, pilos super pectus, vbi autem hoc vidistis, facitis analogismum in mente, per discursum ad vniuersale theorema hoc pacto, Quicunque habent pectus latum, & pilosum, illi habent cor calidum & siccum, maiorem habetis in theorematibus, & regulis vniuersalibus, minorẽ subsumetis, quæ habet indiuiduum particulare; sed Socrates habet latitudinem pectoris cum pilositate, ergo Socrates habet cor calidum, & siccum. Sed quicunque habent calidum, & siccum illi habent multum caloris in corpore, qui talem habent caliditatem indigent multa euentatione, qui multa indigent euentatione habent pulsum velocem, & frequen

quentem in sanitate, ergo iste qui habet nunc talem pulsum, habuit in sanitate pulsum frequentem, & velocem, scitis alteratum esse, & habere multam caliditatem, & lapsum esse à naturali, sed scitis non multum lapsum esse: quia lapsus est ab homogenea temperie cordis, & non est tantus sicuti si esset frigidæ temperaturæ. De colore idem habet colorem citrinum. Tangetis hypochondria, & percipietis duritiem musculorum, videtis venarũ latitudinem, pilositatem circa hypochondria, & circa pudenda, & circa crura: indicatis caliditatem hepatis, & membra naturalia habere calida: quia hæc non mutantur, cum sint dispositiones firmæ: & tunc facitis analogismum, qui habent caliditatem & siccam hepatis temperaturam, redundant sanguine biliosa, sed qui generant sanguinem biliosum, habent colorem citrinum in facie, iste habet caliditatem, & siccitatẽ in hepate, quod redundat multa bile, ergo habet naturalem colorem citrinum, & nunc est citrinus color, ergo non multum recessit à temperamento, idem dicatis etiam de habitu corporis, nã in hoc artis peritus imperito plus nõnihil potest, vult hoc loco Galenus, quod nos, qui habemus methodum non multum plus sciamus, quàm imperitus, hoc est ve-

rium, quo ad quantitatem, & occasionem, quam scimus tantummodo per coniecturam, quia licet scimus quod corporis fuit calidæ & siccæ temperaturæ, per analogismum tamen non scimus in quo gradu, nisi per coniecturam, & non per certitudinem, sed habemus plusquam habeat imperitus, & scimus quãtum debemus occurrere, non quidem exquisitæ, sed maiorem ansam habemus, quam habeat vulgus, & si comparatio fiet inter nos, & imperitum, aliquid plus habemus. Dixit aliquid plus vt seruaret modestiam: interrogat Galenus quid sit illud plus, & inquit, Hippocrates primus omniũ, quos nouimus, id literis mandauit, sed dicetis quid est illud plus? Est artificiosa coniectura, & quinto methodi dixit Galenus Hippocratem fuisse primũ qui methodum inuenit, nam ante medicina cõfusa erat, & sine ordine, & artificio, qui autem post hunc fuerunt eiusq; scripta intellexerunt fusius sunt interpretati, inter quos fuit Mnesitheus Atheniensis, vir cum in omnibus aliis, quæ ad artem pertinent non mediocriter eruditus, tum in exercenda arte quantum via, ac ratione licet, nulli secundus peritia. Dixit Galenus in omnibus aliis, sed quæ sunt alia præter methodum? nos in methodo docemus qua arte sanitas sit

conseruanda, & acquirenda, sed vltimam hanc partem habemus anatomen, quæ non addiscitur per methodum, & præterea pars quæ est de medicamenti materia per historiam habetur, ideo dixit in omnibus aliis, &c.

Hic Mnesitheus à primis summisq; generibus auspicatus, ea in alia item genera, in species, & differentias secanda esse censuit: hæc denuo in alia similiter, quæ rursus eodem modo distribuerentur, dum ad aliquam talem descenderemus speciem quę diuisa in vnum numero ac in indiuiduum desineret.

In ista parte procœmij refert Galenus, quomodo processerit Mnesitheus, & qua specie methodi fuerit usus: quia vt iam audiuistis quatuor sunt tantùm methodi, Resolutiua, diuisiua, diffinitiua, & demonstratiua, & inquit Mnesitheum vsum fuisse methodo diuisiua, & breuissimè transit, quia scribit ad Glauconē Platonicum, & vos non ignoratis, quod methodus diuisiua est propria Platonicorũ, sicut methodus demõstratiua est propria Peripateticorum. Ideo quia ad Platonicum scribit, quambreuissimè rē ipsam ostendit: quia si vellet fusius de hac re habere sermonē cũ eo, qui optimè callebat doctrinā, & methodum diuisiuam, esset illi

similis, qui (vt in prouerbio dici solet) noctuas Athenas, ostendit autem id coactè facere duabus de causis, prima est quia non poterat docere, quomodo vniuersalia in particularibus essent. secunda causa quia ab erroribus qui committuntur in diuisione omnes falsæ sectæ oriuntur, tanquam à fonte, & iste est sensus huiuspartis procemii. ex ista parte textus habetis quòd ex omnibus generibus diuisionis artificialis methodi non est nec totius in partes, nec vocis in significata, neq; subiecti in accidentia, de quibus omnibus meminimus loco suo, sed ea species tantùm pertinet ad medicum, quæ diuidit genus in suas species per oppositas differentias, & inquit hac maximè vsum fuisse Mnesitheum, qui incipiens à summis generibus, & diuidendo per oppositas differentias in tot distribuebat, vt tandem deueniret vsq; ad vltimam speciem, quæ diuisa in vnum numero desineret, nec amplius per oppositas differentias diuidi posset, & hoc est medici munus: quia cũ velit ad particularia descendere, diuidit genera, donec ad vnam speciem specialissimam descenderit, quæ amplius diuidi non posit, vnde indicationes sumit curãdi, oportet ergo incipere à summis generibus, & ad vltimam speciem deuenire. & ratio est: quia

nisi à principio vsq; ad finem totã rei naturã cognoscemus, deficiemus in cognitione, quo facto, necessarium etiam est, vt in curatione deficiamus. Commentator iste vult hic facere vnam diuisionẽ, vt declaret textum, & peccat, & credit diuisisse ad vltimam speciem, & tamen nihil fecit, & incidit in eum errorem quem carpit Galenus in tex. ita facit ipse diuisionem, Morborum quidam sunt in membris similaribus, quidam in dissimilaribus, quidam in vtrisq; communes. qui sunt in similaribus sunt intemperies, igitur ista intemperies erit calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, vel calida & sicca, vel frigida & sicca, vel calida & humida, vel frigida & humida. Et postquàm deuenit ad vltimas differentias temperaturarum, nesciuit vlterius progredi, & inquit, vlterius progredi non licet, quia sumus in specie specialissima, nec aliud agendum est, nisi ad opus accedere. Sed peccat ista diuisio peccato manifesto, nam oportet adhuc diuidere, & dicere, intemperaturarum aliæ sunt sine materia, aliæ per affluxũ materiei, earum quæ sunt per affluxum, aliæ à sanguine, aliæ à bile, aliæ à pituita, aliæ ab humore melancholico, & isti humores vel simplices sunt, vel compositi. Ideo deficit plurimum, & oblitus est artis, quam præcipit

pit hic Galenus. Sed vt habeatis exemplum quo modo fiat huiusmodi diuisio, accipite: volumus curare febrem: videamus, quomodo à sommo genere incipiendo, vsque ad speciem specialissimam deueniamus, à qua sumitur indicatio curandi, & sic procedemus à notione finis. Febris quid est? nónne est calor naturalis mutatus in igneum? ergo est intemperies calida & sicca præter naturam in corpore humano, & sic est in genere malarum intemperaturarum. Tunc diuidatis sic, intemperies ista vel est cum materia, vel sine materia, in vtraque stat febris, prætermittamus vnum membrum. Intemperaturarum calidarum, & siccarum cum materia, quædam sunt prouenientes à putredine, quædam sine putredine, vt sunt illæ quæ mediæ sunt inter ephemeras, & putridas (de quibus dicemus) quæ calidæ & siccæ sunt, & per affluxum a putredine sunt omnes putridæ. Supponatis modo quòd per signa appareant intemperies per affluxum à putredine humorum. Tunc ita progredimur, intemperierum ab affluxu factarum per putredinem, quæ febres appellantur, quædam sunt continuæ, quædam interpellatæ. Supposito per signa quod febris sit composita tunc vlterius est diuidendum, quia non potestis curare nisi

habeatis

habeatis speciem specialissimam: continuarum per affluxum materiæ ex putredine ortarum quædam ita sunt continuæ vt sint prorsus sine typo, & exacerbatione; quædam exacerbantur cum rigore, vel frigore, quædam cum simplici attritione tantum; & inæqualitate. Supponamus per signa, quòd sit cum simplici attritione, Tunc vlterius febrium continuarum ex humorum putredine cum exacerbatione, & simplici attritione, quædam quotidie exacerbantur, quædam alternis diebus, quædam quarto quoque die. supponamus per signa quòd exacerbetur de tertio in tertium, quòd didicistis ex hac diuisione, quòd feb. hæc cum sit continua, & exacerbetur alternis diebus, est vna species specialissima, quæ dicitur febr. continua proportionata de cholera, ex humoribus in venis putrescentibus, ex hoc sequitur, ergo debet euacuari, sed an per phlebotomiam, an per pharmaciam, hoc scietis in particularibus. Dixit hoc loco Galenus mihi non satis est tibi sententiam meam breuibus explicuisse, ac si ipse Galenus vteretur via diuisiua, sed videtur potius ipsum vsum fuisse via resolutiua, vt in de constitutione artis, & in methodo. Noteris domini, nũquam videbitis apud Galenum q̃ vtatur

via resolutiua, quin etiam via diuisiua sit, quoniam hæ duæ methodi sunt adeo annexæ, vt non possitis resoluere sine diuisiua methodo, non autem è conuerso, imò resolutiua est quædam species diuisiuæ, quia diuisio genus subiectum in suas species diuidit, & resolutiua compositum in sua principia resoluit. & diuidit totum in partes formales, & essentiales, quæ sunt materia & forma, & hæc est vna ex diuisionibus præmissis, seu potissimis, & ita tam resolutio, quàm diuisio generis in species, sunt diuisionis species. ideo multi loquentes de diuisiua, non loquuti sunt de resolutiua. quoniam sunt ferè idem. merito igitur dixit nos probauimus hanc sententiam Mnesithei. Quantum autem ad imperitiam bene diuidendi ponit tres errores, qui contingunt in diuisione, Aliqui enim errant, vel quia incipiant diuidere genus summum, & rectè diuidunt per aliquas opposiras differentias, sed postea nesciunt vlterius procedere, sed subsistunt in illis primis & summis generibus. Secundum vitium est quando fit quidem diuisio generis in differentias oppositas, & adhuc genera subalterna per differentias oppositas diuidunt, donec ad quendam terminum deueniant, & illic desinunt, & non procedunt ad speciem

speciali

ſpecialiſsimam vſque. Tertius error eorum qui fiunt in diuiſione, eſt quando diuidunt per differentias diuerſorum generum. Et eſt ignorantia prauæ diſpoſitionis, quando ergo aliquis ſumit vnum genus generaliſſimum, & neſcit vlterius procedere, multi contingũt errores, in quo errore fuit Theſſalus, & omnes methodici iſti peccauerunt in iſto vitio diuiſionis. dicebat Galenus de iſtis methodicis quòd dicebant, morbi omnes, vel ſunt ſtricti, vel laxi, & fluentes, & in primo hoc genere ſubſtiterunt, & bene appellat eos aſinos, & lapides molares, quia neſciuerunt vlterius procedere, & crediderunt idoneè docuiſſe totam artem medicã, vnde illi tumefacti ab hac diuiſione indicationes ſumebant, & dicebant, Morbus ſtrictus debet dilatari, per oppoſitum, laxus reſtringi, quia contraria contrariis curantur, & tunc profeſsi ſunt docere totam artem medicam in ſex menſibus. eos deridens Galenus admiratur inquiens, ò Theſſalij, ſi creditis medicinam ſex menſibus docere, viam nimis longam imponitis, quia ſi nulla alia re indigetis, non ſex mẽſibus, ſed ſex verbis totam artem docebitis, cur ergo non ſurgunt baiuli, & cerdones, & non deponunt artes ſuas, & medicinam addiſcunt, quæ non ſolùm ſex menſibus, ſed ſex verbis

solum potest doceri? Istud est primum vitium in quo Thessalij cum tota secta methodicorum peccarunt. In secundo errore fuit Erasistratus, qui fuit quidam philosophus & medicus, & habuit filiam Aristotelis coniugem, non tamen philosophiam & dialecticam ita potuit addiscere, vt perfectè diuideret, ex quo errore in multos incidit errores in morborũ curationibus, ita enim diuidebat, Morborum quicunque sunt ex repletione indigent euacuatione. Tunc diuidebat: Sed omnis euacuatio quæ fieri debet in corpore nostro, vel fit per subtractionem alimẽti, per inediam, vel per euacuationem humoris redundantis per aliquòd euacuãs, vel fit per aliquid quòd intrinsecus sumitur, vel per aliquod quod exterius applicatur, si per exterius, vel fomentis, vel balneis vel frictionibus, & nesciuit vlterius diuidere, & cum persisteret in hac, credidit ad speciem specialissimam deuenisse, & incidit in eum errorem, vt sanguinis missionem prorsus negaret, & credidit se magna excogitasse, & carpit Hipp. Nec aduertit Erasistratus dum accipit vltimum membrum, habere sub se species multas, quia cum dixit quæ exterius applicantur, sunt frictiones, balnea &c. deerant alia multa, sed debebat dicere, Quædam euacuationes fiunt dilatando

tando poros, & per superficiem, aliæ quæ diuidunt continuum. Vlterius euacuationum quæ fiunt per diuisionem continui, quædam per suctionem fiunt, id est per attractionem sanguisugarum: quædam per incisioné, & iterũ diuidere, quæ fiunt per incisioné, quædam per incisionem solius cutis, vt sunt scarificationes, quædam per incisionem cutis, & venarum, id est per phlebotomiam, & sic inuenisset omnes species specialissimas. Ex defectu huius diuisionis videtis quomodo incidit in sectam illam vt diceret venam non esse secandam contra Hippocratem. in tertio errore cum statim incipimus diuisionem & erramus, quoniam non accipimus differentias proprias, sed diuersorum generum fuit Archigenes imperitus longices vt Galenus in secundo de differẽtiis pulsuum, & secũdo de locis affectis testatur: peccauit autem in illo exemplo quando dixit, Febrium quædam vehementes, quædam diuturnæ, hoc quòd dico vehemens est sub prædicamẽto qualitatis, id est, sub naturali potentia, & impotẽtia, diuturnum verò sub prædicamento tẽporis, modo diuersorũ generũ diuersę sunt species & differentiæ, erat autẽ ita facienda diuisio, Feb. quædã vehementes, quædã mites; quoniam sunt hæ duæ differentiæ sub eodẽ genere, & sub

ſub eadẽ ſpecie qualitatis, ſub naturali potentia, vel impotentia, & ſi volebat dicere quædam diuturnæ, debebat etiam dicere, quædam breues, quia ſunt differentiæ ſub eodem genere.

At quiſquis omnia quæ & ſecundum naturam, & præter naturã ſunt, ad hanc viam, & rationem reuocauerit, & ex omnibus his quæ per diuiſionem inuenta ſunt integras deſumpſerit indicationes, ſolus is quantum per humanas vires licet, medẽdo nõ errabit.

Poſtquã enarrauit Galenus errores, qui contingunt in malis diuiſionibus, oſtendit quomodo rectè diuidamus, & quæ obſeruando efficiamur periti medici, & inquit quiſquis omnia quæ ſecundum, & præter naturam ſunt, ad methodum propoſitam reuocauerit, & ex omnibus quæ per diuiſionem inuenta ſunt indicationes deſumpſerit, ab ea recta methodo non errabit, quantum per humanas vires licebit. Et docet quomodo rectè procedere debeamus, & quodam compendio totam medicinam complectitur, & quicquid nos diximus in quatuordecim lectionibus. Vbi omnia ea conſiderauimus, quæ ſecundum & præter naturam ſunt, & indicationes conſeruandi, & curandi, tam quæ ſumuntur ab his, quæ ſecundum naturam ſunt, quàm quæ præter

naturam.

naturam. Et ideo dicit qui ſecundum iſtam methodum inuenerit omnes indicationes, ille erit optimus medicus, dixit quantum per humanas vires licet, quia non poſſumus exquiſitè ſcire, & quoniam Galenus in hoc loco inquit, quòd ea quæ ſecundum naturam, & præter naturam, ad hanc methodum reuocauerit, id eſt, ad methodum diuiſiuam & indicationes ab eis ſumet, is non errabit. Nos autem in tota noſtra methodo per viam reſolutiuam proceſsimus, Nunc (dicetis) per viam reſolutiuam eſſet etiam procedẽdum. Videremur maximum errorẽ perpetrare, niſi totam artem medicam per viam diuiſiuam vobis traderemus. quamobrem diuiſionis via progrediemur.

Quæcunque conſiderantur circa corpus humanum, quantum ad medicum attinet, vel ea ſunt ſecundum naturam, vel præter naturam, hæc eſt prima diuiſio primi generis, & ſummi, & hæ ſunt proximæ differentiæ. appello ſecundum naturam quæcunq; faciunt ad eſſentiam compoſiti, id eſt, humani corporis vel neceſſario ſequuntur eſſentiam, ſicut ſunt proprietates, & operationes. appello præter naturam, quæ ſunt his oppoſita, id eſt, quæcunque ſunt deſtructiua eſſentiæ, vel operationum, & effectus qui ſequuntur ad huiuſmodi deſtructionem.

nem. Eorum ergo quæ sunt secundum, & præter naturam, quædam sunt causæ, quædam opera causarum, quædam effectus, & proprietates consequētes opera & effectus. Causarum secundum naturā quædam causæ essendi; quædam cōseruandi. essendi sunt elementa, & mixtiones elementorum, quoniam ex his componitur corpus. causæ conseruandi sunt omnia quæ interius tantum sumuntur, vt cibi, potus, medicamenta pro sanitate conseruanda, & similia. quædam sunt quæ exterius tātum, vt balnea, fomenta, frictiones, vestimenta, & reliqua, quæ commodè applicantur, quædam sunt quæ nec interius, nec exterius applicantur, & sunt omnes affectus conseruantes vt somnus, & vigilia moderati, quoniam dicebat Hipp. si vtraque modum excesserint malum; Accidentia omnia mediocria & moderata, præterea ea quæ inaniunt & educunt è corpore, præterea motiones corporis, vt sunt exercitia effectus verò & opera quæ sequuntur ex illis causis materialibus & essentialibus conseruantibus, & ex mixtione elementorum sunt primò temperatæ, & ex temperatis membra & spiritus generantur, & isti sunt tres effectus ex illis causis producti. temperaturarū verò quędam sunt æquales, quædam inæquales. æqualis tantum

tum

rum vna est, inæquales octo: quia non possunt esse nisi octo combinationes primarum qualitatum.

Non enim potest esse excessus quin sit in caliditate tantum, vel iuncta siccitati vel humiditati, vel infrigiditati tantum, vel adiuncta siccitati & humiditati, vel in siccitate, & humiditate tãtum, & ita via diuisiua ostendimus octo tantum esse intemperaturas. Hactenus fuimus in hesterna lectione. Quòd membra quædam similaria, quędam dissimilaria sunt. similaria sunt, quæ ex temperamẽtis & mixtionibus fiunt, vt caro, os, neruus, cutis, quorum partes eandem habẽt denominationem cum suo toto. Dissimilaria sunt ea quæ componuntur ex similaribus, quoniã hæc compositio non est ex mixtionibus, sed ex similaribus membris, ideo non attenditur temperatura istorum membrorum dissimilarium, sed compositio. Sed quoniam compositio cõsistit in quatuor, in recta conformatione partiũ, in debito numero, debita quantitate, & cõuenienti situ, diximus (vt resolutionẽ faceremus vsq; ad species specialissimas) quantũ ad cõformationẽ, in quatuor consistere, in debita superficie, debita figura, & in cauitatibus ac meatibus: vbi deerit aliquod istorum, deerit sua æqualitas, & ita sumus in speciebus specialissimis

simis quo ad genus conformationis. Quantum verò ad aliud genus attinet, id est, ad quantitates, oportet vt non sit diminuta nec aucta, & iam deuenimus ad species specialissimas sub quibus sunt tantum indiuidua. Quo ad numerum si manus quæ debet habere quinque digitos & habeat sex, redundabit: si quatuor, deficiet, & erit peccatum in numero, & in hoc genere sumus ad species specialissimas. Item de situ qui attenditur penes bonam contiguitatem partium. Vbi contiguitas sit laxior, vel arctior, peccatum est in situ, & iam ad species specialissimas deuentum est, hæc quo ad duos effectus, ad temperaturas, & ad membra. Remanet tertium, spiritus. spirituum autem quidam sunt animales, quidã vitales, quidam naturales (si spiritus naturales appellari debent) de nominibus non est curãdum. spiritus animales sunt illi qui in cerebro conficiuntur, vitales qui emanant ex corde, spiritus naturales qui in hepate conficiuntur, materiales magis sunt & crassiores magis sunt ad recipiendum formam reliquorum. Sequuntur membrorum modo proprietates, vel effectus horum effectuũ, & operum quod facit tertium membrum primæ diuisionis cum diximus horum quidam sunt secundum naturam, & præter naturam,

turam,

turam, quædam ſunt cauſæ, quædam opera cauſarum, quædam affectus conſequentes opera. horum igitur operum quæ à cauſis ſecundũ naturam proueniunt, ſunt operationes & facultates, quia ſpiritus ad hunc finem ſunt facti, vt faciant operationes. Facultates ergo tot ſunt, quot ſunt ſpiritus, ideo quædam ſunt facultates vitales, quædam animales, quædam naturales. facultatum animaliũ quædam ſunt ſenſitiuæ, quędam motiuæ. Senſitiuarũ quædam ſunt interiores, quædã exteriores. interiores ſunt tres ſecundũ medicos & Platonicos, & fortè etiam ſecundum Ariſt. imaginatio, intellectus, & memoria, & ita erimus in ſpeciebus ſpecialiſsimis in quibus iubet Plato, & Galenus quieſcere. facultates exteriores quinq; ſunt, viſus, auditus, guſtus, olfactus, & tactus; quæ ſunt ſpecies ſpecialiſsimæ. Niſi fortè de tactu, quia dubitatur apud Ariſto. an ſit ſimplex, vel cõpoſitus, ſed hoc non attinet ad medicos. Motiua facultas ſimplex, quæ effertur per neruos ad totũ corpus, & mouet hoc corpus organicum, & ſic quo ad facultates animales habetis diuiſionem, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas. Facultates verò vitales quædam ſunt in corde, & propter cor, quædam extra cor. prima dicitur vigor, & animi conſtantia ad agen-

dum, secunda est virtus irascendi, & iam deuenimus ad species specialissimas eorum, quæ sunt in corde. Quædam verò sunt à corde, sed non in corde, nec propter cor, & hæ duæ sunt virtutes, virtus pulsandi arteriarum, & virtus deferendi calorem innatum perpetuò ad vniuersum corpus, vt calor complexionalis membrorum ponatur in actu: quia duplex est calor innatus, vnus potentia existens in omnibus membris, & partibus: alius actu, emanans à corde, qui est vti forma quæ recipitur in membris, & partibus secundum variam eorum dispositionem, & aptitudinem, & ideo non est æqualiter in omnibus. & iam facta est diuisio, vsque ad species specialissimas. Facultatum verò naturalium, quædam est propter speciem, quædam propter indiuiduum augmentatiua, nutritiua, & generatiua propter sobolem, quæ est in homine, & ab ortu augmentatiua in indiuiduo reperitur vsque ad ætatem perfectam consistentiæ. Nutritiua verò, quæ & ipsa facit pro indiuiduo, durat quantum viuit animal. his tribus virtutibus naturalibus sunt quatuor virtutes subministrantes, prima est attractiua eius, quod conueniens, secunda contentiua, tertia cōcoctiua, quarta expulsiua excrementorum, & iam quo ad facultates

cultates sumus in speciebus specialissimis, & iam per diuisionem apparet quomodo ea quæ sunt in humano corpore secundum naturam diuiduntur per genera in species specialissimas, nihil intermedium ponendo. quæ verò indicationes ab his sumuntur dicemus, si prius pauca vobis quædã referemus. Diximus de causis, & de effectibus, ac de passionibus, quæ sunt secundum naturam, dicamus modo de tribus aliis præter naturam. causæ præter naturam sunt oppositæ naturalibus, dicebamus enim naturales causas facere ad essentiam corporis humani, vel essentiam necessariò consequi. Causæ verò istæ destructiuæ sunt eorum, quæ sunt secundum naturam, & istæ vel intrinsecæ, vel extrinsecæ sunt. Quæ extrinsecæ sunt, vel sumuntur interius tantum, vt excessus in cibo, vel potu, peccante vel qualitate, vel quantitate, & in medicamentis, & in omnibus quæ sumũtur per os, quæ si æquales sunt conseruant ea, quæ secundum naturam sunt. Quædam verò per exterius tantum, & hæc cùm excedunt morbos pariunt, & æqualitatem destruunt, Aër nimis calidus, nimis frigidus, nimis humidus, modo sit improportionatus proprio temperamento, similiter balnea indebitè applicata, frictiones, ad hoc læsiones pertinẽt, vt

gladius, fustes, & quæ impellunt, & propellunt, & contundunt corpus, & continuum soluũt. Quæ verò nec interius, nec exterius sumuntur, sunt affectus sicut somnus, & vigilia, motus, exercitia, nimius coitus, nimium otium, nimia euacuatio, & iam deuenimus ad species specialissimas, quæ deinde non possunt amplius diuidi. Causæ verò intrinsecæ destructiuæ sunt, vel humores, vel putredo. humores sunt excedentes, vel quantitate, vt nimius sanguis, nimia bilis, nimia pituita, nimius humor melancholicus, vel plures ex istis, qui peccãt, vel qualitate, vel quantitate, & si peccant qualitate, vel naturali potentia, vel impotentia, vt crassitudine, & visciditate, & hoc ad pituitam attinet, aut peccant ex illis qualitatibus, quæ sunt passiones, vel passibiles qualitates, vt nimia acrimonia, & nimia amaritudo, vt in bile amara, vt nimia aciditas in humore melancholico, vel nimia frigiditate obtundente calorem innatum, vt pituita, & iam deuenimus ad species specialissimas. Vel est putredo: quia quandoque non peccant humores qualitate aut quantitate, sed contingit propter obstructiones, vt prohibeatur euentatio, prohibita euentatione putrescunt, facta putredine destruitur æqualitas, & sanitas, & ita videbitis

debitis quod in putredine ad species specialissimas deuenimus,& hæc de causis tam extrinsecis,quàm intrinsecis. Restant opera quæ emanant à causis præter naturam. Aegræ causæ sunt præter naturam, ita effectus,& sunt morbi, qui sunt in triplici genere,vel sunt in temperatura, vel in compositione, vel in vnitate. si morbus erit intemperatura sunt illæ octo inæquales causæ, aut excedit caliditas sola, aut iuncta siccitati, aut humiditati, vel frigiditas sola vel iuncta siccitati, vel humiditati, aut humiditas sola,& siccitas sola,hæ causę cũ ita excedũt,& faciant ægritudines sunt præter naturam.& iam deuenimus ad species specialissimas,sed aliquando hæc fiunt per defluxum,quæ adhuc octo sunt: quia potest humor influxus in partem aliquã addere intemperiem membro, vel quia calidus tantum, vel calidus & humidus,aut calidus, & siccus,frigidus tantũ, vel frigidus, & humidus,vel frigidus & siccus, vel humidus tantum, vel siccus tantũ, & iam deuenimus ad species specialissimas per diuisionem in primo affectu. Res est secũdum affectũ præter naturã in cõpositione,& in hoc fiũt diuisiones vsque ad species specialissimas, vel erit in conformatione partiũ,vel in quantitate, vel in numero,aut in situ partium:si in con-

 forma

formatione partium, vel erit in figura, vel in superficie, vel in cauitatibus, & meatibus. & iam deuenimus ad species specialissimas. Eadem est ratio de quantitate, numero, situ, & similiter de partium vnitate. hic attenditur vel cōtinuitas partium, vt in similaribus: vel contiguitas, vt in dissimularibus. Caro enim continuatur, nodus nodo contiguatur: quia continua sunt quorum partes copulātur ad vnum terminum communem: contigua verò quorum partes nō copulantur ad vnum terminū communē, & iam deuenimus ad species specialissimas. Est aliud membrū affectuū præter naturā, & istud genus est, vel in actionibus læsis, vel in consequentibus actiones læsas, vel in his quæ retinentur, & excernuntur præter naturam. actiones lædi possunt, vt vitales, animales, & naturales, omnes possunt esse præter naturam, & ideo in omni genere, & in omnibus speciebus potest fieri læsio, & diuidemus etiam vsque ad species specialissimas. Secundum genus affectuum, quæ consequuntur actiones læsas, sunt in qualitate, & quantitate, & motu. quæ sunt in qualitate, illa sunt de secūda specie qualitatis, quæ est passio, vel passibilis qualitas, vt odor, sonus, fætor, color, calor, & frigus. Multæ enim indicationes sumuntur ex coloribus,

ex fœtoribus diuersis, qui percipiuntur in intestinis, in auribus, in ventre, ex caliditate etiam & frigore percepto in corpore, ex amaritudine percepta, vel acrimonia, vel salsedine, aut aciditate in gustu, varia fiunt indicia, & variæ sumuntur indicationes. Et istæ sequuntur operationes læsas: & iam facta est diuisio quoad genus qualitatũ vsque ad species specialissimas. Quo verò ad quantitatem multum refert, an gracilis, vel tumefacta sit, præterea ex motu præter naturam multæ indicationes sumuntur, & isti sunt illi affectus qui cõsequuntur actiones læsas, qui distingui debent vsque ad species specialissimas. Tertium genus ab exeuntibus retentis, & excretis præter naturam. De excretis vt in dysenteria, cum sanguis, vel ramenta, vel aliquid intestinorum, aut aliquid aliud præter naturam putrefactum, fœtens excernitur, & in hoc debetis facere diuisiones vsque ad species specialissimas. De his autem quæ retinentur, vt in retentione vrinæ, quæ iscuria appellatur, ex re apparente, quæ retinetur facitis diuisiones vsque ad species specialissimas. Et hæc erant dicenda, vt Galeni verba intelligeretis.

QVISQVIS omnia quæ secundum, & præter naturam sunt ad hanc viam, &

rationē reuocauerit,& ex omnibus his,quę per diuiſionem inueta ſunt integras deſumpſerit indicationes, ſolus is,quantū per humanas vires licet,medendo non errabit.

Integras, dixit,ſumere indicationes debetis. Dicetis indicatio curandi non ſumitur niſi à morbo, & à cauſa : quomodo ergo ab effectibus ? an ab his, quæ ſunt ſecundum naturam ſumuntur indicationes? Duo ſunt genera indicationum, quædā cognoſcendi,quædam conſeruādi,præſeruandi,& curandi. Indicationes cognoſcendi indicant quid ſit morbus, & hæc ab operibus læſis, & ab effectibus conſequentibus operationes.Et ab exeuntibus ſumuntur.Conſeruandi ab his quæ ſunt ſecundum naturam,præſeruandi à cauſis & effectibus pręter naturam. Curandi à morbo, & à cauſis, & ab effectibus præter naturam diuidendo ſemper vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas,&c. & qui hoc fecerit, optimus erit medicus quantum per humanas vires licet. Hic notetis quod Galenus docet quemadmodum debeamus applicare vniuerſalia particularibus,& hic eſt noſter finis, & fruſtra ſumetis indicationes, niſi hoc ſciatis.Docet autem ænigmaticè, ſed nolo vt tanquam ex præcepto, ex tyranno, ex rege: ſed ex arte & fundamentis philoſophiæ, & ex metho-

do

do huiusmodi cognitionem habeatis. Methodus autem & initium procedēdi ad applicandum vniuersalia particularibus est cognoscere naturam particularē vniuscuiusque corporis, ex hac enim cognitione scietis quantum applicare debeatis, & occasionem, quando erit applicandum. quomodo autē cognoscatis particulares naturas, dat Galenus præcepta: nos verò dabimus similitudine. Proponatur vobis quòd cognoscere debeatis hominem, quem nunquam vidistis, tunc temporis hac arte procedere debetis, accipiatis multa vniuersalia à vobis rectè cognita, & colligetis omnia, quæ videntur collecta in indiuiduo, & ex cognitione tot præcognitorum, quæ sunt vniuersalia, à differentia magis vni, quàm alteri conuenienti, facietis vnum inseparabile ab illo indiuiduo, quod erat illi proprium. Exempli gratia, sit choriscus à vobis non cognitus, quem cognoscere vultis. Est vir quidam qui primò est hirsutus valde, barba, capillóque plurimo, & densissimo, nigro, crispo, interiecta canitie, fronte stricta, demissis superciliis, toruo aspectu, naso simo, facie lata, statura oblonga, magna, pallens, & ventriculosus: si hæc omnia, quæ sunt vniuersalia, componatis, & seorsum colligatis, si tanquam differentiæ, quæ in

multis inueniri possunt, omnia simul in vno colligatis, nō poterit fieri, quin cognoscatis istū esse Choriscū. ita si procedimus in cognoscendis particularibus naturis, colligemus plurima vniuersalia, & distinguemus ea, vsque ad species specialissimas, & eas species specialissimas accipiemus, & differentias, & videbimus si sint in eo, separabimus quæ non sunt; colligemus quæ sunt, & cognoscemus quę sunt, & causas singulorum accidentium in eo existentium: & ita attingemus naturas particulares quantum poterunt humanæ vires. Exempli gratia, Occurrat Socrates ægrotus, quem curare volumus, quid primò facere debetis? Duo primò facere oportet, primo naturam morbi cognoscere, quia ex morbo cognignito quid sit agendum noscitur. Et indicationes curādi ex cognitione naturæ morbi desumuntur. Ideo primò natura morbi consideranda est, seclusis omnibus aliis considerationibus. Et quoniam ex natura morbi scitis solummodo quid agendum, non autem quomodo, & quantum, & vbi. quæ omnia sciuntur ex cognitione indiuidui: ergo primò exquirenda est natura morbi: secundò ad naturam particularem cognoscendam accedendum est, vt quantum, quomodo, & quando sciatis. Cum igitur

occur

occurritis Socrati, primò quis morbus sit ille quem patitur considerabitis, id cognoscetis ex propriis accidentibus, & ab operatione læsa, deinde operationes omnes considerabitis, an vna vel plures læsæ sint, & si plures an genera plura, an species plures, & tandem ad effectus consequentes ad operationes accedetis, & notabitis calorem, colorem, habitudinem, deinde exeuntia, egestiones, sputa, si expuet, vrinas, & ab istis affectibus quos esse diximus in triplici genere, in operationibus læsis, in effectibus sequentibus operationes læsas, & in exeuntibus. hæc facile cognoscetis, vel in prima, vel in secunda, vel in tertia saltem visitatione, imò dicebat Galenus qui in prima visitatione hanc cognitionem assequuntur, optimi, & peritissimi medici sunt, & in secunda tolerabiles, si in tertia, & in quarta, sunt postea lapides molares ita quòd difficultas non consistit in cognoscendo morbum, & vbi cognoscetis ex signis & symptomatibus morbum placidè interrogabitis ægrum, de tempore, in quo cœpit ægrotare, præterea de accidentibus, quæ nõ possunt nisi ex relatione ægri cognosci, de dolore capitis, de siti, de vigiliis, quibus consideratis, & intellectis ab Aegro, mores morbi considerabitis, an benigni, vel mali mo

li moris sit. Vbi hæc omnia contemplati estis, tunc intentionem vestram vertetis ad aliud, vultis curare, & iam cognoscitis morbum, habetis medicinas, & syrupos, electuaria, confectiones, quorum materia ampla, & refertîssima est apud aromatarios, & apud antidotarios, & quòd hæc medicina valet ad hāc dispositionem, illa ad illam, ita quòd remedia facillimè habetis quæ opportuna erunt, ita quòd absq; aliquo alio eritis medici, quemadmodum sunt isti, qui occurrūt infirmis, sed vera ars Hippocratis & Galeni, & Aesculapij non consistit in his, tam facillimis rebus, sed difficultas est in metiendo quantitatem, & in eligendo occasionem exhibēdi, quia nisi ista rectè metiamini, quātum humanæ vires suppetunt, vel plus faciendo, vel minus quàm oportet, vel non faciendo suo tempore, ad innumera incommoda deducetis ægros, & si aliquando res succedet, casu, & fortuna continget. oportet igitur habere artem metiendi quantum, & quando, & hæc habetur ex cognitione particularium naturarum.

Sed dicet aliquis, cur tantum de ægritudine sermonem facis, & non de temperatura, vt nos doceas quantum, & quando. Hoc facio vt primò doceam facilia; sicuti sculptores faciunt, qui antequam instrumenta

subti

ſubtilia operentur, primò à magna ſecuri incipiũt:ita nos debemus facere. primò docere quomodo cognoſcantur morbi, & quæ remedia conueniunt, poſtea deducere vos ad coniecturam, arte Hippocratica, ſed non prius niſi cognito morbo. cum igitur à vobis fuerit rectè cognita ægritudo ad naturam particularem accedere debetis, & hac arte, colligere primò multa illuſtria vniuerſalia, quæ reperiuntur in hoc, & in illo indifferenter, & colligere multas ſpecies ſpecialiſsimas, & videre an ſint in illo. exempli gratia, primò conſideratis cuius complexionis ſit, & iam vidiſtis cõpoſitionem, poſtea quam formationem partium habeat, diuidẽdo genera in ſpecies ſpecialiſsimas, quam figuram habet, quam ſuperficiẽ, an lenem, vel aſpram, duram, vel mollem, & tangere, deinde quos meatus, an ſit amplarum venarum, vel ſtrictarum, an muſculos amplos, vel ſtrictos habeat, & colligere ſpecies ſpecialiſsimas, & dicere, habet muſculos ſtrictos, venas ſtrictas, cauitates non apparentes, iuncturas laxas, ſcio quòd indicant humiditatem, & ibi conſiderare omnia iſta, quæ ad compoſitionem naturalem, de quãtitate, de numero, de ſitu deinde ad temperaturam deuenire, quæ multum refert, quoniam ab ipſa omnis operatio dependet. ſed

prius

prius considerare oportet intemperies in vniuersali, & dicere, scio quòd intemperaturæ per essentiã sunt octo, aut enim caliditas excedit sola, vel iuncta siccitati, vel humiditati, &c. comparo signa, de quibus in secundo de temperamentis, & in secundo artis paruæ, & facere multorum collectionem, aut ex multis differentiis aggregare indicium, vbi hæc collegero (quia non potest gradus exquisitè sumi) Docet Galenus quid sit agẽdum, & inquit, si quis enim probè distinxerit, primò ætatum, deinde temperaturarum differentias, & vires, multaq; id genus, quæ homini insunt, cuiusmodi est calor corporis, habitudo, arteriarum modus, constructio, studia, animi mores, quibus addiderit maris & fœminæ discrimen, & regiones, anni tempora, ambientis aeris constitutionem ad propriam Aegrotantis naturam propè accedet, oportet inquit Galenus, si volumus hæc scire, videre quæcunq; secundum naturam, & præter naturam consequuntur, vt potissimum ętatem, à qua incipit, quoniam maximè dat ansam ad cognoscendum, tum quia notissima erit, tum exposita intuenti, tum quia maximi momenti est, & ita valet vt superet temperaturam, ideo si sit puer calidus, & siccus, nunquàm erit tam calidus, & siccus

ſiccus,quin ſit humidus ratione ætatis.Ita ſenex ſiue fuerit pinguis, & ſanguine plenus,& pinguedine, & carne,nunquam fieri poterit, quin ſit frigidus,& ſiccus ratione ætatis.

Et quin rugæ,& durities,& cutis aſperitas,apparere videantur,ita ſunt inſeparabiles ab ætate. ab ætatibus igitur hac de cauſa incepit,tanquàm à notioribus,& eas diuidere iubet per ſuas differentias,vt ſciatis dominium primarum qualitatum,quæ reperiuntur in ſenili ætate, conſiſtentium, iuuenum,adoleſcentium,puerorum.Et differentias quæ ſunt in prima parte,in medio,& in fine,conſiderare,& videre in qua ſpecie ſit æger,quem præ manibus habetis,& reliqua.Vtrum in pueritia,vel adoleſcentia, vel in iuuentute, & non debetis eſſe contenti in hoc,ſed in qua parte,quia ſemper externa ſapiunt naturam coniunctæ,quæ autem in medio eſt propria eſt illius,quæ enim attingit ætatem conſiſtentiæ,ſapit naturam eius,& ſic de reliquis.Ita etiam de anni temporibus dicimus,& iſta diuidere vſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas.Poſt ætates ad temperaturas accedere, & videre an appareat caliditas, & ſiccitas,caliditas & humiditas,frigiditas & ſiccitas,frigiditas & humiditas,&c. tandem de omnibus

tempe

temperamentis habere signa sua,& deuenire vsq; ad species specialissimas,& aggregare omnia.deinde ad virtutes animales, vitales,naturales,& ad eas quæ his subministrant, accedere, & videre quomodo in virtute attrahendi,continendi, alterandi,& expellendi se habeat, & omnia indiuidua comparare, & colligere signa quæ sunt,& separare quæ non sunt,& tandem ad effectus,læsas operationes sequentes, vt sunt, calor,color,corporis habitus,deinde ad excrementa deuenire,post aerem,& sexum cõsiderare,quia multum refert an indiuiduum mas sit,vel fœmina,& eorum differentias considerare,cuius temperaturę,quarum virium sint,hæc enim multum faciunt ad cognoscendam naturam particularem. Motum præterea arteriarum considerare,& nõ solùm quis motus sit,sed quam magnitudinem,velocitatem,& frequentiam habeat, quoniam hæ duæ differentiæ indicant caliditatem existentem in corde maiorem,vel minorem,& corpus arteriæ non est prætermittendum, sed considerandum an durum,vel molle,plenum,vel vacuum sit,ex his enim proprietatibus constituitur corpus arteriæ,& sic vsq; ad species specialissimas diuidendo procedere, & hoc modo hic diligenter considerare,& diuidendo in

his

his omnibus, vſq; ad vltimas ſpecies & indiuidua deuenire, & conferre illa quæ tradi non poſſunt, & recondita ſunt in indiuiduo cognoſcendo, vt particulares naturas cognoſcatis, quantum vires humanæ poſſunt, quoniam cognoſcere eas exquiſitè ſoli Aeſculapio conceſſum eſt. imò ſi poſſemus cognoſcere exquiſitè naturas particulares, cognoſceremus etiam intrinſecas cogitationes, & formam propriam ſpecificam in particulari, ſed hæc ad ſolum deum attinent. Ideo bene dicebat Galenus ſiquis probè diſtinxerit ætatum primarum differentias, multaq; illius generis, & quæ huiuſmodi inſunt, vt calor, color corporis &c. ac ſi vellet ætates, tēperaturas, & vires eiuſdem eſſe generis cum calore, & colore. ſed iſtæ ſunt cauſæ iſtorum omnium, per id genus, imò intellexit quo ad indicationes attinet, quia ſunt ſub eodem genere indicantium. Addit Galenus conſuetudo, & ſtudia &c.

Dicebatur in ſuperioribus lectionibus quantum referat conſuetudo, imò & ſtudia, imò etiam quibus rebus vnuſquiſq; oble-ctatur, quoniam ſunt cauſæ mutationum temperaturarum ſicut in piſcatore contingit, qui & ſi biliosæ fuerit naturæ quia tamen diu verſatur in paluſtribus locis, &

vtitur vino diluto,& aliis quæ generãt crassum,& pituitosum sanguinem,fit frigidus & humidus propter consuetudinem. Ideo consuetudo non solùm signum est temperaturæ,sed etiam causa.Animi etiam mores quãtum faciant ex Galeno etiam appaæet, composuit enim librum quod animi mores sequantur corporis temperaturam. Vbi ostendit naturam rectè indicare mores:circa inquam omnes operationes animales, tam quo ad imaginationem,intellectum, memoriam, quàm etiam quo ad sensus exteriores, & quo ad motiones, & etiam ad operationes vitales, quo ad iram, excandescentiam, appetitum honoris,hæc omnia indicant temperaturam. Præterea aeris nos ambientis constitutiones considerãdæ sunt,& regiones,quoniam multum refert apud Scythas,vel apud Indos habitare, quoniam mutantur temperaturæ in illis regionibus.Qui omnia hæc cognouerit inquit Galenus,is ad propriam ægroti temperaturam proximè accedet.Verũ alia quidem horum omnium in libro de pulsibus,alia verò in de temperaturis disputata sunt, quemadmodum & quæ præter naturam sunt vniuersa, & inter se formis & gener bus differunt,in libro de affectibus à nobis diffinita sunt, omnia hæc inquit

quit Galenus, tam ea quæ secundum naturam quàm quæ præter naturam: in his locis sunt disputata à nobis, in libris pulsuũ, indicia indicantia affectus animæ, temperaturæ & aeris constitutiones in primo & secundo de temperamentis dicta sunt, quæ autem præter naturam in libro de affectibus, intelligetis per libros affectuum sex libros de accidenti, & morbo, qui inscribuntur de locis affectis. Nunc verò omnis nostra disputatio erit de his ægrotis, quos antequàm cõtraherent morbum noueramus, cum quibus tamen & reliquos omnes quorum nobis non erat perspecta natura, intelligemus, si quidem difficile non fuerit ex eo quòd perfectè distinctum est, id quòd tale non sit inuenire, dixit de his ęgrotis erit nostra disputatio, & nõ de febrientibus, vt innueret librum non esse inscribendum de febribus, & nõ solùm de feb. agi in hoc libro, sed de omnibus ægritudinibus. Et hic dat aureum documentũ. Qui artẽ addiscere cõcupiscit à notioribus procedere debet, ad minus nota, & primò sodalibus & cognatis occurrere, postea ad eos accedere, cũ quibus antea familiaritatem nõ habeatis, quoniam ad cognoscendã naturam particularẽ plurimum facit familiaritas, & tunc nõ indigetis nisi epilogismo, id est cõparatione simili-

lis cum simili,aliter analogismo indigetis, & altiore discursu,& hæc est præfatio.

IGITVR à febribus quoniam harum curandarum rationem habere cupiebas auspicabor,& primũ à simplicibus quas Hippocrates ephemeras,id est diarias vocat,incipiam.

In hoc ostendit Galenus cum à feb.se inchoaturum dicit,& à simpl.ordinem compositiuum seruare:sed cum in hoc primo libro tractaturi sumus de feb.vanum profectò esset, & minimè consentaneum his, quæ hactenus docuimus,si vellemus particulares docere febres nisi prius exercuissemus vos in vniuersalibus, & quemadmodum fecimus in tota arte, in qua præposuimus methodum vniuersalem,ita etiam de feb.acturi vniuersalem debemus præmittere methodũ,vniuersalem dico respectu febrium particularium. In quo processu tãta erit vtilitas,vt nihil dictum sit apud bonos de feb.quod in tribus lectionibus vobis exactissimè nõ sit explicatum,omnesq; dubitationes,quæ contingunt de febribus apud medicos legentes ex lucidissima nostra hac diuisione facillimè soluetis. Quod si quis ex importunis dixerit hæc ad theoricos pertinere,vellem scire à quo loco hoc sumat.& si quis dicat,nullum posse cogni-

tionem hanc habere, vellem ſcire in qua re indigeatis præceptore, quia tractatus iſte difficillimus eſt, & frequentiſsimus. ſi igitur declaratio iſta de febribus nõ attinet ad præceptorem, neſcio vbi indigeatis eo. procedemus autem in his febribus diſtinguendis per methodum diuiſiuã: quia via hæc longè commodior eſt, quàm reſolutiua, & rationem videbitis. Incipiemus autem à ſummo genere feb. quatenus feb. eſt, & deueniemus ad vltimam ſpeciẽ ſpecialiſsimam, & ita ex hac diuiſione duo cõmoda habebitis. primò diſcetis omnes febriũ differentias, ſecũdò rectius intelligetis, quæ à Galeno dicta ſunt de diuiſiua methodo, & quomodo à ſummo incipiat genere vſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas procedens, per medias differentias, & oppoſitas, quoniam ſi diſcurreremus ſecundum diuiſionem tantũ, deficeremus in doctrina: quia omnes hæreſes malæ, & omnes malæ ſectæ, & omnes errores circa curationem non niſi à mala diuiſione proficiſcuntur. ſed quoniam genus ſummum, quod diuiſuri ſumus per oppoſitas differentias fruſtra diuideretis, niſi prius ſciremus quid natura ſit, cum ex Galeni ſententia omnis cognitio in methodo procedat à recta notione naturæ rei, ideo operæpretium eſt, primò cognoſcere diffi-

 nitio

nitionem febris: sed quid dicam de diuisione? imò & in ipsa resolutione, & in compositione idem prorsus agere debemus, nihil præterea demonstrari potest, nisi ipsa diffinitio cognoscatur, & ipsa est medium in demonstratione, ergo tanti est momenti, vt sine illa nec diuidere, nec cõponere, nec resoluere, nec demonstrare valeamus. Præterea bene dicebat Plato omnes nostras cognitiones à diffinitione proficisci, igitur à diffinitione est incipiendum.

Sciatis ergo diffinitionem dari per causas materiales, formales, efficientes, & finales: quia vt dicebat Aristot. poste. secundo, non differt diffinitio à demonstratione nisi sola positione, demonstratio autem per omnes causas datur, ergo & diffinitio, oportet ergo omnes causas febriũ inuestigare. Diximus autem in superioribus lectionibus quomodo in rebus naturalibus sunt omnes quatuor causæ, efficientes, materiales, formales, & finales. in rebus verò præter naturam tres tantum, quia non datur causa finalis, & diximus rationem, quoniam efficiens in his quæ sunt præter naturã non agit ex proposito, ideo nec à fine mouetur, quia finis præsupponit electionem, agit autem ex necessitate & violenter, propter solam approximationem passo disposito, de istis igitur cum febris

febris fit præter naturam considerabimus.

Febris igitur causam efficientem habet, quæ quid, & quot sint, per methodũ nobis est inuestigandum, id autẽ commodè fiet ex cõceptu febris, quæ est calor innatus auctus in humano corpore, & in ignis naturã conuersus. ergo causæ erunt quæcunq; calorem innatum præter naturam facere possunt, tales autem sex tantũ sunt. Augetur enim calor vel propter approximationẽ rei calefacientis, vt cum quis igni appropinquat, vel sub ardẽdi sole moratur: vel propter assumptum potum, aut medicamentũ calefaciẽs, ex approximatione harum rerum calidarũ augetur calor, & fit febris. Secunda causa est excitatio caloris per motũ, siue is fuerit animi, siue corporis, animi quidem vt in excãdescentia contingit, ex qua plerunq; fit febris, corporis verò vt in nimio exercitio, vt accidit quãdo fiunt ephemeræ ex hac causa. Tertia causa est quando augetur calor substantialiter, id est quando augetur substantia caloris, & hoc fit cum cibis, & potibus, & cum his quæ multum sanguinem generant, ex qua copia sanguinis calor augetur, calore autem aucto fit feb. vt in synochis ex sanguine aucto. quarta causa propter admixtionem corporum calidorum, non quidem substantialiter, sed per additamen-

tum, vt cum miſcetur res intenſi caloris cum minus calida, ex tali admixtione totũ redditur calidius, vt cum vapores calidi aduſti miſcentur cum contentis in corde, ex qua mixtione calor accenditur, & inflammatur, & fit feb. quinta cauſa eſt conſtipatio caloris facta à re aſtringente, & conſtipante calorem in anguſto, vt ibi concludatur, tunc augetur calor, ſicut in vaporariis contingit. Reſtat vt de materialibus cauſis dicamus, & formalibus. Sed diceret aliquis, Quomodo feb. habet materiam, cum ſit accidens, & qualitas quædam? quoniam nulla qualitas, & nullum accidens materiam habet, propriè loquẽdo, nec formam. Reſpondeo, dicimus febrem non habere materiam in qua propriè, quoniam licet accidens in ſubiecto ſit, non tamen eſt in ſubiecto, vt in materia, quia ſubiectum accidentis eſt in actu, materia autem in potentia, ideo accidens non habet materiam in qua, ſed ſubiectum. Non habet etiam materiam ex qua, quia non habet eſſentiam, ſed modum ſolummodo eſſendi: quia dicimus accidens ineſſe potius quàm eſſe, & hoc dico ſecundum opinionem communem rectè philoſophantium, quicquid dicant Scotiſtæ, reuera autem non habet eſſe accidens, ſed ineſſe, ideo non debemus dicere febrem (quæ verè

verè accidens est) habere materiam, sed dicimus habere materiam propter indicationes: quia non possemus aliter inuenire indicationes, & luciditatis gratia, & per similitudinem quandam ita appellamus, & dicimus materiam in qua esse mēbrum, quod recipit, membrum dico proximum recipiens feb. subiectum igitur proximum in quo est membrum recipiens, materia in qua appellatur, luciditatis gratia. Materia verò ex qua est ea quę proxima est ad morbum faciendum, inter quam & morbum nihil est medium, vt posita materia ponatur morbus, remota, remoueamur, & hæc etiam per similitudinem dicitur materia ex qua corporea, sicut cùm ibi per affluxum humoris ad membrum deuenientis ita coniunctus est morbo, vt posito humore ponatur morbus, & remoto remoueatur, vt in inflammatione, quæ cum habet sanguinem in loco contentum, huiusmodi materia faciens inflammationem vocatur materia ex qua: quia posita illa ponitur inflammatio necessario, qua etiam remota remouetur morbus, suppuratio etiam in abscessibus (quando contingit) dicitur materia ex qua, præterea vapores putridi sunt materia ex qua fit febris, non bilis, nec pituita, qui vapores putridi in corde existentes dic

tes dicuntur materia ex qua fit febris putrida. Materia verò ex qua incorporea, sunt qualitates interminatę. Diximus alias quòd quædam sunt ægritudines cum materia, quædam sine materia, materiales habent materiam ex qua corporea, immateriales incorpoream, qualitates videlicet interminatas. Et quoniam diximus caloré esse auctum in corde, si debet calor iste esse febris, debet habere certum gradum, quia non omnis calor in corde auctus febris est. calorem istum auctum non ita vt febr. faciat, qualitatem interminatam appello, & materiam ex qua, & per similitudinem quandam ita loquimur, dicitur enim interminatus iste calor materia, quia se habet in potentia ad certum, & determinatum gradũ, qui morbus dicitur. cum ergo calor innatus in corde talis esse posit, vt nondum sit febris, & posit terminari, hoc indicat potentiam, vt perficiatur ab aliquo perfectibili, & ista qualitas interminata, materia est ex qua fiunt ægritudines immateriales, sicut puncta dicimus materiam linearum, & lineas materiam figurarum, quatenus sunt in potentia ad lineas, vel ad figuras, quia terminantur à varietate linearum. Positis istis dicimus materiam proximam febris ex qua, intelligendo de febre, vt febris est

& in

(& in suo communissimo conceptu) esse calorem in corde, id est qualitatem illam interminatam, habet autem formam, certum determinatũ gradũ, vt sit febris, & lædat sensibiliter operationes, debet autẽ materia huiusmodi esse in corde: quia aliter ęgritudo nõ esset vniuersalis, sed feb. morbus vniuersalis est, igitur huiusmodi calor est in fonte caloris. Hæc satis de materia ex qua.

Quod modo difficillimum est id ipsum est de materia in qua, id est de proprio subiecto febr. est igitur videndum quódnam subiectum sit feb. qua feb. est, & tale sit vt in omni genere feb. conueniat, siue ephemera, siue putrida, siue hectica fuerit. Dicimus igitur feb. habere (quatenus febris est) proprium subiectum calorem innatum, sed antequam ad hanc propositionem declarãdam deueniamus, oportet scire calorem naturalem duplicem esse in genere, quidam enim dicitur actu influens, perpetuò à corde distributus ad omnes corporis partes, & in fonte generatus, & dicitur calor actu, quia habet actualem caliditatẽ, ratione cuius totum corpus viuificatur, & ponitur in actu, cũ prius in potentia esset. alius est vnicuiq; membro appropriatus, sine quo non dicitur tale mẽbrũ. & hic vnus est, licet vario modo se habeat in membris, & iste calor

lor innatus, siue complexionalis proprius vnicuique membro tot habet differentias specificas, quot sunt diuersitates mẽbrorũ. Alius enim est in osse, alius in carne, alius in alio membro, & iste calor complexionalis est illud, propter quod illud membrum tale est, quod vnicuique membro talis temperies requiritur, & talis moderatio caloris, qua conseruetur temperatum illius, vt in osse tantus est calor, quantus requiritur, quòd in tali membro, & variatur pro varietate membrorum. Alius perpetuo emanans à corde secundum variam complexionalis caloris aptitudinem suscipiendi, varie suscipitur, & sic varie alteratur calor ille innatus, qui est in membris implantatus, ab hoc calore influente, & ita vnumquodque membrum non agit per propriam temperaturam, sed cum viuificatur à calore isto, qui actum dat corpori physico organico potentia vitam habenti, nam in singulis organica habent potentiam suscipiendi vitam ratione illius actualis caloris, cum igitur duo sint isti calores, quæritur in quo sit febris, vt in subiecto. non est in calore complexionali, quatenus febris est (bene aliqua differentia febris erit in calore illo) sed est in calore influente à corde, aliter non esset febris. Sed quoniam iste calor quem influẽ-

tem

tem appellamus duplex est, quemadmodum Aristot. in secundo de partibus asserit. Galeno autem appellatur primo Aphorismo. decimoquarto commento, & octauo de placit. corpus mixtum ex aere & aqua à prædominio, à Platone in Timeo ex aere & igne, quem appellauit reticulum vel nassam, vt ex aere caliditas nimia ignis refrigeretur, & ex igne fieret vegetior, Galenus tamē voluit quod fieret ex aere, & aqua, ideo pro substātia acceptus, quæ propriam temperaturam habet est corporeus, subiectum est febris, & in ipso tanquam in materia in qua suscipitur. Alio modo innatum calorem intelligimus pro qualitate illa, quæ est in hoc corpore pro illa, scilicet intensione caloris. & ad hūc sensum dixit Galenus febrem esse calorem innatum ad igneum versum.

Quæ diffinitio data est per materiam ex qua, & per formam, ideo potissima fuit Galeno digna, quia omnis optima diffinitio ea est quæ datur per genus proprium, & per differentias, id est, in qua sit materia, & forma, quæ sunt principia intrinseca rei, calor igitur innatus, est genus, & materia, diuersimode consideratus, vt enim suscipit diuisionem genus est, cum dicimus calorem quendam esse temperatum, quendam intemp

temperatum,& ad igneum mutatum,seu ad id quod est præter naturam, & hæc est diuisio in genera subalterna, si verò consideratur, vt qualitas interminata terminabilis ab aliquo gradu accedēte, tunc dicimus calorem innatū, prout qualitas est interiecta, esse in potentia ad nouas formas suscipiendas,& sic rationem habet materię,ideo diffinitio hæc habet genus, quia inquit feb. est calor innatus,quod genus est vniuersale distinguendum per differentiam, quæ est versio ad naturam ignis, quæ accedit calori innato,& per hanc differentiam calor innatus fit febris cum prius esset in potentia ad febrem,ideo bene dixit Galenus,feb. est calor innatus pro qualitate acceptus, si verò consideramus ipsum pro qualitate interiecta, tunc data est diffinitio per materiā ex qua, quæ est ipsa qualitas interiecta, quæ quidem à propria forma terminatur, id est,ab igneitate,& suscipit tūc nomen feb. per formam appositam, quomodocunq; ergo dicatur doctissima erit diffinitio, & Galeno digna. ex hoc habetis confirmationē opinionis meæ, febrem habere substantiam propriam in calore innato, vt est corpus, quia qualitas existens in calore innato efficitur materia ex qua, quæ formam recipit. Et hæc satis quo ad quid febris, quatenus febris

bris est, & ita materiam propriam ex qua, habetis qualitatem interiectam quo ad substantiam proximam, habetis ipsum calorem innatum, vt est substantia, quantum verò ad formam, est qualitas ignea accedens ad calorem innatum, & sic patet, quid sit feb. in suo communissimo genere, quæ modo diuidenda est, sed antequam id à nobis fiat, oportet prius difficultates remouere, quæ in opiniõe hac meá moueri possent.

Multi enim arbitrati sunt opinionem istam crassam, & erroneam esse, nec sustentari posse, & inter reliqua habuerunt argumentum quòd ipsi crediderunt Herculem, sic igitur argumentabantur, Nullum genus subalternum quod oritur à summo genere potest coincidere in differentiis oppositis, cum genere distincto. Sed per te si poneretur substantia febris calor innatus, sequeretur quòd genera feb. contradistincta (quæ tria sunt, ephemera, putrida, & hectica, quæ diuiduntur per differentias sumptas à propriis subiectis) quòd vnum genus haberet easdem differentias cum genere contra distincto: hoc est absurdum, ergo & id ex quod sequitur. hoc argumentum tam validũ crediderunt nonnulli, vt abhorreant hanc opinionem, & dixerunt febrem proprium & proximum subiectum non habe-

re calor

re calorem innatum influentem, sed calorem complexionalem vniuscuiusque partis, & quoniam non sunt nisi tres partes vniuersales nostri corporis spiritus, humores, & membra solida, propterea per differentias horum subiectorum tria sunt genera feb. vel in complexione spirituum est feb. & ita est ephemera, vel in calore complexionali humorum, & est putrida, vel in calore complexionali membrorum, quæ dicitur hectica, & hæc distinctio, dicunt isti, necessaria est, nec vnum genus contradistinctum alteri habebit easdem differentias. Declaro modo argumentum. Quantum ad formam optimum est, quia est in secunda figura. Quantum ad maiorem manifesta est, quia genus contradistinctum cum alio, non debet coincidere cum genere opposito, si enim dicam substantia quædam corporea, quædam incorporea, nunquam in membro subdiuidēdo, id est in incorporea inuenieris differentiam corporalem, ideo maior est clarissima, minor etiam patet facillimè. Accipiamus hæc tria genera febris hectica, ephemera, putrida, & distinguatur per propria subiecta; ephemera dicetur quando calor in spiritibus est augmentatus, quando erit augmentatus in humoribus, putrida vocabitur: quando autem in membris solidis

lidis hectica,&c. ſed per tuam poſitionē calor innatus eſt proximum ſubiectum febr. quæ febris & calor innatus non differt à ſpiritibus,niſi ſecundum maiorem, vel minorem præparationem,& ſunt eiuſdem generis;ſi ergo eſt feb.quædā in ſpiritibus, quædam in humoribus, quædā in ſolidis, quia omnis febris eſt in calore innato, omnia genera feb. erunt ephemeræ,& ita omnia genera habebunt eaſdem differētias, propter iſtud argumentum dixerunt genus feb. penes calorem diſtingui complexionalem, & non inuenerunt genus vnum cōmune proximum vnicuique generi feb.. Alij dixerūt neceſſariò eſſe iſtos duos calores, quoniam oportet calorem innatum influentem augeri, & igneum fieri, ſed cum hoc neceſſarium eſſet, vt calor complexionalis ſpirituum, humorum, & ſolidorum ad igneum mutaretur,aliter non eſſet febris.

Pro veritate inuenienda oportet vt examinemus has duas opiniones. Quo igitur ad primam, qua dicitur ſufficere vt calor complexionalis ſpirituum, humorum, & ſolidorum membrorum præter naturam fiat,& ad igneum mutetur, vt ſit feb.Opinio hæc falſa eſt,& pro exemplo, ponamus calorem innatum in corpore cordis, vel in humoribus, qui ſunt in corde, contentum

præter naturam esse, nisi fuerit calor ille præter naturam susceptus, vt in subiecto, in ipso innato calore cordis diffuso per vniuersum corpus, indiget calore isto innato influente, quo deferatur per totum corpus. Quia dato quòd in subiecto cordis poneremus maximum calorem, aut in contentis in ipso, nisi calor hic innatus influens susciperet calorem hunc, & distribueret per totum corpus non esset febr. Quantum ad secundam opinionem quæ dicit necessarium esse vtrunque calorem, aliquid veri dicit, sed si consideratur genus contra distinctum, quia si debet dici febr. ephemera, aut putrida, aut hectica, debet calor terminari, vel ad spiritus, vel ad humores, vel ad membra solida, & si terminatur ad spiritus, dicitur ephemera, &c. sed isti non inuenerunt subiectum febr. qua febr. est, quia nesciuerunt distinctiones, nec subiectũ, sed tantum terminos caloris, & formam tantum, ita quòd verum dixerũt quo ad terminum, nec possumus aliter dicere, & sic opinio nostra firma, videlicet quòd febris qua febr. est, habet subiectum proximum calorem innatum, influentem à corde, prout est substantia corporea, nec aliter imaginari possumus. Pro ista positione duo oportet declarare

rare, primò quis sit calor iste innatus, & spiritus, secundò respondere ad argumentum. Dicimus ergo quòd calor innatus vt substantia proprium est subiectum febr. vt febr. est, nec potest imaginari, quòd sit feb. nisi calor iste influens suscipiat calorem igneum, qui febr. est, & ponat corpus eius in calefacto esse, quia si debet esse feb. oportet quòd calor iste innatus non quidem in calefieri sit, sed iam in calefacto esse ponatur, nec febris est priusquam fuerit calor innatus iam calefactus, præterea nisi febr. fuerit in quacunque parte corporis, non poterit dici febr. fieri autem non poterit vt in quacunque parte corporis sit, nisi fuerit in re ipsa existente in toto corpore. hanc rationem confirmant ea quæ apparent circa pulsum, & circa calorem corporis, quia nulla est febr. siue ephemera, siue putrida, siue hectica, quæ non conueniant in pulsu, semper enim in quacunque istarum aucta est necessitas, & calor est præter naturam in arteriis, sed motus arteriarum est institutus propter necessitatem, & recreationem caloris innati influentis à corde, quia perpetuò indiget euentatione, & propterea in quacunque febri videtis pul. ad frequentiam, velocitatem, & magnitudinē immutari, arteriásq; calidiores percipi-

tis,& si tangetis pulsum cordis percipietis velocitatem, ac frequentiam.apparet præterea circa partes istas calor validissimus ad tactum, quia calor innatus cordis versus est ad igneum, differunt autem feb. ex minori, vel maiori caliditate,sufficit quòd semper necessitas aucta est, & velocitas,& frequentia augetur, non ob aliam rationem, nisi quia calor innatus calefactus est, nec potest fieri aliter febr. nisi hic calor augeatur, & ad hanc opinionem nullum sequitur inconueniens. Quantum verò ad rationem in cõtrarium adductam dico quod crassa est, & orta ex malo intellectu verborum Galeni. Nam cum dicunt maiorem, dico ipsam esse veram, sed minor falsa est, nec intelligunt isti dicta Galeni. Nam cum dicunt, si calor innatus susciperet febrem, vt febris est vnum genus febrium, contradistinctum cum aliis haberet eandem differentiam, & ideo Galenus distinguit ea per propria subiecta. Dico quòd Galenus loquitur de substantia terminante, & de terminis quibus terminatur ille calor igneus, & à quibus tria principalia genera febr. distinguuntur,& ideo inquit,vbi calor ille innatus ad igneum versus terminatur ad spiritus,fit feb. ephemera,si ad humorem terminatur, & posuerit calefactum esse in hu-

morib

moribus, putrida dicitur, & si ad solida membra hectica, & ita ex terminis tot genera dicuntur. Calor autem innatus vapor ille tenuissimus sanguinis, qui est in sinistro ventriculo cordis, perpetuo effluens cum calore actuali, dans actu vitam omnibus partibus corporis: ille inquam vapor est qui accenditur in febre, & non erit febr. nisi vapor iste vertatur ad igneum. spiritus modo de quo Galenus intelligit, qui inflammatur in ephemera & fit terminus huiusmodi caloris existentis vt in subiecto, in calore innato influente, quãdo inflammatur talis calor tali inflammatione, vt secus terminus sit talis, quòd non posit figi nisi in materia tenui parata, ad inflammationem, sicut est spiritus, tunc talis calor habens hũc terminũ, ephemera dicitur, id est, vnius diei, quia illa qualitas præter naturam non est multa, nec vehemens, cũ non posit alias partes penetrare, seu ponere in calefacto esse sed tantum spiritus, sed quid est iste spiritus, declarat Galenus primò de differentiis febr. Et intelligit per spiritum aërem attractum per arterias & per inspirationem, quia quãdo inflammatur in arteriis augetur corporis calor, quia attrahitur vt refrigeret, at cum non posit refrigerare (quia ponitur in calefacto esse) accendit, &

auget calorem corporis, & fit febr. & prō isto spiritu, id est, pro aëre attracto intelligit Galenus. declarat hoc Galenus exemplo per similitudinem illam de folle, & inquit, si vultis videre quando aër inflammatur (quia modo aërem, modo spiritū eum appellat) inspiciatis follem ferrariorū, quando attrahit aërem calidissimum, huiusmodi aër attractus ponit corpus in calefieri, non in calefacto esse, ac si corpus illud haberet febriculam, ita in corpore humano, aër attractus per arterias, & per inspirationem inflammatur, per contactum caloris innati, conuersi ad igneum, & huiusmodi calor terminatur in aëre illo, & transit ad alias partes, & ponit eas in calefieri, aërem verò in calefacto esse, & facit febr. ephemeram, & ita videtis quòd Galenus non ponit calorem innatum eundem cum spiritibus, ideo ratio horum falsa est, si verò calor terminatur in humoribus fit putrida, cum autem ita validus est calor innatus, & perseuerans, vt solida membra ponat in calefacto esse, hectica, & ita tres differentiæ oriuntur penes formam, & terminum, & ista difficultas nata est ex malo intellectu verborum Galeni. Repetentes igitur dicimus non esse aliter dicendum, nisi quòd materia in qua febris, vt febr. est, nihil aliud

est

est, nisi calor innatus influens, & etiam materia corporea prout est qualitas intrinseca est materia ex qua, quæ postquam terminata est à forma igneitatis, febris est. ideo rectè dixit Galenus. Febris : & hæc satis quantum ad essentiam febris, qua feb. est, & difficultates circa essentiam eius.

Alia est præterea difficultas quæ orta est à quibusdam clarissimis viris in hoc Gymnasio, & quia fuerunt viri maximæ auctoritatis, ideo remansit in mentibus scolarium, est enim nata hæc opinio ex malo intellectu, vt ostendam. Voluerunt isti quod febris, quatenus febris est, non posit fundari nisi in membris solidis, & vanum est dicere posse in calore naturali, vel in spiritibus, aut in humoribus fundari, & habuerunt vnam rationem dicentes, non potest esse affectus in membris, nisi in corpore animato, quomodo ergo aliquis sanæ mentis diceret subiectum morbi esse partem corporis inanimatam, ac si dicerem febres esse in osse, ergo oportet dicere febres esse in parte corporis animata, sed non videntur esse partes animatæ nisi membra solida, sicut caro, nerui, ossa, ergo ista sunt subiectum febris. Notetis Domini positionem hanc habere multa peccata, & nascitur ex falsa suppositione, tum ex falso in-

tellectu morbi, & sanitatis. Quantum ad positionem dicunt rem maximè absurdã, dicunt enim fundari febr. in membris solidis, qua febr. est. Si hoc esset verum sequeretur quòd omnis febr. esset hectica: quia omnis feb. qua febr. est dispositio facta, & non fiens, sicut bene ostendit Galenus primo de differentiis feb. Si ergo feb. est dispositio facta, si ponitur in solidis membris hectica est, quæ differt ab aliis feb. quia aut ponuntur membra in calefacto esse, & est hectica. cui autem competit diffinitio, competit diffinitũ, ergo cum in omni febr. ponantur solida membra in calefacto esse, omnis febr. erit hectica. Si autem quis diceret dico quod dispositio hæc partim est in facto esse, partim in fieri, tunc sequitur, quòd quantum ad eam, quæ est in fieri, falsum sit id quod dicis, quod feb. sit dispositio facta, & quantum ad eam, quæ est in facto esse tunc erit in solidis membris, contra est Galenus tertio de præsagiis ex pul. 4. Ponit in humoribus cordis calorem præter naturam contineri, & tamen corpus cordis non erit non solùm in calefacto esse, sed frigidum, & ponit ibi casus, in quibus potest corpus cordis frigidum esse, & humores calidi, & dabitur febr. putrida cum frigiditate substãtiæ cordis, quomodo ergo erit feb.

febr. in solidis vt in subiecto? Præterea Galenus primo de differentiis febr. inquit, excogita aquam calidam in lebete esse iniectam, & corpus lebetis esse in calefieri, hoc intelligit ad exemplū de humoribus, ergo feb. erit in humoribus, cum tamen corpus non erit in calefacto esse. Fundatur præterea in falsa suppositione, falsum enim est quod supponunt, nam quādo inquiunt feb. fundari in corpore inanimato non posse, concedo, sed cum dicunt calor innatus non est animatus, falsum supponunt. quoniam Galenus inquit calorem innatum vel esse animam, vel proximum eius instrumentum, & nullam operationem in corpore humano fieri sine calore innato, in quo anima exercet operationes suas, & si membra organica ideo dicuntur animata; quia sunt instrumenta particularia animæ, quomodo calor innatus qui est instrumentum vniuersale animæ non erit animatus? Qui si dicerent calorem innatū, ideo non esse animatum: quia non habet sensum: Dicam & ego cerebrum non esse animatū, neq; ossa, nec pulmonem, neq; hepar, minúsq; ægrotare, quoniam sunt sine sensu, & tamen membra hæc ægrotant, præterea, malè conceperunt de morbo, & sanitate. Morbus & sanitas opposita sunt, possunt contin-

gere in quacunque parte. & in quocunque corpore. Vbi eſt vis alendi, & augendi, & illud ſuſcipit ſanitatem & morbum. Probatur autem ſic: quicquid ſuſcipit nutrimentum poteſt bene, & malè nutriri, id eſt ſecundum, & præter naturam. ſed quicquid ſuſcipit nutrimentum ſecundum naturam, dicitur ſanum, quod præter naturam corrumpit operationem iſtam, & illud infirmum dicitur, vnde & arbores, quia nutriuntur, poſſunt recipere ſanitatem, & ægritudinem, & Theophraſtus ponit ægritudines arborum, & curat eas, modo quod calor innatus nutriatur, augeatúrque, clarius eſt quàm quod probatione ſit opus. habetis à Galeno, quomodo nutritur, & ex quibus, & oſtendit ex vapore ſanguinis, & aëre attracto conuenienti nutriri. cum igitur nutriatur, & augeatur, ergo melius & deterius nutritur, & ſecundum naturam, & præter naturam, & conſequenter ægrotat, & ſanus eſt. Et ideo non incõuenit, quod in calore naturali ponatur ſanitas, & ægritudo: ſed propriè loquendo licet calor innatus ponatur ſubiectum febri non tamen dicimus ipſum febricitare, ſed hominem, qui calorem habet igneum, nec oculus eſt cæcus, nec neruus dolet, ſed homo non videt, & cæcus eſt,

&dol

& dolet similiter, quia habet neruum. si dicatis etiam in feb. calor præter naturam est in omnibus membris, & nulla pars est sine calore præter naturã. Verũ est, sed in omnibus partibus est in fieri, sed in proprio termino est, in facto esse, & si calor est in spiritibus tanquam in proprio termino, est in facto esse, in humoribus verò, & in membris erit in calefieri, & hinc est quod homo percipit febrem, & dolet in omnibus membris: quia solida membra calefiunt, & ibi est inæqualitas diuersa, & dolor ex mala temperatura, & ex solutione continui, ideo percipit dolorem, & puncturam membrorum: quia membra ponuntur in calefieri, cuius signum est, quod tunc febris hectica est, cum nihil sentiunt: quia temperatura est iam facta, & non amplius fit motus, nec alteratio aliqua, quia dolor est in alteratione. Verum ergo est quod omnis febr. solida calefaciat membra, sed non sunt in calefacto esse. Febris autẽ dicitur febris pro parte calefacta, & hæc est veritas, quòd calor innatus, vt substantia, est subiectum febris, quatenus febris est.

Ideo si quis interrogatur ex vobis in quo sit febris, vt in subiecto, Respondeat in calore innato influente, & verso ad igneũ, pro qualitate calorem innatum intelligendo

gendo, si postea quis interrogaret, quis febriat, ne dicatis calorem innatum febrire, sed humanum corpus: quia aliud est subiectum denominationis, aliud passionis, exẽpli gratia in bubone sanguis feruet, & putrescit, & putredo, & feruor est in sanguine, tanquàm in proprio subiecto, non tamen dicimus bubonem pati ægritudinem, sed femur. si quis etiam interrogaret quomodo ergo, (ex quo subiectum proximum febris est calor innatus influens) quomodo inquam in omnibus partibus corporis erit febris? Respondeas, calor influens, qui diffunditur à corde ad omnes corporis partes, facit vt calor complexionalis vniatur illi, vt formæ, & ideo febris est in singulis partibus, & membris: quia est in calore innato influente, qui vnitur complexionali calori vniuscuiusq; membri, & ita afficitur, vt hæc passio sit morbus vniuersalis, existens in singulis partibus, cuius signum est quod in febribus malignis, & in principio febrium putridarum maximus feruor est circa præcordia, cum extrema frigeant, nec prius incalescũt præter naturam, quàm calor diffundatur per totum corpus, & ita fit in singulis proximis ponens calorem cõplexionalem in calefieri, cum tamen calor innatus influens sit in calefacto esse, iste

modo

modo calor innatus quando non est ita inflammatus, sed moderatè, vt non posit ponere in calefacto esse, nisi spiritus in membris, & in corde existentes, febris hæc ephemera appellatur, si modo ad solida terminabitur; & eorum calorem complexionalem ponat in calefacto esse, & hoc quoad terminum ad quem terminatur, hectica dicetur. His visis facilis est responsio vnicuiq; dubitationi. Accedamus modo ad diuisiones. Dicebamus quod febris variæ, & diuersæ sunt diuisiones secundum varium cóceptum febris, si enim consideramus febrẽ in communi subiecto qua febris est, vt dependet à materia ex qua, vt qualitas interminata non vt substantia, si diuidere vultis sub huiusmodi conceptu ita diuiditur. Febris quædam pendet à caliditate aucta interminata, quæ simplex est, sine permixtione substantiæ, quædam est cum additione, & mixtione alicuius substantiæ calidæ extraneæ permixtæ huic calori interminato. Dicebamus ergo calorem augeri tripliciter, aliquando propter augmentationẽ solius qualitatis, quandoq; propter augmentationem solius substantiæ caloris innati aliquando, quia permiscetur quid calidius, vt in putridis febribus, cum vapores miscẽtur putridi. Si igitur augeatur in qua-

litate tantùm sine permixtione substantiæ, tunc efficitur illa ephemera, quæ dependet à simplici qualitate. Et nonnulla genera hecticarum. Dico nonnulla quia aliquando habent calorem mixtum cum vaporibus, vt ostendemus. si verò addatur illi aliquid aduentitij, vt putredo, febris à putredine oritur, cum scilicet putridi vapores ascendunt ad cor, & miscentur cũ calore innato, quandoq; inquam miscentur cum calore innato vapores acres, putridi, & fit omne genus putridarum, & hæc diuisio triplex genus febrium parit, & habetur à Galeno primò de differentiis feb. Non quidem explicitè, sed virtute.

Vel sumitur diuisio secundum alium cõceptum feb. videlicet à forma, & gradu caloris, considerando intensionem in gradu, tunc dicimus aliquas esse febres, intensas, aliquas remissas.

Quædam verò diuisio sumitur à motu caloris, prout vel citius, vel tardius terminatur, & dicimus tunc quasdam esse breues, quasdam verò longas, & hæc diuisio ab Hippocrate est tradita primò Epid. & à Galeno in primo de Differentiis febrium.

Quædam diuisio sumitur à termino in quo figitur calor febrilis, qui prius, vt in

subie

ſubiecto proximo, eſt in calore innato, & iſta eſt diuiſio maximè propria feb. quoniam omnes diuiſiones, quæ dantur ab vltima forma ſpecifica, ſunt vltimæ, & quia terminus dat vltimam perfectionem rei, ideo bene diſtinguuntur à terminis. Vbi igitur eſt in tali gradu calor, vt inflammet ſpiritus, habetis vnam formam, & gradum ſeparatum, & vbi non poteſt pertranſire: quia non eſt validus, fit vna feb. quæ à termino, & forma appellatur ephemera, ſi verò calor acris fuerit, & humores accendat in cõtentis in corde, & in partibus corporis appellatur putrida, & hæc diſtinctio ſumitur à termino in quo figitur, ſi verò ita acris fuerit, vel perdurans, vt facere poſsit impreſsionem in calore complexionali membrorũ, & conſumere humidum nutrimẽtale, & radicale, dicetur hectica, & iam tria genera febrium habetis, quæ à Galeno maximè conſiderãtur, à quibus generibus ſumuntur diuiſiones earum, & hæc nos diuidemus vſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas ex præcepto Mneſithei, & proceſſus erit primò ab ephemeris, & omnes ſpecies ſpecialiſsimas inueniemus. Quibus inuentis, quæ ſint, & quot, & à quibus cauſis perueniant, oſtendemus. poſtremò ſigna earum ponemus, & indicationes per methodum ſumemus. His

declaratis ad hecticas deueniemus, postremò ad putridas. circa igitur istas diuisiones obiter declarabitur quicquid Galenus in hoc tractatu de febribus asserit.

Accipiendo igitur hoc membrum de ephemeris, ita dicimus, Febrium ephemerarum, quædam simplices, & simpliciter tales, quædam non simplices, sed admixtæ, & ambiguæ inter putridas, & ephemeras. & hæc diuisio sumetur ex parte substantiæ. Ephemerarum simpliciũ, quædam nascuntur à causa recedente, quædam à causa permanẽte post impreßionem factam, omnes tamen ortum habẽt à causa procathartica. Febrium simplicium ephemerarum dependentium à causa recedente, quædam dependẽt à causa extrinsecus adueniẽte, quędã ab intrinseco affectu accedente, ephemera simplex à causa recedente ab extrinseco pendet ab aeris feruore, cibo, potu, medicamentis, vt si quis in sole feruente ambulauerit, vel exposuerit se igni, ita vt calor innatus, & spiritus inflammetur, & hæc, causa extrinsecus adueniens addit qualitatem solam, & hæc est causa augmentati caloris, quæ fit per additionem solius qualitatis, dicitur causa recedens, quia etiam si sol & ignis recesserunt, feb. tamen adhuc permanet & perdurat per diem, vel fit à potu & cibo as-

bo as

bo assumpto, qui peccant, vel qualitate, quia nimium calida sunt potentia, vel propter multam quantitatem. Quantum ad qualitatem attinet contingunt feb. ephemeræ simplices, ex potu vini potentis vt Cretici, vel ex cibariis calidioribus cum multis aromatibus inflammationē facientibus caloris innati, & spirituum. quæ autē propter quantitatem cōtingunt ob quam calor innatus augeatur, ephemeræ compositæ appellantur. Cum ergo quis in simplicē ephemeram incurrit ex potu, aut cibo secūdum qualitatem calidiori. istæ duæ causæ sunt recedentes, exterius aduenientes, quæ faciunt ephemeram simplicem, quæ omnes conueniunt in hoc quòd addunt qualitatem solam calori innato, ex qua additione augetur, & ipse & hæc additio fit à feruore aeris, vel solis, vel ignis, vel à regione, vel à cibo, & potu, & medicamentis qualitatem intensiorem imprimētibus, quæ causæ postea recedunt, & omnes ab extrinseco aduen iunt. Causæ verò ephemerarum simplicium, quæ procedunt ab intrinseco, procedunt ab affectu animi, vel corporis aut vtriusque. quæ ab animi affectu, sunt à mœstitia, vel ab ira. & hæc est secunda causa, quam diximus calorem augere, prima est additio qualitatis, secunda motus, in ira

quidem augetur calor ex nimia excitatione motus, mouetur enim calor & spiritus ab interioribus ad exteriora, cum appetit vindictam, & motus iste compositus est ex attractione, & dilatatione, in mœstitia verò fit sola attractio ab exterioribus partibus ad interiora, ex qua attractione excitatur calor innatus per hunc frequentem motum, sicut etiam ex studio, & animi valida applicatione ad rem, ex qua spiritus accenduntur in corde, contingit, & istæ ephemeræ, quæ ab ira, & quæ à mœstitia fiunt ob secundam causam id est ex motu, & excitatione caloris fiunt, causæ tamen istæ recedunt, vel fiunt ab intrinseco affectu corporis, vt à nimia excitatione, ex qua generatur lassitudo, ex membrorum enim africtione calescunt, & ignescunt membra, & iuncturæ, quæ caliditas paulatim, & successiuè inflammat calorem innatum existentem in partibus illis, donec successiuè ad cor deueniat, & tunc calor innatus inflammatur, & diffunditur per totum corpus, & fit epheme. ab intrinseco affectu corporis, & non animi, & recedens, quia recedit exercitatio, & febris remanet impressa, & hæc febris fit per exercitationem, & motum, quæ est secũda causa. vel ab effectu intrïseco communi animi, & corporis, & istæ

istæ sunt vigiliæ, quoniam ex vigilia affligitur anima, & corpus, & spiritus ob vigilias incalescunt. & innatus calor ab eo motu nimio. Et ita cōueniunt omnes tam quæ à mœstitia, ira, quàm quæ ab affectu corporis, & ab affectu communi vtrisq; in hoc, quòd omnes habent causam efficientẽ motum nimium, ex quo excitatur calor ad igneam qualitatem. & ita generantur species omnes indiuiduæ ephemerarum à causa recedente, ad quas cum deuentum iam sit, iubet Plato, & Mnesitheus quiescere vt dicit Galenus, quia indiuiduum non habent amplius diuidere. In ista igitur prima diuisione, cum dicebamus ephemerarum simplicium, quędam à causa permanente, quædam à causa recedente fiunt, habetis sex species indiuiduas illius primi membri, & ibi nos sistemus quantū ad diuisionem attinet, quoniā iam & naturas, & causas omnes habuistis. Est modo aliud mēbrum diuidendū, videlicet epheme. simplicium, quædā fiunt à causa permanente, de his impræsentia disseramus. epheme. quæ fiunt à causa permanente, vel fiunt à constipatione meatuum, vel à frigiditate extrinsecus claudēte poros, vel ab aqua aliqua aluminosa, aut ferrea, in qua ablutus quis fuerit, quoniam astringētes sunt, ex ea enim cōstrictione, pori con-

ſtringuntur exterius,& cum non poſsit diſſlari calor,recipitur in anguſto loco,& tunc augetur, & hæc eſt cauſa tertia ſecundum quam augetur calor,& iſtæ ſunt ſimplices ephemeræ à cauſa permanente.ideo dictæ à cauſa permanente,quia dum adeſt febris, adeſt etiam & conſtipatio,& hoc multum refert ſcire an cauſa permaneat ad curationes. & debetis contra diſtinguere hoc,contra illas ſex ſpecies,quæ non habent cauſas permanentes,quia multum refert ſcire an cauſa permaneat necne. Alia eſt ſpecies quę à putredine fit.ſed dicetis ergo in ephemera eſt putredo,verum eſt,ſed non vapores putridi,quia bubones faciũt ſæpe ephemeras ex inflammatione in inguine exiſtente,in quo ſanguis primo ebullit,ſecundo putreſcit,à qua putredine eleuantur vapores,ſed non veniunt ad cor,ſed tantũ per ſucceſsionem partis poſt partem, inflammantur partes donec ad cor inflammatio perueniat,ſi malignus fuerit bubo & tanta materia,vt putridi vapores non ſolũ calefaciant loca, & qualitatem percipiant,& fiat feb.ephemera,ſed etiam aſcendant ad cor,putrida fiet,quæ febris ex bubone fieri poteſt,quæ mala erit per viam ſigni,& cauſæ.cum verò fit ephemera bona eſt per viã ſigni,& cauſæ,ideo dicebat Hippo.Apho.7.

omnes

omnes febres quæ consequuntur bubonem malæ sunt, præter ephemeras: nō enim indicant materiam esse tantam, vt vapores putridi ascendant ad cor, sed caliditas, quæ est in bubone calefacit venas, & arterias, & primò proximas, vt tandem caliditas perueniat ad cor, & fiat febris & augetur tunc caliditas caloris innati per additamentum simplicis qualitatis. & ita habetis duas species ephemerarum à causa permanente, quia existente febre permanet etiam constipatio, & calefactio fit à putredine in bubone, quæ facit caliditatem tandem ascendere ad cor, & hæ sunt duæ species indiuiduæ. hactenus habuistis species ephemerarum quarum sex à causis recedentibus dependent, & illæ ita se habent vt vna à feruore aeris, altera à cibo, potu, & medicinis dependeat, reliquæ quatuor ita se habent, vt duæ ab affectibus intrinsecis animi proueniant, sicut à tristitia vna, altera ab ira, tertia ab affectibus corporis, à lassitudine, vltima ab affectu intrinseco communi animæ & corpori, & fit à vigiliis, & ita sex species habetis à causis recedentibus. Quæ verò à causa permanente fiunt duæ sunt, vna à constipatione, altera ab inflammatione bubonis fit, quæ per additionem fit simplicis qualitatis. Erat in pri-

ma diuiſione febrium ephemerarum, quòd quædam ſimplices erant, quædam mixtæ, enumerauimus octo ſpecies ſimplices indiuiduas; nunc ſupereſt, vt ſecundum membrum accipiamus. Quædam ſunt febres ephemeræ compoſitæ, & hæ ſunt illæ, quæ à conſtipatione meatuum ſimul cum augmentatione ſubſtantiæ caloris fiunt, & hæ conueniunt cum illis duabus ſpeciebus quæ habent cauſas permanentes, quoniam & iſtæ duas habent cauſas permanentes, vna eſt conſtipatio, altera caloris augmentatio in ſubſtantia, ex cibo, & potu ingeſto, ex eo enim calor, & ſanguis augetur in corpore. Vbi autem plurimum eſt ſanguinis, ibi plurimum caloris innati ineſt, ideo qui creſcunt plurimum habent caloris innati dicebat Hippoc. & in quantitate eſt augmẽtatus calor, non autem per additionẽ qualitatis, ſed ſubſtantiæ vaporoſæ, ideo calor innatus augmentatus eſt in ſubſtantia, & venæ omnes in hac febre apparent plenæ plurimo ſanguine, & calore, ſi poſt augmentum iſtud caloris aduenit exterius aliquid conſtipans meatus cutis, vel frigiditas, vel aqua aluminoſa, vel ferrea excitatur vna ſpecies ephemeræ, quæ mixta eſt ſapiens naturam putredinalis, & hæc appellatur à Galeno nono metho. ſynocha ſine putredine

tredine, quæ media eſt inter ephemeram & putridam, & dicit ibi Galenus. quòd non oritur in corpore debili, & tenui, ſed eucrato, & quadrato, vbi plurimum eſt ſanguinis, & hoc eſt quòd diximus, quòd duo concurrunt, caloris multitudo, & conſtipatio, & occluſio caloris in anguſtis, & ſi non adeſſet niſi multitudo caloris, quandiu euentatur, permaneret corpus ſanum, ſed vbi conſtipatio adiungitur, fit febris hæc ephemera, in qua calor bonus eſt, aliter fieret putrida non ephemera, & ſynocha appellatur, ideo bene diximus non fieri in corpore malè habitudinis, ſed in quadrato, & eucrato, & hæc à duobus cauſis pendet copulatiuè, à conſtipatione, & ab augmentatione caloris in ſubſtantia, quæ eſt quinta cauſa ex cauſis iam enumeratis, quæ calorem augent innatum. & febres ita ſunt in ancipiti, ſicut veſpertiliones, qui habent naturam volatilium, & quadrupedum. Sapiunt enim naturam putridarum quia ſanguis feruet, & niſi adhibeatur diligentia, in putridam tranſiret. igitur febris hæc media eſt, ſed prius ephemera eſt, quàm putrida, quia putrida à vaporibus putridis oritur, in hac autem non eſt vapor putridus, meritò autem media ponitur, & ita habetis vnum genus ephemerarum, quod meritò genus appel-

latur, quia diuiditur, & diuisio oritur ex natura rei, & diximus quòd à duabus causis dependet simul, & à multitudine boni sanguinis, & à constipatione meatuum extrinsecorum. Ex natura huius rei nascuntur tres species specialissimæ si fit tamen hæc feb. propter prohibitionem vaporum transpirabilium pro varietate transpirationis, variæ etiam fient feb. Notetis tamen cum dicimus vapores prohiberi, non dicimus, ꝙ cutis fiat vti cortex cancri, sed obstruuntur pori ad rationem humani corporis, & dicimus cutis poros obstrui, nō quia omnes sint obstructi, sed maxima pars. vel plures igitur euaporant vapores, quàm retineantur, vel erit contrarium, si plures retinentur, quàm sit portio eorum qui transpirant, vel erunt æquales, hoc est tanta portio est eorum, qui retinentur, quàm eorum qui transpirant, si contigerit vt plures transpirent, fit vna species quæ paracmastica nominatur, id est decrescens continuò à principio, vsque ad finem, declinat autem, quia causa huius feb. est prohibitio vaporum calidiorum existentium in sanguine, vt quia plus sit quod transpiret, quàm quod retineatur: ideò semper procedit declinando, & ebullitio fit minor, & feb. minor: si verò plus retineantur, quàm transpirent, epacmastica appellatur

pellatur, ſemper augendo procedens,& incipit ab vno puncto, & ſemper augetur vſque ad ſtatum, quia ſemper ſunt plures vapores, qui retinentur, quàm qui tranſpirent. ſi autem æquales ſint homotona appellatur; id eſt ſemper eodem modo procedens à principio, vſq; ad finem. quia tot ſunt vapores, qui retinentur, quot qui euaporant, & ita vndecunque habetis ſpecies ephemerarum quæ nec plures, neque pauciores eſſe poſſunt, quarum octo ſunt ſimpl. ſex à cauſa recedente, duæ à cauſa permanēte, vnum verò genus ephemerarum, quæ mixtæ ſunt, & mediæ, quòd quidem trifariam diuiditur in tres ſpecies ſpecialiſsimas, quarum vna paracmaſtica, ſecūda epacmaſtica, tertia homotona appellatur.

Sunt igitur omnino vndecim ſpecies, quæ vlterius diuidi nō poſſunt, & omnium habuiſtis cauſas, & vnde, & quomodo, & quare emanent à ſummo genere. His declaratis nil aliud erat agendum, niſi vt ad curationem accederemus, & ſumeremus indicationes curandi, & quoniam non poteſt curari ægritudo, niſi noſcatur natura eius, quando natura morbi occulta eſt, oportet vt inſtrumenta habeamus, vt cognoſcamus eam, qua cognita ſumamus indicationes, ideo antequam de indicationibus agamus,

 oportet

oportet primò tradere signa, quomodo per ea posſint febres ephemeræ cognoſci. Et hoc multum refert, & licet nonnulli dicant, ephemeræ non curãtur, niſi raro, & hoc ſuppoſito, non curant addiſcere modum curandi eas, peccant tamen, quoniam hęc eſt ſimplicisſima feb. non poſſumus autem cognoſcere compoſita, niſi prius cognoſcamus ſimplicia, hæ autem ſunt ſimplicisſimæ, ergo oportet prius cognoſcere iſtas, præterea non eſt verum quod dicunt, non vocari medicos in huiuſmodi ephemeris febribus, imò ſæpisſime à nobilisſimis viris vocamur, & tũc maximũ dedecus eſt eas non cognoſcere, & errores non parui perpetrãtur, quòd à Galeno dicitur octauo methodi, ſæpe enim ob errores medicorum malè curãtium, deueniũt ad inſanabiles ægritudines. & Auicenna, ſumma diligentia, & ſermonis prolixitate omnes enumerauit ſpecies, & quomodo per ſigna inueſtigandæ ſint, & omnes ſuas cauſas dixit. debetis igitur omnia ſigna proſpicere, nec erit multum difficile cognoſcere naturas feb. ephemerarum per ſigna ſua, quoniam ſciuiſtis iam quòd feb. ephemera, cum ſit in calore innato, vt in ſubiecto non terminatur niſi ad ſpiritus exiſtentes, primò in corde, deinde in omnibus partibus corporis, nec eſt calor multum

excedens

excedens, quia non inflammatur, nisi spiritus, non humores, non adest multitudo aliqua. propterea nullum symptoma sequitur animaduertendum, nec quoad operationes læsas, nec quoad symptomata, quæ eas consequantur, de quibus omnibus, cum de putridis agemus, loquemur. Et si quis diligens fuerit ex primo intuitu cognoscet eas, & maximè ex calore tactu percepto, reliquæ omnes, & putridæ, & hecticæ habent calorem mordacem, in istis mitis cum humiditate sentitur, pulsus etiam qui præco est, nullam inæqualitatem ostendit, & ideo est: quia inæqualitas est cum natura aggrauatur ab aliquo humore, hic autem cum non adsit humor, nec putrescens, neque adustus, non est grauata natura, igitur in motu non est impedimentum, ergo æqualitas erit in pulsu, fiunt autem magni, veloces, & frequentes, non tamen ita frequentes, sicut veloces, quia aucta est necessitas, & virtus est fortis, arteria autem non est mutata. Aucta est necessitas, quia calor versus est ad igneum, ideo indiget maxima euentatione, & quoniam virtus fortis est, frequentia non est ita necessaria, sed pro frequētia supplet velocitas, ideo pulsus velociores fiunt quā frequentiores, præterea vrinæ non sunt immutatæ ab iis, quæ solent esse secundum

naturam; in ea temperatura, quia calor non est ita auctus, vt posit inflammare insigni inflammatione, & cum vrina sit excrementum sanguinis talis, vt esse oportet, non sunt etiam crassæ, non habent subsidentiam, lucidiores sunt, propter caliditatem igneam additam, præterea terminãtur viginti quatuor horis, sed hic aduertendum est debere nos formam earum attendere, non ex paroxismo, neque ex motu iudicium facere, vt docet Galenus in secundo de crisibus, aliter erraretis, hæc igitur indicabunt febres ephemeras in generali.

Quantum autem ad species, vt ab ea incipiamus, quæ fit à solis ardore, oportet ex signis particularibus eam cognoscere. Quicunq; ergo à solis ardore, aut æris, vel ignis inciderint in febres ephemeras, tales catarrho corripiuntur, tum quia caput supercalefactum attrahit, tum quia sanguis ebullit, & viæ dilatantur: & caput redditur imbecillum, quo fit vt caput resistere non possit fluxionibus, & catarrhis, & fere semper dolor capitis apparet, vel destillatio, vel vtrunque, præterea rubedo apparet in facie, & oculis, percipiunt sitim maximam ob plurimam exiccationem in eis factam, habent pulsum minorem, & quanto minores sunt tanto velociores, quia supplet sem-

per

per natura magnitudinem cum velocitate, & quia non supplet magnitudo ob paruitatem, supplet frequentia, ideo respectu aliorum minores, velociores, & frequentiores sunt.

Quæ verò à cibo, & potu calidiore oritur ephemera, habet pulsus longè maiores, quàm multæ reliquarum, & maiorem velocitatem, & frequentiam: quoniam ex cibo, & potu calido, calor innatus, & spiritus inflammati sunt, & virtus non est diminuta, imò potius aucta, ideo cum virtus non sit diminuta, & necessitas aucta, pulsus fiunt magni, veloces, & frequentes, habent sitim, quia sitis est appetitus frigidi, & humidi, & quia isti inflammati sunt valde, ideo sitiũt, prẹterea habent nauseatiuam satietatem, & euomunt biliosa, ob caliditatem enim ventriculi, & hepatis bilis regurgitat ad ventriculum, & fit nausea, habent isti vrinas tinctas respectu aliarum, quia hepar & renes inflammantur.

Ab animi verò affectibus qui incidunt in ephemeram à mœstitia tales habent oculos concauos, intuentur cum mœstitia, & veluti cum quadam misericordia, & mansuetudine, habent præterea ariditatem corporis, vt videatur corpus detumuisse, & deuenisse ad tabem in superficie, non quia

quia caro sit diminuta, sed quia spiritus resoluti sunt, & cõtractum est corpus non tabida contractione. pulsus parui sunt: quia corpus exiccatum: tardi, quia virtus non est valida, habent frequẽtiam maximam, quia debiles sunt isti in virtute, præterea si tãgitis istos, in primo tactu non percipitis caloris quãtitatem, sed acrimoniam: quia multum humidi, & innatus calor ob mœstitiam resolutus est.

Qui verò ob iram inciderunt in febrim omnia habent opposita, oculos habent toruos, & minabundos, oculos præseferũt mobiles multum, ob expãsionem caloris, propter appetitum vindictæ, in facie rubedo apparet, quia ob imaginationem in cerebro factam ob vindictam, spiritus sunt cõmoti ad caput, præterea tactu magnam caliditatem percipitis, nõ acrem, quia non multum perseuerat ira, & quia transit ebullitio in sanguine, ideo fit veluti turgens, nǫ adest exicatio, quia non adest causa exiccationis, pulsus magni sunt, quia virtus non est dimuta, veloces, & frequentes, quia aucta est necessitas.

Qui à vigiliis, conueniunt cum illis, quia mæstitia laborant: quia habent cauitates oculorum, & vix possunt attollere palpebras, quas tumidas habent, veluti vaporibus

bus repletas, & cum facie subtumida, præterea in reliquis, conueniunt cum mœstitia, quia ex vigilia multum de calore innato, & spiritu exiccatur, ideo isti sunt debiles, propterea paruos habent pulsus, ac tardos, frequentes tamẽ, propter auctam necessitatẽ.

Qui verò ex lassitudine in febrem ephemeram inciderunt, habent totum corpus subaridum, & perpetuò sentiunt lassitudinem, & fractionem membrorum, & causæ præcesserunt, quia multum laborarũt: pulsum habent paruum, & quadantenus durum ob motum, vrinas habent tinctas, quia nimius motus præcipitare facit bilem ad renes, & ad vasa vrinaria: paruam habent vrinæ copiam, quia exiccati, & excrementum humidum per sudorem resolutũ fuit, ideo non habent copiosas vrinas.

Qui verò inciderunt ex cõstipatione, non habent oculos concauos, sed turgẽtes, quoniam ex constipatione collecti sunt, & clausi vapores, pulsus sunt maximè veloces, & frequentes, quia virtus valida, & fortissima est, caro præterea indurata apparet, nec sentitur caliditas primo occursu, quia contracta, sed cum diutius tangendo immoratur manus, ex caliditate manus pori dilatantur, & tunc occurrit caliditas manui, antea clausa exìstens, & acris percipitur.

Quæ

Quæ verò pendet à putredine in bubone, habet caliditatem proximam putredini magis quàm ceteræ ephemeræ, & tactu videtur corpus feruere, & propterea accidit, vt ex putredine orta videatur. & ratio est, quoniam hæ febres à putredine dependent, sicut putridæ: non tamen sunt putridæ, quoniam si putrida esse debet, oportet vt fumi putredinales accedant ad cor: nunc autem non accedunt, sed per partem post partem accenditur calor, & semper huiusmodi calor succedit à putredinis loco tanquam à foco, ideo calor est maximus in istis, & pulsus maximi sunt, veloces, & frequentes, quia virtus tota collecta est, nec facta est resolutio aliqua à morbo, neque à causa procathartica, sed mitis est calor, & æquales sunt pulsus, præterea tales habent vrinas albas, quoniam materia tingens vrinas tota conuersa est ad inflammationem, quia humores trahuntur ad eas partes.

Supersunt modo synochæ ephemeræ quas pendere diximus à duabus causis copulatis, à constipatione, videlicet cum plenitudine venarum, hac de causa diximus non accidere has febres corpori gracili, cum ergo hic sit constipatio, & plurimus sanguis ebulliens in venis ob prohibitionem vaporum, qui difflari debent, calidita-

tem

tem maximam habent,ideo diximus,quod non sunt simplic. ephemeræ, quoniam sunt veluti viæ ad putridas, & nisi curentur diligenter, in putridas transeunt. in his vrina est rubea, crassa aliqualiter, quia sanguis ebullit,ita præter rubedinem apparet crassa vrina, ideo rectè his apparentibus ad sanguinis misionem accedimus.

Visis signis omnibus,quæ indicia sunt ad cognoscendas febres omnes, Restant modo indicationes curandi.incipiamus ergo à simplicibus, quia notiora nobis sunt simpliciores sunt illæ,quę non habēt causam permanentem, sicut illæ, quæ à constipatione, & à bubone procedūt,& quæ sunt sine accidētibus, vt sunt illæ quæ sunt cū destillatione, vel dolore capitis, ideo ab illis quæ proueniunt à mæstitia, aut ab ira, aut à vigiliis incipiamus. initio curandi, vt toties diximus debemus considerare naturam rei, sed notetis nunc oportet habere, quæ diximus in methodo vniuersali, in qua diximus in omni actione illa quinque esse necessaria quid sit à nobis agendū, & quantū, & quando; quoniam frustra sciremus quid sit agendū, nisi quantum debeat procedere actio sciuerimus etiā similiter quando eligenda sit occasio, & vbi. Hæc omnia sciri debent, nunc incipiamus exercere in ephe-

meris hæc, quæ diximus in vniuersali methodo. volumus curare ephemeram, primò debetis scire quid sit agendum, & quātum: sed dicetis, quid est illud, quod dat mihi indicationē quid agere debeam? Natura morbi, nam quam primum scitis naturam eius, statim scitis quid agere debeatis. Natura autem ephemerarum dependet à calore innato influente, tanquam à materia in qua, accepta materia pro substantia, materia enim ex qua est qualitas illius caloris interminata: carent autē materia ex qua corporea, igitur febres ephemeræ pēdent à materia ex qua incorporea à qualitate interminata, quæ erat calor innatus pro qualitate acceptus, non pro substantia, qui postea terminatur à tali gradu. quod cum ita sit, scimus qualitatē igneam deuenisse ad talem gradum, vt non pertranseat spiritus ipsos, & hæc est vera cognitio naturæ ephemerarum. Est igitur intemperies simplex sine affluxu materiei, & caliditas in remisso gradu, quia non transit spiritus. Natura ergo rei corpus indicat esse alterandum per opposita, & cum sit versum ad calidum, & siccum, cum frigidis & humidis esse alterandum indicat, & quoniam versio hoc ad igneam naturam nō potest esse, sine aliqua resolutione virtutis, nascitur secunda indicatio,

eatio, quæ est, vt restauremus spiritus resolutos, & inanitos, ob siccitatem, & caliditatem exhaurientem spiritus, sed instrumenta prius distinguamus, antequã ad quantũ deueniamus, nec limito ea ad temperiem, nec ad ætatem, quia ea omnia circumscribunt illud quantum. Nunc volumus tantum remouere morbum, id est, intemperiẽ calidam & siccam, ideo rebus refrigerantibus, & humectantibus indigemus. Causæ autem, quæ id faciũt, quæ sint iam diximus videlicet, quòd causarum alterantiũ quædam per interius sumuntur; quædam per exterius, quædã nec exterius, nec interius, sed affectus sunt corporis. Quantum ad ea quæ sumuntur per os, ea sunt vel cibus, aut potus, aut medicamenta refrigerantia, quæ interius non exhibentur, sed sufficit cibus, & potus, quia non est tantus lapsus vt indigeamus medicamentis multum refrigerantibus: sufficit ergo humectare, & refrigerare cum cibo, & potu, & quia hîc est febris, & periculum ne fiat putredo in corpore, quia calor innatus auctus est, & præter naturam, & humores sunt apti ad putredinem, periculum est ne putrescant. ideo debemus prohibere putredinem, & hoc fiet, si totum corpus reddetur transpirabile, igitur in omni feb. qua feb. cibaria non de-

bent constipare, sed corpus reddere transpi rabile, & præterea non habeant vim emplasticam, nec in distributione immisceantur, ideo malè faciunt illi medici, qui exhibent far, & panatellam, cum panis non est optimè confectus, ideo expedit vt eligatis panem optimum, qualem vulgò buffettũ appellamus, & si hunc nõ habetis, abluatis panem, vt remoueatis viscositatẽ, vt fecit Galenus, sed ptisana est conuenientior, quia refrigerat, & humectat, & penetrationẽ adiu nat, & aperit poros, & inter cætera, (quod est commune omnibus febribus) caueatis ne multum cibi exhibeatis, nam licet calor auctus sit, non fiunt tamen bonæ concoctiones, & si fortè fiant in ventriculo, non fiunt in hepate, & si in hepate fiunt bonæ, in tertia coctione non fiunt, vt octauo methodi docuit Galenus. ideo cibaria omnia præter hoc, quòd sint frigida, & humi da, sint etiam sine viscositate, ne fiant obstru ctiones in venis, & fiat febris putrida, præterea nec multum nutrire debetis, quia calor factus est igneus.

Non debet igitur ea cibi quantitas dari, quæ daretur ei qui in debito temperamento constitutus est: ideo medici exhibent tan tam quantitatem nutrimenti vt possit nutrire, sed non multum, quia multum non

possit

posset confici, ideo dabimus parum, & boni nutrimēti: cibaria igitur debent primò refrigerare, & humectare, secundò esse pauci nutrimenti, tertiò debent exhiberi ea, quæ bene nutriant, & in quibus non sint qualitates pharmacosæ in saporibus, sicut sunt ea quæ astringunt, vel amara, vel acida, vel acrimoniam habentia, quia potius sunt irritamento, quàm qualitas, quæ per se expetatur à natura. sed cum corpora sunt præter naturam, tunc appetunt contraria, ideo in istis febribus cibaria non debent habere medicamētosam qualitatem, sed omnia expertia omnis qualitatis, non quidem astringentia, quia possent putredines causare. in febribus autem summopere cauenda est putredo, hæc autem astringentia constipant intus calorem innatum, & putredinem generant. non sint etiam amara, nec acida, nec acria, quia omnia ista exiccant, & fundantur omnia in substantia sicca à calore assata, nos autem non indigemus exsiccantibus, sed humectantibus, ideo omnia olera sunt alienanda, licet in beta, & in atriplice, id est in spinachiis sit frigiditas, & humiditas, habent tamen saporem nitrosum, & salsum, quem baurachinum dicunt Arabes. Non cōueniunt etiam fructus, licèt parum nutriāt, quia non bene

nutriunt, præterea aliqui sunt astringentes, nonnulli acidi, quidam dulces, qui facilè conuertuntur in bilem, & nisi vellemus succurrere accidentibus, nunquam conueniunt, oportet igitur eligere cibaria experstia omnium qualitatum, sed quæ bene, & parum nutriant, & quæ frigida, & humida sunt, meritò igitur Hippocra. & Galenus primo acutorum, & in libro de ptisana, inter omnia ptisanam commēdarunt, quia refrigerat, & humectat, nullam habet astrictionem, sed penetrat, bene & parum nutrit, nec habet saporem, vel qualitatem extraneam, habet ergo quicquid expetimus. Meritò igitur omnibus præferenda est, quòd si non habeatis hordeum, vel ventriculus abhorret ipsum, vel si acescat in ventriculo, debetis tunc panatellam eligere, & ex pane prius infuso in aqua, ipsam facere, vt quicquid viscidi in eo est, remoueatur, & quòd in eo est plus alimenti tollatur, & tunc facietis talem esse panem qualis est ptisana, & erit tunc panis optimus cum supereminet in aqua, à temperatura postea, & à consuetudine innouantur indicationes febrium, & quandoque allia conueniunt, sicut messoribus, qua de re alias dicemus, nunc tantum quid agendum sit ostendimus, non circunscribendo aliquid aliud

aliud, & hoc quo ad cibaria, quæ conueniunt in febribus ephemeris, nec in febribus istis debetis carnes exhibere, vel aliquid tale, quia non perdurãt. Quantum ad potum attinet, dicebamus vinum album in pluribus ephemeris conuenire, in pluribus etiã prohiberi. prohibetur in ea, quæ à feruore solis; quæ à lassitudine, quæ cũ dolore capitis, quæ à constipatione pororum, & quæ à bubone, & quæ fit cum distillatione catarrhi, in quibus omnibus debetis aquã exhibere, & isti qui profitentur se Galenicos esse, dixerunt Galenum prohibuisse aquam coctam, & quòd inuẽtio est Arabũ, aqua cum hordeo, qua vtuntur medici nostri, & Arabes, & inquiunt hoc non esse ex mente Hippocr. & Galeni. Dico quòd aqua cocta est ex eorũ mẽte, quia in quarta sect. sexti epid. commẽto nono, Videbitis quomodo debeat excoqui aqua, & quomodo dicat nonnullas esse aquas, quæ debent excoqui, quæ fiunt meliores coctione, sicut aliqua legumina suauiora reddimus coctione, & licet haberemus aquam fontis optimã, tamen coquere eam deberemus, quoniam melior adhuc fieret, excoquitur autem, & rarior fit propter calefactionem, & ebullitionem, & debet excoqui quousq; ferueat, & rarescat, quòd autem rarescat patet, quia

plerunque subsidunt aquæ per quatuor digitos, & nō attingit superficiem, in ebullitione autem, cum efferuescit extra limites etiam feruescit, & augetur, quia rarescit, ideo dicebat Alexander in quæstione de forma aquæ, quæ calefacta est (inquit ibi) est in via ad formam aeris suscipiendam. sicut aqua congelata, quæ est in potentia ad terram, quis verò vsus sit ex rarefactione declarat Galenus, quoniam cum rarescit, & refrigeratur, partes terreæ in fundo resident, tenues superfluitant, ideo vna cautela vti debetis, pro vtilitate ægrotorum, quando iusseritis astantibus, vt faciant aquam coctam, iubeatis postquā refrigerata erit, vt eam permutēt de vase ad vas, & cum deuenerint prope fundum, per tres, vel quatuor digitos, abiiciant eam, quoniā ea quæ residet in fundo, crassior est, & obscurior, quàm reliquæ eminētes, & tunc aqua limpida erit, quæ facilè distribuetur. imò hæc aqua est præparanda cum hordeo sicut Arabes, & moderni faciunt, & eorum præceptum optimum est, quoniam hordeum habet vim abstergendi, mundificandi, aperiendi, & refrigerandi, quibus omnibus indigemus. præterea debetis facere, quòd sit tenuis, & penetret, & dicebat Galenus, Aqua nō bona vertitur in bilem, ideo aqua pessima

pessima est, nisi corrigatur. corrigitur autem cum decoctione, cui si additis grana hordei,& portionem aliquam Zuccari optimam facietis mulsam, quam non habebat Hippoc.nec Galenus. & licet haberent notitiam Zuccari,de eo tamen tanquam de re noua loquebantur,á nobis verò optimè cognoscitur, & est calidum, cum humiditate primi gradus, & ostendimus nos mel cum Zuccaro forma virtutis, & substanria esse oppositum, cõtra id quòd dixit Galenus 7. therap.inquiens, eiusdem esse virtutis, mel cum Zuccaro, nec differre nisi secundum magis & minus, ideo magis adhæremus opinioni Auicennæ, qui dixit Zuccarum esse calidum & humidum in primo. Debetis igitur eligere aquam coctam,neque eritis contenti sola coctione, quoniam tenuitaté non acquirit,qua indigemus,ideo grana hordei apponetis,& aliquid Zuccari,vel mellis,vt melius penetret,& nutriat, & abstergat,& sic habetis quid agẽdum, quo ad ea quæ intrinsecus sumenda sunt. Quãtum verò ad ea quæ exterius applicantur, sunt balnea,frictiones,fomenta, linimenta, hæc maximè conueniunt in ephemeris, sed maximum omnium est balneum, quod quidem ex quo duas habet partes aerem, & aquam.aerem inquã in quo sudatur,postea

adsunt vasa in quibus lauatur, & omnis febris ephemera lotione indiget, non autem aeris euaporatione, præter eam quæ à constipatione pororum sit, & ideo est, quia sudare non conuenit in febribus istis, quoniã exsiccat, & spiritus, & calor innatus exhauriuntur, sed debetis iubere, vt moram faciant tantũ in aqua, postea frictiones suaues fiant, quia prohibent pororum constipationem, aliter ab ephemera transiret in putridã: ideo frictionibus debetis vti suauibus, non longis, & duris, quia constringunt poros, vos autem vultis aperire. Non sint longæ, quia & si suaues sint, exsiccant tamen, propter multam euaporationem, præterea debetis post frictiones adhibere fomenta refrigerantia, vt oleum nenupharinum, oleum rosatum completum, præterquam in febre quæ procedit à constipatione pororũ, in qua fomentis calidis (non frigidis) egemus, & hæc quo ad ea quæ exterius applicantur, quæ verò nec interius, neque exterius applicantur, sunt sicut affectus, vel corporis, vel animæ, hæc sunt quærẽda in methodo vt diximus vniuersali. Quo ad somnũ conuenit omnibus ephemeris febribus, & quies, præterea exhilaratio animi, & mentis auget spiritus, & calorem innatum refrigerat, & humectat, sicuti

per

per oppoſitum moleſtiæ animi, iræ, & triſti tiæ, exſiccant. & iſtæ ſunt quæ attinent tam ad ea quæ interius, quã ad exterius, & quæ nec interius, neque exterius applicantur, & ita habetis, quid agendum circa cauſas alte rantes, vbi iſta rectê diſpoſita fuerint.

Debet poſtea medicus accedere ad ſecun dam limitationem, & videre quantum debeat agere, & quando quieſcere debet ab operibus, & ab euacuationibus, ideo oportet ſcire quantum agendum, & quieſcendum, & hoc ſumitur à quantitate lapſus, & à quantitate virium, quantitas lapſus indicat quantum alterandum, & quantus eſt exceſſus, tantum eſt alterandum, vnde ſi exceſſus fuerit per duos gradus à temperamento proprio, debetis eligere duos gradus medicamẽti oppoſitę virtutis, quan titas autem molis, & ponderis à quantitate virtutis deſumitur, & licet quantitas lapſus indicet alterandum eſſe per duos gradus, oportet conſiderare vires, an tolerent tantam quantitatem, & inde habetis quòd vires ſunt illæ, quæ decernunt de pondere, & iubent vt id quòd vna vice fieri deberet, fiat in pluribus, & propterea ſi libra vna medicamenti alterantis indigeremus ad refrigerandũ, & humectãdum, media tantũ libra eſſet exhibẽda in eodem tamen

men gradu, sed minus in pondere, & in mole, & ita quantitas lapsus facit quantitatem alterationis. Quantitas viriũ indicat quantum euacuandum, & quantum replendum, & decernit quantitatem ponderis, si corpus euacuatione, vel repletione indigeat, si verbi gratia vis cibum exhibere, & plurimo egeat alimento, si virtus fortis erit, plurimum dabimus: si debilis, minus: si etiã euacuatione plurima indigeremus, vt si libra sanguis esset euacuanda, si virtus debilis erit, duas vncias euacuabimus, & pluries reiterabimus. videtis ergo quomodo quantitas virium faciat indicationem, de quantitate molis, vel ponderis medicamenti & cibi, quantitas verò lapsus facit indicationem quantitatis medicamenti alterantis.

Sed dicetis vnde cognoscam ego quantitatem lapsus, & virium? Cognoscitur autem, vt Galenus inquit in prooemio, primò considerando temperaturam corporis, colorem, habitum, calorem innatum, motum arteriarum, mores, ætatem, sexum, regionem, & reliqua, quæ indicant naturam particularem vniuscuiusq;, nec aliter cognoscere possumus quantum lapsum fuerit corpus (dicebat ibi Galenus) nisi cognouerimus in sanitate ægrum. quare melius curamus, quos nouimus, ideo dat regulam

gulam auream ad cognoſcendam naturam particularem eorum, quos nunquam vidimus, & hoc facillimum eſt cognoſcere in ephemeris: quia in eis non fit receſſus multus à naturali ſtatu, quia durat tantùm per diem, ideo oportet in ſuo naturali ſtatu ſeruare, quæ omnia poſtquàm fuerint rectè cõſiderata, videbitis non multum eſſe immutatum à ſtatu ſuo, & ſic naturam particularem cognoſcetis, & gradum, & ſi fuerit vir exempli gratia calidæ & ſiccæ temperaturæ ſpiritus omnes paratos ad inflammationem habet, is ſi in ephemeram inciderit, non multum à temperamento proprio lapſus erit, vt inquit Galenus in octauo, & nono therap. quia facilè labuntur ad ephemeram qui ſunt calidæ & ſiccæ temperaturæ, quoniam in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. ſi quis verò fuerit frigidæ & humidæ temperaturæ, & inciderit in ephemeram maior eſt lapſus, ideo medicamento indiget, quod habeat maiorem efficaciam refrigerandi, & humectandi, quod quidem medicamentum ſi volueritis cholerico applicare, curabitis quidem ephemeram, ſed reducetis ipſum in cõtrarium habitum, quare opus erit poſtea ipſum curare, non ſine ægrotantis damno, & veſtro dedecore, & medici ridiculi apparebi

rebi

rebitis,& sic apparet quantum agendũ pro alterationis quantitate. Vnde modo sumatur cognitio virium, discutiamus. Dico quod sumitur ab habitu corporis: quia si occurretis corpori gracili,tenui,stricti pectoris,colli gracilis,in isto corpore nõ sunt vires fortes,ideo non poterit tolerare medicamentum multi ponderis,& multæ molis. Præterea ab ætate coniicere vires debetis,si fuerit senex,non consideratis de viribus,etiam quod fuerit rubicundus: quia quicquid de viribus resoluetis,non poteritis restaurare.pueri etiam,licet habeant vires ratione ætatis,fluxibiles tamen sunt,& facilè resoluuntur,tum ex habitu,tum ex augmento, ideo plurimo egent alimento, præterea regio,constitutio aeris admodum calida multum facit, vel si erimus in tẽpore anni admodum calido,vires nõ poterunt esse fortes, quia resoluitur corpus ratione regionis,constitutionis aeris,& tẽporis anni:hæc omnia indicabunt de quantitate virium,& tunc scietis moderari quantitatem molis medicamentorum,& ponderis.

Tertium relinquitur,vt eligatis videlicet quando agendum:quia & si hæc omnia eligatis,& sciueritis,nisi quando agendũ teneatis, nihil prorsus scietis.si quis imprudens medicus vellet in principio in prima

visita

visitatione, vel cum est in augmento ponere ægrum in balneo, & fricare, & fomenta applicare, nécnon cibaria exhibere, si hæc facere vellet, vel ęgrũ interficeret, vel ipsum deduceret in maximam ægritudinem, tempus autem est vt nihil faciatis, nisi in declinatione paroxysmi febris. in his enim febribus, & in omnibus aliis, cibi, vel medicamenta dãda non sunt, nisi in locis quietio ribus, nec in exacerbationibus dolorũ, nec paroxysmi debetis aliquid exhibere. Facta autem febris remissione (quod apparebit ex remissione omnium accidentium) tũc talem ordinem seruabitis. Primũ quod facere debetis est præparare primò instrumenta, & primò ponetis infirmum in aqua tepida, secundò post balneationem linteo tolletis humiditatẽ, & tergetis leniter, postea fricabitis corpus leuibus frictionibus, his peractis oleo rosaceo completo, vel violaceo corpus vngetis, & vt quiescat in lecto iubebitis, postremò præparabitis cibũ: sed antequam cibum præparetis, vel exhibeatis, non tantùm in febribus ephemeris verum etiã in omnibus reliquis (his exceptis quæ à materia crassa dependent,) sed potissimum in ardentibus febribus id obseruabitis, vt semper ante cibum solidum exhibeatis aquam coctã, cũ granis hordei tepidam, &

dam,& cyathum vnum exhibeatis,quoniã ventriculus squalidus factus ex paroxysmo non bene continet,nec bene concoquit alimentum, nisi prius foueatur,vt calor ipse validior fiat.præterea distribuitur ad hepar inflammatum,& ad venas,recreatus calor innatus,& tunc cibus bene continetur, & bene concoquitur,similiter hepar prius factum igneum propter paroxysmum melius concoquit,præterea si velletis arefacto ore,& ventriculo cibum exhibere,cum erit in ore,non poterit deglutiri,& euometur, & hoc maximè in corporibus biliosis continget,& erit grauissimum infirmis, præterea debetis inuitare post cibum hominẽ ad somnum.

Itaq; ex quinq; huiusmodi conditionibus in rectè agendo,tres declarauimus.videlicet quid,quantum,& quando. Deerant modo duæ,vbi seu cui loco applicare debeamus remedia,& quomodo agere debeamus.Ista duo sunt declaranda in lectione ista.quantum igitur attinet ad locum applicandi remedia in morbis istis conditio hæc non est multum necessaria ex quo feb. sunt vniuersales per singulas partes corporis.in his enim non dicimus brachium,aut pedem pati,sed totum corpus,& cum ita sit in toto corpore non indigemus ista limi

tatio

ratione, vbi, quia remedia applicantur secundum totum, & non quærimus locũ, nec vbi, nisi fuerint symptomata complicata, de quibus loquemur suo loco. si verò ægritudo particularis fuerit in aliqua parte, quę se offerat oculis, vt vlcera, inflammationes, apostemata, seruatur locus applicandi, sed hoc est inartificiosum, quia quis tam expers est in arte medica, qui si fuerit vlcus in cute manus remedia applicet capiti? cum igitur hoc non sit artificiosum, sed vnicuiq; expositum, & nos docemus artem, non debemus hoc docere, quia idiotæ omnes sciũt vbi est ægritudo ibi applicanda esse remedia, quantum ergo ad vniuersales ægritudines, atq; etiam particulares, quæ se offerunt sensibus, in neutro istorum debeo vos admonere. ideo Galenus ex his quinq; conditionibus, arte tacuit conditionem vbi in hoc procemio: quoniam in primo libro nõ considerat nisi febres, & febres sunt morbi vniuersales, ideo non erat necessaria. in secundo agit de fluxionibus, vt exerceat nos in inflammationibus, vlceribus, & suppurationibus extrinsecis, quæ occurrunt sensui, & dixit nos debere tantùm aduertere quid, quantum, quando, & quomodo, tacuit vbi. Nos autem quoniam in omnibus ægritudinibus necessarium est vt habeatis artẽ, de-

 bemus

bemus docere conditionẽ hanc,si enim occurritis viro patienti dysenteriã,multũ refert in applicatione remediorum, si dolor ad vmbilicum, vel infra fuerit. si enim supra procedetis cum his quæ per os sumuntur, occurretisq́; superius ventriculo,& intestinis gracilioribus,& fomenta applicabitis illi parti,si verò fuerit causa dysenteriæ excoriatio in intestinis crassis infra vmbilicum, non exhibebitis remedia per os, sed clysteribus occurretis, & idem facietis in aliis intrinsecis ægritudinibus,multum enim refert scire locum affectum,ideo hæc conditio cui loco applicanda sint remedia à loco affecto sumitur,siue in profundo,siue in superficie, siue inferius,siue superius fuerit,conditio hæc sumitur à situ,& aliter applicamus remedia,& diuerse pro diuersitate locorum.

Quinta autẽ conditio,& vltima,quæ est valde artificiosa,& medico nobili digna,est vt sciamus quomodo applicanda sint remedia,si rectè,& iocundè volumus mederi. Quia vt dicebat Cornelius Celsus, debet prouidere medicus,vt tuto,cito,& iocunde faciat suas operationes,hæc autẽ iocunditas circa modum operandi est,& variatio modi pertinet ad medicum insignem,& circa tria consistit,vel est ista variatio modi circa mutatio

tationem substãtiæ instrumentorũ, vel materiæ, vel circa modificationẽ instrumentorum, vel materiæ, vel circa mutationẽ operatoris, & artificis. appello instruméta quæcunq; adhibentur circa ægros, vt sunt ferraméta chirurgica, vstiones, ligaméta, fasciæ, & reliqua huiusmodi; hæc sunt instrumenta quæ sæpe variantur pro variatione causarum medicantiũ. Appello materiã cibos, potus, medicamenta, fomẽta, frictiones quę exterius applicantur. Appello modificationem cum seruata eadem substantia, & eodẽ insttumento seruato, modificamus in qualitate, & in modo substantiæ, vel cũ durius, vel mollius facimus instrumentũ, proportione materiæ, additis, vel mutatis, vel correctis vitiis in ea. Appello modum curationis in operante, quoniam operator modo premendo, modo cõculcando valde, modo leuiter, modo blandiendo, modo minando, prout varia corpora requirunt. Ista igitur tria debent rectè cõsiderari, quomodo sint variãda, & qua variatione. Circa igitur mutationem substãtiæ instrumentorũ, quo ad ferramẽta attinet, cõtingit vt aliquãdo apostema, vel inflammatio matura sit, & sectione indigemus, nihilominus corpora quibus occurritis sunt talis naturæ, vt si ostendatis ferrũ incurrãt in syncopim manifestissimã,

ideo si tunc ferro vti vultis, moritur æger, ideo à moribus delicatis hæc sumitur indicatio. Et nihil de Scopo quid agendum sit, sed mutatis tantùm instrumenta agendi, Exempli gratia dum occurritis isti infirmo delicato, qui propter mores, & sensibilitatem ferramenta tolerare non potest, variatum instrumenta habere debetis, dummodo idem faciatis, & pro instrumento ferreo, quo non potestis vti sine maximo detrimẽto infirmi, accipietis medicamenta, quæ incidant, & aperiant, vt sunt omnia amara, abstergentia validè, & penetrantia cum tenuitate substantię, & acrimonia. hæc omnia possunt locum aperire, sicut est scylla decocta, & applicata loco, statim sua amaritudine abstergit, & cutim attenuat, & sua acrimonia penetrat, & incidit. vt in duabus horis, vel tribus secundum habitudinem loci, vel pro ratione maturitatis aperiat, cyclamen, aristolochia rotunda, & omnia quæ sunt amara valde, & abstergentia, & repurgantia in profundo, & præter profundã abstersionem, quæ incidunt, possunt idem facere, sed quoniam quicquid aperit, & violenter incidit, cum dolore operatur, si non toleraret æger dolorem, oportet inuenire alia instrumenta, quæ faciant effectum non cum tanto dolore, & sunt omnia quæ violenter

lenter & exiccando attrahũt, vt sunt ostreę, quæ comeduntur, & cochleæ, quas limacias vocamus cum suis domunculis, & si postea adurantur in vase fictili in camino, & contusa applicentur loco quem aperire volueritis, hæc incident, & aperient, extrahent, non cum tanto dolore, ratione adustionis, & hoc modo variantur instrumenta. Et indicatio sumitur à moribus, & à deliciis infirmi, & hæc quantum ad mutationem instrumentorum. Quantum verò ad mutationem materiæ: quæ sunt cibi, potus, medicamenta multum refert scire. nam nunquàm mutatur quid: sed variatur modus operandi, exempli gratia, volumus refrigerare, & humectare, volumus aperire cum cibis, vel medicamentis: sed habemus diuersas materias, istis vtimur pro diuersitate corporum, non mutatis, neque actione, neque quantitate: quia eadem mensura materiæ conuenit. Sed variatis modis, pro varietate complexionis, & ista varietas quæ sumitur à materia, inducitur à consuetudine ægri, ab exercitio, à temperatura. Exempli gratia, si occurrit vobis messor, aut nauta, aut miles: qui in exercitu vsus sit maximis laboribus, & solitus fuerit comedere carnes etiam asininas, & radices quascunque, & legumina,

& cibos crassos: sicut faciunt milites in castris, quando sunt obsessi fame, si occurritis corporibus talibus: quæ iam assueta sunt nutrimentis crassarum rerum. si velletis huiusmodi viris ephemera laborantibus exhibere panatellam, vel ptisanam: quæ nobilibus exhibenda sunt, in duobus vel tribus diebus ad summum vires omnes erũt prorsus resolutæ: ideo oportet habere rationem exercitii, & membrorum: quæ facta fuere terrestria, & vbi assuetus fuerit carnis bubulis, & leguminibus, & pani bis cocto, debetis exhibere secundum proportionem ciborum: exempli gratia, lagana, pastilia, & hæc erunt illi veluti ptisana delicatissima, refrigerantia & humectantia corpus etiam cum febre aliquando debetis metiri consuetudinem præcedentem, & ita seruatis quid agendum: sed mutatis materiam pro ratione virium, consuetudinis, & temperaturæ, & hodie multi errores committuntur: quoniam medici moderni, calciant omnes vno calciamento: quia non habent rationem horum, lagana ergo, & pastilia, & fabæ aliquando erunt loco panatellæ, & ptisanæ huiusmodi hominibus. quæ omnia si alteri delicato ocioso velletis exhibere interficietis ipsum, & sic vtrunque interficeretis, cum vestra ratione victus parum rationali,

&

& quod de cibis idem de medicamentis dicimus, seruato enim quid agendum erga huiusmodi homines, siue fœmina, siue mas, & eadem intentione seruata, si ęgritudo frigida fuerit, calefacere debetis, si calida refrigerare, si plenitudo euacuare, sed mutatur solummodo modus & quãtitas pro varietate corporum. quantitas quidem pro limitatione virium, mores, penes exercitia corporis, temperaturas, & consuetudinem. & hoc est illud quod diximus: ex tribus modificationibus fieri. Vel enim mutatur substantia materiæ, vel instrumentorum, vel modificãtur in qualitatibus, vel modo substantiæ: in qualitatibus, vt cum calores mutantur, vel sapores, vel odores, vel caliditas, vel frigiditas. sæpissime enim occurretis quibusdam, quibus si dabitis medicamentum nigrum, vel alicuius mali coloris, respuunt, tũc oportet habere artem, & modificationem qua debetis medicamentũ limpidum & clarũ efficere, & tunc habebimini in maxima existimatione, & eritis elegãtes medici. ideo debetis habere artem, & modũ purificandi syrupos, vt sint limpidi & clari, nunquã mutando quid agendũ, sed modũ, circa verò odorẽ cõtingit sæpissime, vt fœtidam materiã exhibeatis, & duo tunc facitis mala, primò exhibetis fœtorẽ à quo abhor-

ret æger, secũdo fœtor est inimicus spiritibus, ideo debetis modificare odorẽ istum, non mutãdo intentionẽ, & quod erat fœtidum, cum odoramentis admixtis prouidere, vt fiat odoratum, quantum ad saporem, multi nobiles non possunt pati amara, nec dulcia, & ab vtroq; afficiuntur nocumento: oportet satisfacere omnibus, modo habeatis intentionem eandem, & quod dulce est, acre reddere debetis, vel ei saporem astringentem dare, vt sumenti gratius sit, si fuerit amarum, suaue reddere poteritis cum admixtione rei dulcis, vt non percipiatur huiusmodi sapor. Quo ad caliditatem & frigiditatem, vos inuenietis plures, quibus si exhibueritis medicinam calidam, vel frigidam statim euomerent, oportet si non vult frigidam, vt talis sit quòd caliditatem percipiat, & tantum modus variabitur, quid autem agẽdum sit non immutatur, circa verò modum substantiæ, nonnulli aliquando ægrotant, quibus si velitis dare medicamentum in potione, abhorrent, alii nolunt bolos: alij nolunt pillulas. omnia ista sunt modificanda, & si nolunt pillulas, seruãdo semper eundem scopum, dabitis in forma boli, vel medicamentum liquidum, vel in alia forma, seruando quid. quandoque modificatis per admixtionem rei contrariæ, & hæc modificatio

catio sumitur à natura alicuius membri affecti. verbi gratia, si occurritis infirmo, qui ex assumptione agarici incidat in vomitũ, vel scamonium tolerare nõ posit, & patiatur excoriationem, quotiens ipsum assumunt, ægritudo verò talis sit, vt hæc medicamenta requirat, non debetis mutare quid sed modificare medicamentum, & si dabitis agaricum, quia cognoscitis quod vomitum ei prouocabit, miscebitis sibi medicamentum astringens, puta mirabolanos, & si indigeatis drachma vna agarici, sic facietis. Recip. agarici drachmam vnam, mirobalanorum chebulorum scrupulum vnum, vt modificetis medicamentum, per id quod prohibet vomitum. si etiam esset ægritudo in parte lõginqua corporis, vt materia medicamenti solidi non posit peruenire ad locum, ex solido facietis liquidum, & si emplasticum erit medicamentum, tunc aliquid prouocans vrinam miscebitur, vt penetret ad locum, non quia velletis mutare quid, sed modificare medicamẽtum, vt possit penetrare, & hoc vel illud operatur, si tenue ipsum reddamus, vel liquidum, vt penetret. isti sunt modi variandi modificandiq; medicamenta.

Quantum attinet ad tertium circa variationem operantis, si quis puero, vel fœminæ

occurrat, non debet importunè manus applicare comprimendo, vel premendo, sed eleganter tractare corpora talia, præterea si videbitis corpus valde sensibile, non oportet ita stimulare, nec ligare. Aliud præterea medicus obseruare debet, vt si mulieri honestè occurrat, eam debet prudenter, & honestè tractare, & fortasse hoc tantum faciet, quod in maxima habebitur existimatione, & vos qui eleganter ita, & iocundè tractabitis ægros vestros, elegantes, & docti, & prudentes medici appellabimini. si vultis autem videre quomodo hæ variationes modorum fiunt, pro varietate temperaturæ regionis, ætatum, morum, & consuetudinum, legatis duo exempla in fine octaui therap. in quo loco Galenus ponit duos ægros in variis regionibus, qui variis vsi fuerint rationibus viuendi, hos curat, & ponit exempla. & hæc satis sint dicta quantum attinet ad præsens negotium de his quinq; conditionibus, & ita sunt curandę feb. ephemeræ simplices quæ nō habent secū quid annexū.

Videamus modo reliquas, quæ habent quid annexum, & incipiamus ab eis, quæ à lassitudine fiunt. Febres ephemeræ, quæ à lassitudine contingunt duobus modis contingunt: sed prius de lassitudine aliquid dicamus. Notetis domini lassitudinem non

esse

esse laborem, calor ille, illa fricatio quæ remanet post laborem, lassitudo appellatur. Istius lassitudinis duplex est genus quædam est cum labore, quædam spontanea, quæ nõ prouenit quia quis laborauerit, sed quia humores occupant musculos, & membra sensibilia, & est aliqua stimulatio, stimulant ita, vt libenter sedeant, & quiescant, & corpus grauius habeat, & dicebat Hipp. Lassitudines spontaneæ morbos prænuntiant, & nisi tales sibi caueant incident in ægritudines. Alia fit propter laborem precedentem, ex quo habent membra confracta. Quo ad spontaneam, si quis incidet in febrem, ex ea lassitudine cum illa sit triplex. Alia est vlcerosa, ac si in musculis essent res pungentes, & in balneo maximè percipiuntur motiones circa musculos, ac si pungerentur. Alia extensiua appellatur, & percipiunt, tales in musculis extrinsecus, ac si pondus haberent supra se. Tertia est mixta ex vtraque, cum punctiones percipit, & præterea grauitatem ac si pondere occupatus esset, & hæc peior est. si quis inquam incidit in ephemeram ex aliqua istarum lassitudinum valde mala est, & rarissime videtis, quòd non terminetur ad putridas difficiles, nisi quis prudens, & sagax medicus sit qui prouideat. Quæ autem

tem fit propter lasſitudinẽ vlceroſam, non fit alio modo, niſi poſtquàm vlceroſum ſenſum fecerint humores, occurrat poſtea frigori, vel aquæ aluminoſæ conſtringenti poros, vt humores illi acres, qui fecerint ſenſum vlceris, non poſsint tranſpirare. tunc accendũtur ſpiritus, & illi vapores, non quidem putridi, ſed qualitas quædam aſcendit, per partem, poſt partem, ad cor, & facit ephemeram, & talis feb. reducitur ad illud genus, quòd à cauſa permanente prouenit, à cõſtipatione videlicet pororum. fiunt etiam hoc modo ſynochæ appellatæ, de quibus ſuo loco.

Nunc autem debemus agere de eis febribus, quæ à laſsitudine fiunt, ab exercitio, & motu, & de iſtis loquitur Galenus. nam vbicunque hæc membra inflammantur, & incaleſcunt per exercitium, & caliditas, quæ eſt in muſculis per partem poſt partem aſcendit ad cor, inflammatur calor innatus, & fit ephemera, ſed non dependet à laſsitudine ſpõtanea, ſed ab exercitio, & hæc curatio, ſicut aliæ ſimplices cum cibis frigidis, & humidis, cum balneis, linimentis extrinſecis, frictionibus leuibus, nec aliquid noui exhibemus, niſi hoc, quia ex labore plurimo fuerũt exinaniti. Tales cibamus ſæpius, & parum, & damus ter in die, quia indigent

alimento

alimento,& humectatione,quia inciderunt in febrem ex multa inanitione, & spiritus acutiores facti sunt propter resolutionem humidi, habet igitur hæc febris plus vt indigeat plurimo alimento, non in vna vice tantùm, quia habent debilem calorem, & non possunt in vna vice conficere multam quantitatem, sed vt paulatim necesse est, & non laborent, præterea foueatur, & humectetur totum corpus. Alia est febris, quæ non est merè simplex,sed habet symptomata,& hæc fit à calore solis, qui percussit caput,hæc si simplex fuerit, curatur sicut aliæ simplices: sed ferè nunquam est simplex, quia ex multa mora in sole feruēti descensum catarrhi habent, & inflammationem in capite, & calorem, & habent intemperiem calidam,& siccam in cerebro.hæc feb. annexa est cum tali symptomate, quod quidem procedit ab alia ægritudine separata, videlicet ab intemperie calida,& sicca, existente in capite,ideo duo debetis facere,primò occurrere febri, id est: calefactioni caloris innati, qui influit à corde, & terminatur ad spiritus tantum:postea occurrere supercalefactioni capitis, & sic facietis si fuerit iste catarrhus frigidus,& id quòd descenderit, sit humidum & frigidū debetis vno modo procedere, si calidū aliomodo: nam

vnaquæq;

vnaquęq; ex his habet curationē diuersam.

Nec miremini quòd à sole (qui est causa calida) proueniat catarrhus frigidus, quia potest caput esse repletum multis materiis frigidis, quæ colliquentur à caliditate solis, præterea in toto corpore, potest esse multa materia, quæ attracta à solis caliditate replet caput, & tandem colliquatur. neque miremini quòd huiusmodi distillatio frigida, a causa calida fiat, fit enim non per se, nec generatione homogenea, sed per accidens. quia ibi incalescit caput, & in venis, & in capite frigidi sunt humores, vel in totius corporis ambitu sint humores pituitosi, fit huiusmodi distillatio colliquando humores existentes in cerebro, & ex colliquatione descendit frigidus humor, quæ frigida distillatio appellatur. præterea, calor in capite existens attrahit à venis, & à toto humorum frigidorum partes, per viam euaporationis, qui postea descendunt sub forma catarrhi frigidi.

Incipiamus igitur à febre ephemera, cui annexa sit distillatio frigida, oportet primò videre quid agendum, id autem sumitur à natura rei, & morbi, hic autem sunt duo, intemperies calida & sicca in capite, ratione cuius destillatio facta est, quæ successiuè per partem, post partem inflammauit

ſpiritus, & ſucceſsiuè peruenit ad cor, & poſuit ſpiritus cordis in calefacto eſſe, & ita facta eſt febris ephemera, & præterea adeſt deſtillatio frigida, & ita patet, quòd natura rei, & morbi eſt compoſita, eſt enim febris, quæ indiget refrigeratione, & humectatione, Deſtillatio verò frigida indiget oppoſitis, imò diſpoſitiones iſtæ non modo ſunt compoſitæ, ſed oppoſitæ. vbicunque autem habemus diſpoſitiones oppoſitas, habemus per conſequens, indicationes oppoſitas operandi, ſed vbicunque eadem ſunt, diſtinguendæ ſunt, quia ſi vnum indicat, vt faciatis hoc, & alterum vt oppoſitum faciatis, niſi diſtinguatis, nihil rectè operabimini. vt eas autem rectè diſtinguere valeatis, neceſſarium eſt, vt ad Galenum, in tertio methodi recurratis, qui docet ſingularum naturam ſtatim eſſe conſiderandam, & inquit, Aduertas, quod quædam habent rationem cauſæ efficientis, vel materialis, in ea ægritudine, vt neceſſarium ſit, ſi debet aggregatum tolli, vt remoueatur id quod habet rationem cauſæ efficientis, vel materialis, licet oppoſita ſit morbo, & hoc eſt vnum inter reliqua, quo cogimur ad remotionem eius accedere, & aliquando ſinere morbum intactum. ſecundum ꝙ conſiderare debemus eſt, vt videatis

deatis an aliquid ſit, quòd rationẽ habeat, non quidem cauſæ efficientis, vel materialis, ſed cauſæ ſine qua non, exempli gratia, ſi in vlcere ſit inflammatio, non poteritis proculdubio ſanare vlcus, niſi inflammationem ſanetis prius, quæ tamen non eſt cauſa vlceris in genere cauſæ materialis, vel efficientis, nec formalis, ſed rationem habet cauſæ ſine qua non, licet igitur inflammatio habeat indicationes contrarias vlceri, debetis tunc neglecto vlcere accedere ad inflammationem. tertium animaduerſione dignum, eſt ratio cogentis, & vrgentis, quæ ſolet appellari ratio coarctans, quandocunque igitur non aderit aliquid, quod vrgeat ſub ratione cauſæ efficientis, vel materialis, vel ratione cauſæ ſine qua non, debetis videre an ibi ſit aliquid, quod rationem habeat vrgentis: ſi affuerit, ſtatim ei occurrere debetis, quoniam ſi non ſtatim habet rationem cauſæ, non quidem morbi præſentis, ſed futuri, ſicut ſunt ſymptomata magna, quæ trahunt ad ſe curam, ſicut cum ſyncope, vel maximus dolor capitis ſuccedit ad febrem. Vbi inquam ſucceſſerit aliquod ex his ſymptomatibus ingens, quod efficere poſsit quid deterius, quàm ſit præſens ægritudo, tunc neglecto morbo trahimur ad iſtud, licet habeat indicationes contrarias

trarias,& ideo Galenus, duodecimo metho di in dolore cholico philonio,& stupefactiuis vtitur, quæ aduersissima sunt causæ, id est, humori pituitoso,& intestinorũ virtuti, id tamen facit quoniã dolor vrget, qui potest sæuissimas ægritudines causare,casum virtutis, & mortem, ideo accedit ad illud, licet sit principali morbo infestissimum, & ita vbi fuerint cõtraria indicantia in ægritudinibus, vt sciatis quid agendum, videre debetis quæ habeant rationem causæ efficientis, vel materialis, vel sine qua non potestis ægritudinẽ curare, vt de inflãmatione diximus, vel habeãt rationẽ causæ vrgentis. In proposito igitur vultis curare febrẽ, & catarrhum, quæ duo indicationes oppositas faciunt. catarrhus quidem frigidus, symptoma est, non habet rationem causæ efficientis, quia hæc ephemera non dependet à catarrho, sed à solis vstione, vt diximus, nec materialis, aut formalis, neque causæ sine qua non, quia poterit curari feb. sine catarrho. habet ergo rationẽ vrgentis, quia si perseueraret destillatio frigida posset deducere ægrũ ad tusses pessimas, ad anhelitus difficultatem,& aliquãdo ex dispositione ægri ad rupturam venarũ, præterea calor innatus ponitur in calefacto esse, qui corpus regere debet, operationes non fa-

ciet, nisi malas, & cum habeat temperaturam ferè igneam, si perseuerabit in humoribus figetur, & putridam faciet, & si adhuc perseuerabit in solidis membris etiam figetur. prӕterea vbi destillatio perseuerabit, obsidebit venas, prohibebit transpirationem, & sequetur ex ephemera putrida, & tunc non tam facilè eam curabitis. oportet ergo talem descensum catarrhi considerare: quia imminet periculum de putrida, propter obstructionem; erit ergo necessarium ad catarrhum accedere, non ea neglecta, curabitur igitur catarrhus: sed qua ratione? nõdum apparet distinctè quid agendum sit, & cum hic sit intemperies calida, & sicca in capite, & destillatio frigida, dubitaret aliquis, cui primò sit occurrendum; videretur à febre esse incipiendum, quoniam habet rationem causæ efficientis catarrhi, & videtur, quod inde genita sit destillatio, ideo ad caput accedere, & refrigerare ipsum oportet, sed tunc incommoda multa sequẽtur, primò destillatio fieret sæuior, & refrigerato capite cõfirmaretur catarrhus, & fieret temperatura frigida, & humida capitis, stante humore infuso in capite frigido, stãtibus vaporibus frigidis: quoniam non est facta impressio, nisi à causa procathartica, & se habet ad catarrhum, tanquam

tanquam causa per accidens, colliquando. est igitur vertenda actio harum ad destillationem descendentem, & cum catarrhus iste frigidus fit, & crudus, & hic sit intemperies per affluxum materiæ, cum dicimus per affluxum, indicatur statim esse euacuandum, sed quoniam à materia fluxa variæ indicationes sumuntur, & sciamus destillationem frigidam hanc à pituita prouenire, si debet commode curari, debet prius concoqui, & præparari, ideo ipsam euacuationem præcedit concoctio & præparatio. Et quia catarrhus est fluxus materię de vno termino ad alium terminum, indicatione sumpta à terminis, debetis membrum recipiens (si licet) corroborare, & humorem eiicere: sed non licet, quia si calida applicaretis magis calefaceretis caput, & maiorem destillationem causaretis. si etiam frigida adhibueritis repercutientia, catarrhum & dispositionem cōfirmaretis, & duceretis caput ad frigidam, & humidam intemperiem, ideo quo ad membrum recipiens non licet in principio aliquid moliri: indicatione igitur sumpta à termino à quo quātum ad ipsum membrum mandans, oportet diuertere, & trahere ad oppositum. Ita igitur incipietis curationem, & scietis quid, quantū, quando, quomodo, & vbi agēdum.

in prima enim visitatione auersionē quæretis, à superioribus ad inferiora, cum frictionibus suauibus membrorum superiorum, cum lotionibus calefacientibus, & humectantibus, adiuuantibus coctionē materiæ frigidæ ex chamæmelo, althea, aneto, præterea clysteres cōuenientes erunt, quoniam educunt à ventriculo, & intestinis, & auertunt materiam, quæ est sub causa materiæ antecedentis, quæ fluxura est ad locū ad oppositum. pro concoctione verò materiæ conuenit diatrium pipereon à Galeno laudatum, quarto de sanitate tuenda, nec miremini si hoc vtamur vbi est ephemera, & calor innatus, & spiritus inflāmati, quoniam Galenus octauo therap. in febr. ephemeris à cruditate nidorosa, vtitur huiusmodi diatrium pipereon. sed quare hoc faciat dicemus, cōditionem enim optimā facietis cum oximelle optimè confecto sine aquis lambendo, deinde euacuabitis humorē si superit, & istæ sunt indicationes indicantes quid agendū, & natura destillationis ea est, quæ hoc indicat, vniuersalis ille conceptus affluxus materiæ indicat euacuandum, natura fluxionis indicat quomodo euacuandum, & quando, vbi verò applicāda sint remedia, termini indicāt. in ista fluxione duo sunt termini, terminus mandans, & terminus

nus recipiens. membrum recipiens fluxionem est caput, illi non applicanda remedia in principio, propter rationes iam dictas. factis verò euacuationibus capiti sunt applicanda remedia: quia tunc indiget roboratione, quia cum habeat caliditatem non impressam, nisi à solis caliditate, & sit humor frigidus sparsus per totam substãtiam cerebri alioqui frigidi & humidi,& præterea fuerint humores attracti refrigerantes, redditum est imbecille ob fluxum materiæ frigidioris,necessarium est vti corroborantibus caput, corroboratur autem per opposita. hic adest temperatura frigida & humida per affluxum materiæ frigidæ, & humidæ: igitur oportet vt cerebrum calefiat, ideo post euacuationes factas (vt corroboretur caput ne amplius recipiat) fomenta calida applicabitis capiti, à Galeno octauo therap.celebrata, quæ fiunt ex oleo irino,& nardino,quæ habent caliditatẽ vsque ad secundum gradum, oleum enim nardinum,si fuerit simplex, non transibit primũ gradum: oleum & anethinum amigdalarũ amararum,& dulcium quæ moderatè calefaciunt, factis euacuationibus, cõueniunt, & ista est cura catarrhi quoad quid,& quando agendum, indicatione à motu, scitis quando, & quia causa est vrgens, statim

occurritis catarrho. Vbi autem applicanda sint, à terminis sumitur indicatiô. Quantum autem, & quomodo agendum, docet natura particularis ægri, mores, consuetudo, ætas, temperatura, & reliqua annexa, de quibus diximus. & hæc pro curatione catarrhi frigidi qui febri ephemeræ vnitur.

Si verò fuerit catarrhus calidus associatus cum ephemera nõ habemus indicationes oppositas, habemus febrem, quæ est intéperies calida & sicca, causata à solis vstione: habemus præterea catarrhum calidum: vnica est tantummodò indicatio refrigerandi, & humectandi, & nihil obstat quoniam indicationes non habemus cõtrarias, & ita vbi occurret vobis ephemera à solis vstione, cui associatus sit catarrhus calidus, statim in principio paroxysmi remedia capiti applicare poteritis, quæ frigida sint, & humida, vt præcipit Galenus. & ratio est: quia non sunt rationes oppositæ, præterea cum calefactum est cerebrum, & spiritus in calefacto esse sint, & catarrhus sit calidus, indicant hæc omnia statim esse agendum, à motu præcipiti sumpta indicatione: quia si non statim occurritis, periculum est propter rationem vrgentis causæ (præter febrem) quod sæuiora contingant accidétia,

& put

& putrescant humores calidi, & ad pectus deueniant, & faciant pessimas ægritudines: oportet ergo propter causam vrgentem, quod est tertium, quod cogit medicum statim accedere ad caput calefactum, & refrigerare, & humectare, nec timemus id, quod in frigido catarrho timendum erat, in quo timebamus frigida in principio, ne materia frigidior fieret, & ægritudo chronica fieret: timebamus præterea calida ne à calidis medicamentis maior fieret impressio calida, & attractio maior, ideo nec calida, neque frigida erant applicanda in principio. in calido autem catarrho nõ timemus hæc: quia si frigida, & humida applicatis, primò occurritis causæ efficiẽti per se, quę est caliditas impressa in cerebro, & præterea reprimitis acrimoniã catarrhi, & pręparatis, vt à natura, vel ab arte, commodè per talem temperantiam, & concoctionem euacuetur corpus; præterea corroborabitis caput, & nihil impedit: quia vasa capitis sunt dilatata, & deducitis ipsum ad proprium temperamentum, & tunc non ita facile fiunt destillationes, & ita indicatur quid agendum à natura morbi, quando vero ab vrgẽte motu. Vbi, id est quibus locis, à termino ad quem, vt statim reprimatis, & corroboretis caput. Quantum vero

attinet ad terminos à quibus,id est,à membris superioribus mandantibus, indicant vt trahatis inferius, sicut dixi de frigido cum lotionibus,frictionibus, quæ diuertũt à superioribus, & trahunt ad inferiora. aliquãdo etiam erit necessaria sanguinis missio,si ætas, tempus anni, & plenitudo appareat, & ista erit recta curatio catarrhi calidi,qui febri ephemeræ coniungitur, & istæ curationes à Galeno octauo therap. ponuntur, sed non explicantur sicut nos explicauimus, nec isti iuniores vtuntur distinctionibus, quibus nos vtimur, nec ita explicitè.videtis etiam causam quare dixerit Mesuæ in cura catarrhi vnum verbum, videlicet in fluxu catarrhi non licet aliquid capiti applicare,est verum hoc dictum pro parte, & pro parte non. in calido conueniunt statim olea refrigerantia, vt docuit Galenus,quod tamen Mesuæ videtur negare.intellexit Mesue non esse applicanda remedia in catarrho frigido : propterea vtamini distinctionibus, & assequemini veram methodum.& hęc satis pro curatione feb.ephemeræ cui annexũ sit hoc symptoma, quod catarrhus dicitur,siue calidus, siue frigidus fuerit. in hac præcipuè febre debetis à vino cauere, & ratio est, quoniam debetis timere in destillationibus quæcunq; euaporant

rant,nil autẽ magis præsentaneas facit euaporationes vino. Quantũ autem ad victus rationem, si fuerit catarrhus frigidus indiget ratione victus tenuissima quidẽ, quoniam catarrhus nutrit,& alit, attenuãte verò, quoniam adiuuat ad præparationẽ materiæ peccantis.

Est alia febris,quæ habet aliud symptoma annexum,& hæc est ea febris, quæ fit à nimio potu vini,& à nimio cibo,prę sertim si cibaria,vel vinum calida sint, aggregãtur cruditates nidorosæ,vt habetis à Galeno in de cibis boni, vel mali succi,& in secundo de temperamentis & quarto de sanitate tuenda, vbi de cruditate sermonem habet, de qua & nos,vt distinctè procedamus, aliquid dicemus.Et quia nomen cruditatis generale est,ideo necessariũ est,vt sciatis illud propter feb.ephemeras.Nomen hoc cruditas indicat cruditatẽ,& errorem alteratiuæ virtutis, qui error potest esse in singulis partibus corporis, nos de illo errore virtutis alteratiuæ qui in stomacho est loquemur,huiusmodi autẽ error potest esse multiplex. vel potest cõtingere,vt nihil prorsus alteret virtus ipsa, sed remaneat cibus prorsus incoctus, & appellatur talis cruditas à Græcis ἀπεψία à nostris priuatio cõcoctionis, vel non priuatur prorsus huiusmodi

actione, & alteratur quidem cibus, sed actio vitiatur. potest autem vitiari huiusmodi actio, vel quia diminutè, vel quia tardè agat, vel quia corrũpat, si diminutè agit in concoquendo virtus, dicitur illa cruditas ἀπεψία si tardè concoquit, & concoquit tamē, à Græcis βραδυπεψία dicitur, id est, torpor ad concoquendũ, si verò corrupte agat virtus, & cibũ corrumpat, incoctio ista duplex esse potest, vel corrũpitur ad aciditatem, vel ad nidorositatem, quæ habent suas causas, quas scire debetis, vt sciatis curare affectum nidorositatis in ephemera. vel igitur istæ cruditates generantur à causa extrinseca, vel intrinseca, si ab intrinseca ita quod naturalis potentia hæc, vel actio concoquendi vitietur à causa intrinseca, tunc procedit, vel quia in temperatura ventriculi sit vitium, vel in compositione, vel in solutione continui, quod est commune similaribus, & instrumentalibus si in temperatura fuerit, vel erit essentialis ventriculo, siue calida, siue frigida fuerit, ratione cuius intemperiei non sequitur actio concoquendi, vel non essentialiter vētriculo: quia temperatura sit læsa, sed per affluxum materiæ contentæ intra tunicas, vel in cōcauitate stomachi quæcunq; illa sit, quæ obtundat calorē naturalē, & non permittat face-

re coctionem sicut oportet. In compositione verò est vitium, quando in ea aliquis est affectus, cum duritie, vel scyrrho, aut inflammatione, aut apostema, aut erysipelas habet, ratione quorum morborum in compositione existentium in vẽtriculo non potest alimentum ingestum coquere. Vel cum soluitur cõtinuum, quod est commune accidens vt dixi temperaturæ, & compositurae, & istæ sunt causæ intrinsecæ actionem vitiantes. Si verò vitium sit ab extrinseco, non quia patiatur ventriculus, nec in temperatura, nec in compositione, nec in continui solutione, sed in se naturalis est, & secundum naturam: sed occurrit impedimentũ ab extrinseco, & ratione obiecti, vel quia peccat cibus quantitate, vel qualitate, vel substantia, vel ordine, vel tempore peccat quãtitate, cum quis plus comedit quàm deceat, & se infarcit pluribus alimentis, vt ventriculus continere non possit, nec tantã concoquere molem. Substantia autem peccat, quia cibus licet non peccet quantitate: quia tamen substantia eius tenax est, & crassa, peccat, vt cum quis raphanum, vel radices duras comedit, quæ vix à naturali calore confici possunt, vel etiam si quis bouinas carnes semicoctas comederit. Peccat autem cibus ratione qualitatis, quoniã

in isto

in isto alimento est sapor amarus, vel acris, aut astringens, vel qualitas frigida, aut calida rebellis. Peccat ordine cum prius res duras, & solidas ingesserit, vel astringentes, postea adiungat eas, quæ facilis sunt coctionis, puta si post carnes bubulas lac assumeretur, corrumperetur, quia caro bubula non potest nisi longo tempore concoqui, lac verò, & citò, & facilè corrumpitur, & putrescit, & facit reliquum putrescere. Peccat ratione temporis, cum quis in non suo tempore comedit, vt siquis cum cibus nondum bene coctus & in ventriculo, comedat, vel in nocte, vt cum subito exit è lecto, & excrementa nondum sint excreta, omnia ista faciunt cruditates in corpore, & in ventriculo. cruditates igitur illæ cum procedunt à substantia, vel qualitate vt plurimum sunt apepsiæ, & sequitur vel priuatio, vel tarditas, vel difficultas coquendi. quando autem peccatum est in qualitate, vt cum nimis acres, erodentes, aut nimium amari saporis cibi, vel nimium calidi, aut frigidi, quando etiam in non suis horis accipiuntur, vel cum materia adhuc incocta est in ventriculo, vel non seruato ordine, ex his tribus, videlicet non seruato ordine, ex assumptione ciborum cum malis qualitatibus, vel non seruato tempore,

se qui

ſequitur corruptio,cum verò corrumpitur cibus,vel ad aciditatem,vel ad nidoroſitatem corrumpitur,ſtante ſemper quòd non ſit vitium in ventriculo,corrumpitur quidem ad aciditatem cum cibus ingeſtus peccat qualitate frigida, vertitur in nidorem quotiens cibus aſſumptus calidus eſt. Vt autem ſciatis de iſto nidore.Nidor eſt quædam euaporatio aſcendens à re calida quæ *κνίσσα* dicitur apud Gręcos,quaſi quod vellicet nares, & dicitur tam de bono quàm de malo odore, *κνίσσα*, & ſæpiſsimè apud Homerum *κνίσσα* pro vapore à ſacrificio delato,& pro odore carnium accipitur.hæc volui dicere,vt rationem habeatis quid ſignificet nidor,vbicunq; ergo quis aſſumpſerit cibum peccantem in frigiditate, & corrumpatur,ad aciditatem corrumpitur, calidus verò ad nidoroſitatem nares mordicantem,& hoc habet cauſam naturalem, & rationi conſonum eſt.ſcitis enim,vt nos docuimus in methodo ſimpl.& ante nos Galenus in quinq; libris ſimplicium, vbicunq; calor accedit in tenui ſubſtantia,& frigida terrea,& craſſa faciet ſaporem acerbum,vel auſterum,ſicut etiam in pomis accidit,cum calor finem non contigit:fit aciditas primò, poſtea ſubſequitur dulcedo, cum finem attingit,ſic igitur cū calor agit

in fri

in frigidum chilum, vertitur à medio illo calore ad quandam putredinem, & ad aciditatem; sicut quando in re tenui frigida agit, sed non attingit finem, & tunc fiunt cruditates acidæ, & ructus acidi, quia vbi est frigiditas, & chilus non concoctus ob frigiditatem, dico quando non adest vitiũ in ventriculo, quoniam de hoc non loquimur, sed supponamus quòd stomachus sit secundum naturam. si verò fuerit qualitas calida in cibis oblatis, vertitur huiusmodi cibus per corruptionem, ad nidorositatem. In proposito igitur viso quid sit cruditas nidorosa, quoniam non loquimur de ea quę fit ratione intemperaturæ vẽtriculi, vel per affluxum materiæ; (quoniam ab intrinseco fit talis cruditas, & non fit ephemera; sed fiunt deterrimæ febres putridę, & syncopales, quandoq; imminutæ, & quandoq; humorales) sed de ea quæ fit ab extrinseco ratione cibi oblati, ex quo fit feb. ephemera, quoniam ratione qualitatis illius nidorosæ, & corruptionis, inflammantur spiritus, & calor innatus, ex qua inflammatione, cum per successum ad cor ascendit, & ponitur in calefacto esse calor innatus cordis, & spiritus, fit ephemera. hanc feb. cum tali natura hic curamus. Hic duo sunt, & semper cum vultis curare ægritudinẽ, oportet vide

tet, videre quæ nam sit ægritudo, & supposito quòd sit ephemera videre an habeat annexum aliquid, an simplex sit: si habeat annexum, oportet videre an illud annexum possit curari sine curatione febris, & an habeat rationem causæ efficientis, vel materialis, aut communem rationem causæ sine qua non, vel habeat rationem causæ vrgentis, vbi hæc omnia scieueritis, scieueritis etiã an ab annexo sit incipiendum. Annexum in casu nostro sunt, isti vapores nidorosi & est symptoma, & non habent rationem causæ efficientis, vel materialis, quia potest esse ipsamet causa seu feb. à cibo, & potu calido sine cruditate, non habet rationem causæ sine qua non, quoniam potest curari feb. sine cruditate, habet igitur tertiam causam stimulantem, & vrgentem, quia periculum est ne ex ephemera, incidat in putridam pessimam, præterea non nihil facit nidorosus ille vapor ad sustinendam ephemeram, quæ transibit in putridam nisi tollatur. Indicatio aut agendi oritur à natura rei, & cum symptoma annexum possit facere deteriorem ægritudinem, oportet incipere à symptomate, non neglecta tamen feb. & tunc apparet quid agendum, remouendum enim est symptoma, sed hæc indicatio vniuersalis est, nec adhuc apparet actio, sed

quo

quomodo distinguetis actionem? huiusmodi nidorositas prouenit à cibo putrefacto, existente in ventriculo, naturam eius particularem scitis, vbi scieritis in ventriculo corruptum esse cibum, distinctè tunc indicatur quid agendum. & cum sit præter naturam, nec posit reduci ad naturalē dispositionem, cum sit putrefactus, est expellendus. ergo scitis quod euacuare debetis. Quid modo indicat de cibo, & potu? Natura morbi & vires. & quoniam scitis in ventriculo esse corruptum, & corpora non pura quanto plus nutries, tanto magis lædes, igitur pro ratione naturæ materiæ quæ cruda est nulla sumitur indicatio de cibo exhibendo, nisi fuerit indicatio sumpta à viribus, & nihil debetis exhibere, donec totum illud, quod est corruptum, exeat. si verò indicatio aliqua à viribus adsit quæ cōtradicat, tunc ponderabitis indicationem, quæ à viribus, & quæ à materia corrupta sumitur, & tunc vel ad cibationem, vel ad expulsionem materiæ corruptæ accidetis.

Quantum verò agendum, & quantum euacuandum, indicat quantitas lapsus, & quantitas materiæ euacuandæ, & similiter quantitas virium. exempli gratia, si adsit plurima materia cruda, & fortitudo virtutis, semel & confertim euacuare debetis, si

fuerit debilis & multa materia, paulatim id facere debetis. Quantum, igitur partim à quantitate, partim à viribus sumitur, quantitas lapsus indicat quantitatem euacuationis, quantitas viriū indicat quantitatem molis, quantitatem verò materiæ cibationis debetis metiri ratione quantitatis virium. si videbitis vires sufficere, nihil dabitis, si non sufficiunt, tantùm dabitis quantum sit opportunum, pro viribus sustentandis. Quando verò sit operandum in hoc casu propter causam vrgentem, & propter motum festinum, & ratione acuitatis eius, indicatur quod quāto citius hoc symptoma tollitur, tanto melius, & cū non sint indicationes contradicentes in principio debetis agere. Quomodo verò agendum, à natura infirmi, à cōsuetudine, à moribus, à temperatura, ætate, regione, tempore anni, cum reliquis annexis desumitur, sed quoniam euacuare debetis, & plerunq; natura cruditates illas in ventriculo existentes sine opere medici expellit, sicut videtis post ebrietates, & crapulas frequentissimè contingere, quod natura insurgit, & per maximum vomitum crassas materias expellit, si inquam hoc occurrat, vt occurratis tali patienti ephemeram qui plurimum euomat, vel egerat, considerare de-

betis an sufficienter fuerit eductum quicquid erat in ventriculo: si non, expectabitis, & permittetis naturam agere. quòd si peracto termino idoneè fuerit corpus euacuatum, & post euacuationem ventriculus propter vomitum, vel egestionem imbecillus redditus fuerit, ipsum corroborare debetis, cum astringentibus, & aromatibus. quod si contingat vt euacuetur quidem aliquid per vomitum, vel per aluum, sed paulatim, & nausea perseueret, & febris, & inæqualitas iam in pulsu incipiat apparere, non debetis tunc immorari, quia iam incipit vestigium putridæ, oportet vt succurratis, vbi natura deficit, tunc debetis de loco applicationis medicinarum considerare, an superius, an inferius: indicationem hanc vbi sint applicanda remedia habetis à loco affecto. vbi igitur sedatus fuerit paruus vomitus, & parua egestio, supplebitis vos modo dicto, & hoc voluit Auicenna diuinus, cum dixit fluxum ventris fluxu curari, & vomitum vomitu, hoc pacto vomitus curatur. si verò ob ventriculi imbecillitatẽ nihil egerat, & nihil euomat, habet tamen anxietatem, & dispositionem ad nauseam, dicebat Galenus octauo therap. febris hæc difficilis admodũ est, & deterior quàm ea, quæ cum fluore alui est, quia malum est per

viam

viam signi,& per viam causæ,quia si non expellitur sæuas facit ægritudines, & putridas febres, ideo oportebit statim euacuare,& debetis pertractare hypochondria ægri,& videre an tensionem habeant,& vbi apparet calor ad tactum,& tensio,propter materiam retentam,quandoq; circa hypochondria, & quandoq; circa ventrem apparet, præterea considerare an ructus faciat,an excrementa per inferius apparent, & constipatio sit inferius,indicia etiam ex rugitu sumetis,an superius,vel inferius sit, nam indicabitur ibi materiam esse,& tunc cui loco applicanda sint remedia scietis,aliquando enim cum clysteribus commodè, quandoq; per vomitum educetur ; & ideo huiusmodi materia retenta non solùm indicationem generat quid agendum,sed locus vbi moratur indicat vbi applicanda sint remedia,quomodo verò agendum,indicabit natura & mores infirmi. exempli gratia, potestis cum cassia , manna, tamarindis , rhabarbaro, aloe , mirobalanis,educere materiam , quoniam hæc facile educunt sine attractione à longinquo, mores tamen infirmi modum variant,Modus autem variatur(vt alias diximus) penes variationem substãtiæ qualitatis , modi substantiæ instrumentorum , &

materiæ,& penes variationem artificis.pro variatione igitur substantiæ indiuidui sumitur à moribus,aliqui enim sunt qui abhorrent à cassia,& percipiunt ex ea maximum nocumentum, aliqui abhorrent ab aloe,aliqui à manna,oportet tunc mutare modum,non mutando quid agendum,modo euacuetis siue cum mirobalanis siue cũ rhabarbaro nihil refert.pro varietate igitur moris,etatis,& pro tolerantia infirmi, variatur modus agendi.Hactenus quasi per typum habuistis quomodo curanda sit febris,quæ habet hoc symptoma annexũ id est nidorosam qualitatem,& curatur ex materiæ nidorosæ euacuatione.Quantum verò ad febrem non differt curatio à reliquis simplicioribus,omnia enim indigent refrigeratione,& humectatione.

Et cum fuerit tota cruditas educta,corroborabitis ventriculum cum his,quæ habent vim constringendi, & habent aliquid aromatici,vt corroborentur spiritus, ideo linimẽtum quo vtor cõmodissimum erit, quod habet olei absinthini vncias duas,masticis drachmã,ladani drachmas duas.hoc enim linimentum habet odorem,quo corroborat,præterea ladanũ penetrat ad profundum,& alia penetrare facit,& ventriculum roborat.accedamus modo ad ephemeram

ram,quæ fit ex constipatione pororum,hæc febris simplex dicitur licet habeat annexam causam efficientem,permanentē,constipationem scilicet pororum,ex qua prohibetur transpiratio , & ex prohibitione transpirationis inflammatur spiritus,& calor innatus,& fit hæc febris ephemera:cum ergo res ita se habeat,nemini dubium est, quòd si secundum etiam accesserit,multitudo scilicet humorum acrium nisi citò occurratur,ex ephemera fiet putrida,ideo dicebat Galen.octauo therap. quod qui incidit in febrem hanc , nisi fortunam bonam nactus fuerit,quæ in duobus consistit,nempe quod humores in venis cōtenti sint pauci,& non acres,& quod optimum nactus sit medicum,non euadet quin in putridam incidat , quoniam constipatio , & multitudo acrium humorum necessariò faciunt febrē putridam . si igitur debet accidere hæc febris,duo necessaria sunt cōstipatio meatuū cutis externorū ex qua fiat prohibitio euentationis,& secundo quòd deprauati sint humores in venis,si enim in venis non esset plenitudo,nec quo ad vasa neq; quo ad virtutem,facta constipatione nō inciderent in ephemeram,cum ergo hæc duo necessaria sint,raro accidit quin putrida accidat febris,quia adsunt omnes causæ aptæ ad suscipien

ſcipiendam putredinem. Vbi igitur contigerit curanda, ſis tanto diligentior, quanto periculum imminet ad putridam, quomodo autem cognoſcatur, iam diximus cum de ſignis egerimus. Primum autem in curatione eſt quid agere debeatis, poſtea reliquæ conditiones limitant quid agendum. Incipiamus autem methodum de eo quod quid agendum à morbi natura, nam huius morbi natura febris eſt in ſuis cauſis conſiderata, pendet à conſtipatione pororum cutis, quantum enim ad febrem curandam eſt ſicut aliæ ſimplices, quæ eſt in calore innato, tanquam in proprio ſubiecto, terminatur autem in ſpiritibus, & habet eaſdem indicationes curandi ſicut reliquæ, cõmune quod habet cum reliquis eſt, quod ſit intemperies calida & ſicca, quæ in ſpiritibus terminatur, & meritò huius conceptus habemus eandem intentionem, diſtinctius autem, à quo ſumuntur diſtinctæ indicationes. eſtque, quod in hac febre, humores acres in venis ſunt calefacti, & pręterea conſtipatio meatuum exteriorum cutis prohibens euentationem. ex his diſtinctionibus habemus varias indicationes curãdi, oportet igitur videre ab his duobus, vnde incipiendum ſit. Scitis autem vbicunque aliqua occurrunt quæ habeant rationem cauſæ efficientis

ficientis, vel materialis, quę foueant, vel habeant rationem causæ sine qua non, debetis ab eis incipere, sicut de inflãmatione in vlcere exemplificauimus, vel habeãt rationẽ vrgentis, quæ possit parere magnum incommodum, nisi occurratur, vbicunque enim aliqua earum causarum occurrerit, eam remouere debetis, in casu nostro habemus cõstipationem vti causam à qua immediate feb. dependet. prętetea, præterquam habeat rationem causæ efficientis, habet etiam rationem causæ sine qua non potest curari febris, & habet etiam rationem causę vrgẽtis, quoniam nisi prohibeatis constipationem non tantùm ephemeram efficiet., sed putridam, & aliquando deterrimam. cum ergo habeat rationem omnium trium generum causarum necessariũ est vt incipiatis ab ea constipatione, & tollatis eam, tollitur autẽ cum oppositis, & ita inuenitis quid agendũ. opposita autem sunt quæ aperiunt anostomotica dicuntur calida, & humida, quæ non excedunt secũdum gradum, aliter attractiua, & dissolutiua erunt, tale est balneum, & aer balnei, balneo efficacior, fomenta ex oleis calidis, & humidis, frictiones suaues, & temperatę: sed ab istis non debetis incipere, quoniam incideretis in multa incõmoda, vt natura rei docet: qa in isto corpore sunt hu-

mores acres in venis deprauati calidi supercalefacti propter prohibitam euentationem, vbi hæc exterius applicaretis, agitaretis humores quiescentes, & permiserentur cum bono sanguine. Et cum acres, & calefacti sint, contingit putredo in humoribus bonis, & in sanguine, ac in partibus aptis putrescere, non sunt ergo aperiendi meatus cutis cum huiusmodi remediis, si essent aperientia, per interius exhiberentur, vt oximel simplex, vel compositum, vel diaspoliticon, quod per venas distribuitur, distribuerentur humores per venas, & putridam faceretis febrem, non oportet ergo incipere ab apertione, nec per interius, nec per exterius, oportet ergo studere, vt melius vtatur ingenio, & vera methodo, & inuenire modum, quo constipatio aperiri posit, ac præter incõmodum. Si ergo inuenerimus modum quo curemus febrem refrigerando, & humectando corpus habemus quod quærimus. Quia ergo hic tria sunt constipatio meatuum cutis, Humores acres in venis, Et calefactio spirituum, id est febris, quæ tria præter naturam remoueri debent, primum aperiendo; secundum euacuando, tertium refrigerando. Si habuerimus remedium quod illa tria faciat, nihil præstantius: quia ars & natura semper compendia quærit.

Quod

Quod igitur erit remedium hoc? Nullum profectò aliud nisi mittere sanguinem. Ex ea enim primò rarefacitis corpus, vt dicit Galenus in libro de phlebotomia & prætetea ratio dictat, nam cum euacuatur sanguis, habitus durus, laxus efficitur. Secundò habetis euacuationem, quoniam ex ipsa fit euacuatio vniuersalis, vt ibi docet Galenus, & Auicenna suus interpres. Tertiò habetis refrigerationem totius corporis: quia ex missione sanguinis corpus refrigeratur, vt ibi Galenus asserit, & ratio dictat, quod vbi educitur sanguis in quo sunt spiritus, & calor, educitur plurimum de calore, & corpus euentatur, & refrigeratur, & habitus solidus fit laxior, & vapores contenti exhalant. Optimum ergo erit remedium, & quamuis corpus non indigeat sanguinis missione, vt inquit Galenus octauo therap. cap. 4. tamen in hac febre debetis mittere sanguinem, quia euacuat quicquid in venis existit, quod possit putrefieri, & facere putridam febrem, & aperit poros, & corpus refrigeratur, propterea ad sanguinem accedere debetis, etiam si non adsint indicia indicantia, & ex hoc apparet quod moderni fuerunt optimi, & Arabes, quando dicunt dari phlebotomiam euenttatiuam. Ponunt isti tres phlebotomias, & deridentur

ridentur ab istis, qui se Galenicos profitentur, dicunt isti quandam esse phlebotomiam euacuatiuam, & tunc omnes assentiuntur, aliam diuersiuam appellāt, & hanc concedunt, euentatiuam verò derident, & dicunt fuisse modernorum somnium, & tamē extollit hāc Galenus in cura huiusmodi febris: in qua non fit missio sanguinis ratione multitudinis ad euacuandam multitudinē, ideo asserit etiam quod multitudo non indicat esse faciendam phlebotomiam. nō fit etiam ratione diuersionis: quia nō adest hic fluxio, nec præcipitantur humores ab vno termino ad alium, ideo diuersione non indigemus, ergo ista est phlebotomia euentatiua, ideo dicit Galenus se velle euentare corpus, & refrigerare, ergo oblatrant isti contra modernos, & hæc de phlebotomia, euētatiua, à Galeno hoc loco admissa, quę curat febrem hanc. postea vbi hæc feceritis, non debetis desistere quin aperiatis, cum his quæ interius, & exterius id facere possint, quia facta euacuatione, & rarefactione non timetis putredinem, & tunc conueniunt oximel simplex, syrupus acetosus, scilicet cum aquis endiuiæ boraginis: quia rectificat sanguinē, & cum aqua cicoreæ, syrupus etiam de endiuia, & exhibere per os, hęc enim apertitiua sine calefactione cōueniunt, præterea

aex

aer balnei, qui laudatur mirum in modum in hac febre à constipatione magis quàm aqua balnei, ideo ponetis hominem in loco calido, vbi sudet, quando non indiget balneo, quoniam corpus non est arefactum, aer autem balnei aptior est ad apertionem pectoris. & hoc dicunt tam antiqui, quàm moderni, quo ad quid augendum, circa cibum, debetis vti his modis procedendi, & intentionibus, quæ procedunt à natura rei, vos scitis acres humores redundare, & esse humores deprauatos in corpore, ideo indiget tenui victus ratione: quia breuissima est, & si perduraret, incideret in putridam, ideo ptisana erit conueniens, potus erit aqua, non quidem simplex, nisi esset exquisitissima, quam raro habemus, non enim penetrat, non distribuitur per venas, ideo aqua erit mixta cum oxysaccare ex simplici zuccaro optimo, albo & aceto confecto, fiet etiam optima, & gratissima gustui. & si eam miscetis cum aqua, faciet penetrare aquam per venas, & pro alteratione feb. erit conuenientissima, & humorem concoquit. de reliquis conditionibus, quomodo, quantum, & vbi, non refert multum: quoniam alias diximus, & dicemus vbi de putridis loquemur.

Deueniamus modo ad vltimã sex febriũ simplic

simplicium, quæ habent annexam causam, & ea est, quæ à bubone oritur, quæ inflammatio est, vt plurimum in inguine, fit etiam sub assellis, vbi sunt carnes glandulosæ, sed plerunque circa inguina fit. Vbicunque enim febris ephemera subsequitur bubonem, habet causam annexam bubonem, & inflammationem, quæ habet rationem causæ efficientis: quia vapores à bubone eleuantur, non tamen ascendunt ad cor, quia facerent febrem putridam, quoniam putrida est, quando putridi vapores miscentur calori innato cordis: sed cum vicinas partes per contactum calefaciunt, & illæ alias, & ita successiuè vsque quo caliditas ad cor deueniat, sine permixtione vaporis putridi, fit febris ephemera: quia de essentia febris ephemeræ est, vt calor tantum augeatur, sine admixtione substantiæ calidæ, ideo debet tolli bubo. huiusmodi autem bubo (ne laboretis in æquiuoco) duplex est, quidam à causa intrinseca, quidam ab extrinseca fit. Ab intrinseca fit cum ab humore malo descendente ad locum sine alia causa oritur, vbi corpus repletum est. à causa extrinseca fit: non quia humor malus transportatur ad eas partes: sed quia vlcus fit in partibus illis & ratione doloris currit ad eum locum humor, & ibi adhæret, sicut

cum

eum isti iuuenes habent vlcus aliquod in crure, laborant: ex labore sequitur dolor, ex dolore attractio humorum, & hoc modo bubo oritur. cum ergo fiunt tales bubones, dicuntur fieri à causa extrinseca. Hæc est distinctio facta à nobis clarè, à Galeno subobscurè, vbi ait, febres, quę proueniūt à bubone sine causa manifesta, sunt suspectæ, quia febres sequentes bubones, præter diarias, dicebat Hip. sunt malæ, quia fiunt à causa intrinseca & à deprauatione humorū, nec euadent putridam. cum verò fiunt ab vlcere manifesto, siue à percussione fiant, siue à ruptura, vel flexione, vel incisione, & tollatur quid de loco, & soluatur continuū, vlcus appellatur, sicut cum diximus, & etiā Hippoc. omnis morbus vlcus est, intellexit per vlcus, omne quod potest causare dolorem. isti igitur bubones, qui sunt à causa manifesta, ab vlcere manifesto, nō fiunt ratione plenitudinis, ideo non est mirum, si faciunt ephemeram: quia spiritus tantum inflammatur, nec vapores ascendūt ad cor: quia non sunt multi. omnes autem aliæ febres à bubone factæ à causa intrinseca suspectæ sunt. vbi igitur occurretis his febribus à bubone factis à causa extrinseca, idē facietis, quod diximus de febribus à constipatione, tolletis causam efficientē, siue causam

ſam ſine qua non, ſiue vrgētem: quia ſi perſeueraret, faceret putridam. curabitis ergo febrem hanc ſedando dolorem, & curando bubonem, de qua curatione in ſecundo libro dicemus. inflammationem igitur linietis, & dolorem ſedabitis, quia ſedando dolorem ſedabitis bubonem, vapores non aſcendent, nec fiet calefactio. in reliquis habet eandem curam, ſolum habet hoc peculiare febris iſta, quod indiget balneo, & ideo eſt, quia dolor perſeuerans maximè exiccat, & vapores plurimi trahuntur à centro ad circunferentiam, indiget corpus rarefactione, & refrigeratione, ideo optimè in his feb. plurimam humectationem, & rarefactionem admouemus, vt prohibeamus putredinem, & diuerſionem faciamus vaporum, & corpus teneamus difflatum, & humectatum, quod exareſcit ex vigiliis, & à dolore. Hæc de cura feb. à bubone.

Dicamus modo duo verba de illis tribus quas febres ephemeras mixtas, & ambiguas appellamus, quæ non ſunt ſimplices ephemeræ; ſed mediæ inter putridas & ephemeras mixtas, & malignas, quæ ſynochæ dicuntur, nō ſunt ſimplices quo ad annexum, quoniam habent ſymptomata, & cauſam annexam, non ſunt ſimplices quo ad eſſentiam, quoniam à Galeno octauo therap.

viæ ad putridam dicuntur, & à reliquis Græcis synochæ sine putredine, & diximus tres esse, paracmasticam, epacmasticã, homotonam, & quare dicantur, & quæ sit causa. epacmastica procedit semper augendo, paracmastica semper declinando, homotona semper in eodem tenore permanens, & hoc diximus esse ratione proportionis vaporum transpirantium, si plures transpirent, quàm retineantur, procedit semper declinando, si plures retineantur, semper augendo, si eadem proportio seruatur, in eodem tenore permanet. quantum ad istarum curationem quid agendum à natura morbi quæritur, natura autem harum febrium non multũ differt ab ea, quæ ex constipatione meatuum cutis fit, sed differunt secundum magis, & minus: quia necessario est constipatio cutis in omnibus synochis istis, sicut in ea ephemera à constipatione, præterea requiritur multitudo humorum in venis sicut in ea, sed differunt in hoc: quia in febre ephemera non requiritur, nisi parua portio humoris acris in venis, sed in synochis non sufficit, vt sit parua portio: sed requiritur plenitudo venarum, & plenitudo sanguinis, & multitudo quo ad vasa, ideo dicebat Galenus has febres non cõtingere nisi in hominibus multo sanguine repletis

pletis, non gracilibus. Secundò requiritur constipatio pororum, ex qua necessariò sequitur, cum non posſit tranſpirare, quod ebulliat, & ferueat sanguis, & imminet tunc periculum putredinis, imò tunc initium est quoddam, quia non fit putredo nisi calor naturalis factus sit præter naturam.

Ideo Galenus anceps fuit an essent putridæ, an ephemeræ, ideo separauit eas à simplicibus ephemeris, & posuit eas in medio, oportet igitur vbi nacti fueritis has febres, non morari, & cum sint eiusdem naturæ cum his, quæ à constipatione proueniunt, tolli debet constipatio, sicut etiam diximus in ea, & sicut non fuit tutum in illis simplicibus, in quibus pauci erant humores, vti aperientibus remediis, ne exagitarētur humores acres, quomodo erit tutum vti in istis, quæ agitant humores, & faciunt eos præcipitare, & inflammationem in visceribus causare? oportet ergo cauere ne vtamur aperientibus intrinsecis, quia incidemus in maxima discrimina, & sic ibi necessarium est mittere sanguinem posthabitis omnibus aperientibus, tam intrinsecis, quàm extrinsecis, quia ex phlebotomia obstructiones aperiuntur, & educūtur humores acres, & corpus refrigeratur, quanto magis fiet in istis, in quibus eadē indicatio est euacuandi

multitud

multitudinem, quam non euacuabimus in ea? & refrigerabimus etiam totum corpus, & rarefaciemus etiam habitum corporis, persimilis igitur est intentio, vt euacuemus, & rarefaciamus, quia cōstipatio adest, euacuamus, quia repletū est corpus multitudine sanguinis, quare phlebotomia euentatiua, & euacuatiua necessaria est, nam sanguinem euacuamus vt corpus refrigeremus, & si in casu aliquo licet sanguinē mittere vsque ad syncopim, iste est casus, quia habeamus multitudinem sanguinis maximam, & corpus validissimum, quia febres istæ non possunt contingere in corporibus gracilibus, & non expectamus putredinem in quam incideremus, si tarderemus phlebotomiam, quę putredo si iuncta esset cum synocha, non liceret mittere sanguinem, vsque ad syncopim, ideo quia si id fieret interficeretis ægrum, quia dicebat Galenus octauo therap. (quòd deinde ab Auicenna vsurpatum est) in putridis febr. etiam si indigeremus plurima sanguinis misione, debemus euacuare sed parū (& quare?) quia non tolletis putredinem cum sola misione sanguinis oportebit postea vt curetis febrem, & si tollitis copiosissimum sanguinem, corpus imbecillimum redditur, & nō sufficiet postea ad tollendam putredinem

cogemini nutrire ægrum, & ita interficietis eum cum vestra nutritione. in casu autem nostro, quia non habet annexam putredinem non indigemus post euacuationẽ curare putredinem, quia facta euacuatione cessabit feb. ideo in nono therap. in iuuene illo, cum Galenus misit sanguinem in synocha sine putredine fecit sang. missionem vsque ad syncopim, & omnes astantes clamabãt iugulasti febrem Galene. in alio verò non misisset vsque ad syncopim, quia habebat quadram, quam ego doceo, & habeo quo ad principales intentiones.

Quantum ad rationem victus limitatur secundũ differentiã sanguinis, & licet adsit multitudo, & repletio, non est tamẽ vniformis, in alio est multitudo sanguinis magis serosi, & in alio magis biliosi, in alio magis melancholici, secundũ sanguinis naturã exhibẽda sunt cibaria, si sanguis fuerit biliosus, alterantibus frigidis, & humidis vtemur, quæ virtutem etiam emplasticam habeant, ad obtundendum acrimoniã sanguinis: si verò fuerit sanguis magis serosus, & aqueus, debemus vti remediis, & cibariis quæ separent sanguinem, & prouocent vrinam, quæ tamen non multum calefaciant, ea sunt semina communia frigida melonis, cucurbitæ, citrulli, vel cucumeris, vt dicunt

isti

isti,semina endiu.gramen, sed inter reliqua syrupus acetosus. s. oximel. s. aqua mulsa conuenientissima sunt, hæc omnia prouocantia vrinā separant sæguinē ab aquositate,& hoc pacto procedere debetis,si rectè debetis curare febres istas,& ita habetis curationem istam, & omnium febrium ephemerarum quæ vndecim sunt. in his tribus est aliqua differentia in curatione,secūdum differentiam causarum. peracmastica simplici missione sanguinis tollitur,in epacmastica, & homotona factis euacuationibus, frictiones conueniunt, quia ibi est maxima constipatio, & præterea ad balnea ducendi sunt, vt humectentur corpora exiccata, quæ omnia communia sunt tam simplicibus,quam mixtis, & hæc de toto genere ephemerarum sufficiunt.

Iam igitur ad hecticas deueniamus.si rectè memoria tenetis, omnia febriū genera in tria diuisimus, & primū vndecim sub se inuenimus species specialissimas habere,& diximus ea genera à subiecto terminãte distingui; terminum ephemerarum diximus esse spiritus, hecticarū solida membra, putridarum humores.egimus exquisitè de his quæ terminantur in spiritibus, iam igitur separemus hoc genus, & secundū genus diuidimus,quod habet suum subiectū termi-

nans in substantia cordis, & in solidis membris, quod hecticũ appellatur, postea accedamus ad genus putridarum, sed antequam diuidamus, prius quid importetur per hoc nomẽ hecticũ dicamus. Debetis scire quòd hoc nomen hecticum sumptum est ἀπὸ τῆς ἕξεως, & idem sonat quòd habitus, quoniã huiusmodi febr. in habitu est. dicuntur autem esse in habitu quæcunq; firma permanent sine causa, quæ adeo adhærent vt difficulter remoueãtur, & ita tam sanitas, quàm morbus dicitur esse in habitu, dicitur apud Græcos κατὰ ἕξιν, si verò depẽdent à causa, siue morbus, siue quodcunque aliud, & facilè remouetur sit, dicitur apud Græcos κατὰ σχέσιν, id est, secundum habitudinẽ, & medici vtuntur his nominibus. Aristot. autem vtitur his nominibus Athesis, & diathesis, id est, habitus & dispositio.

Circa hoc genus feb. quòd hecticum appellatur, est primo vnum sciendum antequam ad ipsam diuis. accedamus. Posset enim quæri, quare Galenus in hoc primo loco non pertractat de hecticis febribus, quæ sunt multi momẽti, & quotidie occurrunt, & curantur etiam? Debetis scire quòd diximus in præfatione nostra, in principio libri, quòd scopus & intentio Galeni erat in his duobus libris tradere modum exercendi

cendi per methodum in singulis generibus morborũ, & ibi ostendimus etiam esse tria morborum genera, primum genus in intemperie est, secũdum in compositione, tertium in solutione cõtinui. diximus quòd in primo loco docet exercere in primo genere, in secundo docet, nos in aliis duobus generibus, scilicet in compositione, & quoniã sub primo genere quod in intemperie consistit quædã est intemperies essentialis sine materia, quædam per affluxũ materiæ, de vnaquaq; voluit agere in isto primo libro, & in his duobus exercere nos, & primò omnes temperaturas proposuit, & modum exercendi tradidit in intemperaturis simplicibus, postea putridas aliquas feb. proposuit, & in his docuit nos exercere, vt per eas possemus exerceri in omnibus morbis venientibus ab intemperie, per affluxum materiæ, & istæ sunt illæ febres, quæ putridæ dicantur. mens igitur Galeni, non fuit tradere seorsum de omnibus ægritudinibus quæ sunt in intẽperie, sed accipit tantum nonnullas in quibus idoneè nos exerceret, & cum tradiderit modum exercendi in ephemeris, quæ dependent à qualitate simplici sine mixtione alicuius substantiæ, ideo non fuit necessariũ tradere notitiã de hecticis, quoniam similes sunt ephemeris

 feb.

febr. & differunt tantum secundum magis & minus,& hoc est proprium Galeni, in libris suis , & in hoc loco , & in magna therap. non tradere curationem particularem, sed methodum tradere , qua in singulis debeamus mederi, & cum descendit ad hecticas sub quodam typo accedit , & curationem addit ratione exempli : quia eius scopus est tradere medicinā , per methodum, ideo nō sibi necessarium videbatur ad particularia descendere , & ostendit in consilio pueri epileptici vbi ex professo tradidit curationem ibi excusat se dicens, se nolle tradere omnia , quoniam ea habemus ex methodo , & si vellem inquit ratione tradere omnia documenta particularia mille anni non sufficerent , & nunquam finiremus , iis qui habent methodum istam,satis est veluti exempla aliqua tradere , vt reliqua ex se inueniant.& affert exemplum de simulacro Mineruæ sculpto à Phidia secūdum omnes partes , ita exactè , vt nil amplius desiderari posit , artémque tradidit non modò sculpendi digitum, sed quomodo etiā componeretur cum reliquis partibus . qui ita habet simulacrum hoc postea si percunctaretur artem sculpendi digitum , ipse Phidias eum derideret, nam artē tradidit sculpendi totum simulacrū, ideo nunquam Galenus

lenus docet particularem curationem ita fieri,& minus hoc loco, ex his eligatis alterum duorum, quod nobis est necessariò faciendum, vel prorsus derelinquere Galenum sicut fecerunt antiqui nostri maiores, qui videntes non posse curationes (propter latitudinem ægritudinum) doceri nisi per methodum, nescientes eam, ad Arabes declinauerunt, & Auicen. cum reliquis Arabibus assumpserunt. Vel addiscere methodum qua possitis omnes ægritudines particulares perfectè curare, & ita rationem habetis quare Galenus hoc loco non pertractauit de hecticis. quia ratione exempli procedit. tantam autem habent familiaritatem cum ephemeris, vt in nono, & decimo methodi non potuerit curationem ab inuicē separare, intelligo de hecticis simplicibus, quæ non pendent à putredine, & inde sequitur quare ego assumpserim hoc genus hecticarum antequã ad putridas deueniam. quoniã hoc genus est magis adhærens ephemeris, & ratione continuitatis materiæ deuenimus ad hecticas, circa ergo diuisionem generis hecticæ febris, oportet primò de nomine aliquid dicere. in hesterna lectione iam dicere incepimus quomodo apud Græcos dicũtur morbi hectici qui sunt in habitu confirmati, qui verò nõ sunt

confirmati, ſed facilè remouentur, dicuntur morbi κατὰ σχέσιν, & quod de morbo dicimus idem de ſanitate, nam ſanitas in habitu reperitur in corpore temperato dicebat Galenus in non temperato verò reperitur tantum in habitudine, facilè enim poteſt remoueri, hoc enim nomen, quòd hecticum dicimus, de quocunque habitu firmo in ſubiecto dicitur, quo ad feb. hecticã quandoque hoc nomen in ampliori ſignificato ſumitur, aliquando in proprio ſignificato, in ampliori, ſicut Galenus in principio octaui therap. ſumit, vbi appellat hecticas febres omnes, quæ ſunt ſine cauſa, licet putridæ ſint, dummodo non habeant cauſas, & adhuc febris ſit, & iſtis hecticis febribus oppoſuit ſcheticas febr. id eſt, quæ ſunt in habitudine, id eſt, quæ pendent adhuc à ſua cauſa, quàm ſi remouebitis, tolletis febrẽ, ſicut plerunq; putridæ febres. Sumitur verò in proprio ſignificato. Vbicũq; calor præter naturã accenſus eſt, & exiſtens in calore innato (pro ſubſtantia accipio) in ſubſtantia cordis accenſus lædens operationes, ex hoc conceptu febris propriè dictæ facimus diuiſionem, & ſciatis, quod differt toto genere hectica à tabe, quia tabes eſt exſiccatio corporis, quæ poteſt eſſe vel cum frigiditate, & ſiccitate, vt in ſene, licet

licet non adsit caliditas adurens, vel cum caliditate quomodocunque arefactio contingat, dicitur tabes, sed hectica nō est arefactio, sed causa arefactionis, imò sunt hecticæ febres, quæ non sunt siccæ, ita quòd febris hectica non se habet ad tabem, vt ad terminum, quia terminus hecticæ tendit ad tabem, & ad marasmum, & se habet tanquã causa ad causatum. Istis visis vnum est aliud videndum, quòd in summa diuisione febrium diximus quòd febrium quædam diuiduntur sumpta diuisione à materia ex qua, & appellauimus eam calorem innatũ inflammatum, vt est qualitas, non autem substantia. Quando sumitur distinctio ab eo calore, ita dicimus, Febres quasdam esse simplices in se ipsis, vt tantum calor innatus versus sit ad igneũ, propter additamentum simplicis qualitatis, & nō autem propter admixtionem alicuius substantiæ. si quis enim calefit apud ignem vel solem, additur qualitas calori innato, & fit in se ipso acutior. Alio modo calor augetur, nō quia qualitas simplex augeatur, sed additur aliquid igneum in substantia, quo addito augetur calor. exempli gratia, si vapores putridi misceantur calori innato, vt suprà diximus, vt tali miscella augetur calor, & isti sunt duo modi augendi calorem inna-

tum. His visis deueniamus ad diuisionem febris hecticæ. febrium hecticarum quædam pendent à simplici qualitate, quædam pendent à putredine. Accipiamus hoc membrum secundũ & rursus diuidamus ipsum. febrium hecticarum quęcunque à putredine fiunt: quædã fiunt, quia admiscetur huic calori innato (quod est proximum subiectum febr.) aliquid putridum vaporosum, exempli gratia, cum fiunt febr. magnæ in corpore colliquatiuæ, typhodes à Græcis, ab Auic. hecticæ appellatę, hæ febres habẽt vapores colliquatiuos quidem acerrimos, & ita vrẽtes, vt hæc accensio non solùm terminetur in humoribus, imò propter acrimoniam perueniat calor ad alium terminum, id est ad substantiam cordis, & ponitur in calefacto esse ab huiusmodi vaporibus calidis acribus, & fiunt hecticæ, quæ dicuntur colliquatiuæ, pendentes à vaporibus putridis, licet non habeant vapores ita acres: sed remissos, ita perseuerant sine paroxysmo notabili, vt etiam per sex menses aliquãdo perdurent, & quãdo diutius perseuerat, ita calefacit ista febris calorem innatum, vt ponat postea complexionalem calorẽ cordis in calefacto esse, & ibi terminetur, & fiat febris hectica per admixtionem vaporum putridorum febr. istæ he-

ćticæ pendentes à vaporibus illis à Galeno primo de differentiis febrium traditæ sunt. Quædam verò hecticæ fiunt, quæ à putredine procedunt, non ex vaporibus putridis, sed habent putredinem deteriorē, quoniam in primis putruerūt humores contenti in substantia cordis, nec vnquam putrescit sanguis in corde, nisi in his febribus de quibus nunc agimus, nam quando vapores putridi admiscentur contentis cordis, in sanguine, vel in substantia, & faciant calorem esse talem, non propterea putruerunt humores cordis, nec substantia cordis putruit, tunc verò putrescit substantia cordis, quando iniungitur putredo in eius substantia, adeo vt calor complexionalis cordis præter naturam fiat, & trahat humidum radicale cordis secum, & fit vera putredo, sicut putrescit caro exterior, & pomum cum derelinquitur à suo calore naturali, cum huiusmodi putredo fit, tunc fiunt febres pestilentes in vera pestilentia, & trahitur putredo ista per anhelitum, siue fiat cōtagium per attractionem spiritus ab aliquo corpore infecto, siue ab aëre, attrahitur, ille spiritus, & aër putridus in corde cum sit ex toto genere præter naturam, calorem complexionalem cordis putrefacit, & fit maximus fœtor in anhelitu, & habet

habet contagium ex anhelitu proprio, ex transpiratione aeris per arterias, & inspirationis attractione, & hoc expreſsè dicitur à Galeno tertio de prognoſticatione & ex pulſu, & oſtendit quomodo iſtæ peſtilentiales feb. dicuntur hecticæ: quia habent conditionem hecticarum, & cui competit diffinitio, & diffinitum. Igitur huiuſmodi febres erunt hecticæ, vos ſcitis feb. hecticam eſſe calorem præter naturam in ſubſtantia cordis confirmatum: ſed ex his febribus confirmatur in cordis ſubſtantia, ergo hecticæ ſunt, & eodem in loco hecticas appellat: ſed in fine libri vndecimi therap. vbi docet quomodo curentur, inquit nihil de colliquatiuis febribus hecticis, neque de peſtilentialibus in præſentia dicemus, quoniam de his in poſterum aliquid dicere licebit, & hæc eſt prima diuiſio hecticarum pendentium à putredine, quarum nonnullæ ita pendent à putredine, vt nō putreſcat ſubſtantia cordis: ſed ex permixtione vaporis putridi accenditur ſubſtantia cordis. quæ verò fiunt à putredine, nō quia vapores putridi ſic fiant: ſed aer attractus putrefacit ſubſtantiam cordis, & iſta febris hectica eſt, & docuit Galenus in tertio de prognoſtic. ex pul. quid poſsimus ſperare ſalutis, vbi ſubſtantia cordis putridata eſt,

& tunc

& tunc non est mirum, si etiam omnes humores putrefiant, & virtus & omnia ornamenta vitæ pereant in duabus, vel tribus horis. De signis harum febrium & curationibus loco suo dicemus, ideo membrũ hoc relinquamus, & accipiamus aliud membrum, quod hecticarum quædam sunt propter solum augmentũ qualitatis, non quod aduenìant calori naturali vapores, vel putredo, & istæ non differunt ab ephemeris, nisi secundum magis, & minus. calor innatus in vtrisq; versus est ad igneum, sine mixtione alicuius substantiæ: sed in ephemeris versus est ad igneum suauiter, & leuis impressio facta est, nec potuit terminari nisi ad spiritus, quia faciliter inflammatur: sed vbi augetur gradus, & intensior fit per additionem simplicis qualitatis, & ita augetur, vt non terminetur amplius ad spiritus: sed in cordis substantia figatur, & aliorum membrorum, tunc fit hectica, & ita habetis differentias vtriusq;, loquendo de simplici hectica. Ista igitur febris hectica simplex per solam qualitatis intensionem, sine aliqua additione, siue à putredine, siue à vaporibus, ita diuidetur, Febrium hecticarum simplicium, quædam à corde immediatè incipiunt, quædam ab aliquibus membris. quæ incipiunt à corde, sunt illæ

cum

cum figitur statim calor in substantia cordis, nec alibi incipiunt, & hæ contingunt post ephemeras, quando corpus aliquod cholericum incidit in ephemeras, vel ab ira, tristitia, vigiliis, vel à potu vini, inflammantur spiritus cordis, & calor innatus factus est igneus, dum perseuerat, vel malè à medico curatur, vel malè paret medicis, facile figitur in corde, quia corpus dispositum, & cholericum est, & notetis quia non frustra facimus differentias has, quoniam aliter curantur illæ quæ incipiunt ab vno membro, quàm ab alio. quæ verò non à corde incipiunt: sed ab aliis partibus, à Galeno decimo therap. ponuntur, & sunt duo potissimum membra, à quibus incipiunt, ventriculus, & hepar, siue ab inflammatione fuerint affecta, siue intemperiem calidam simplicem habuerint. ex inflammatione horum membrorum facile imprimitur calor in corde, propter vicinitatem. aliquãdo incipiunt ab intestinis gracilibus, à ieiuno intestino, à colo, à crassioribus intestinis, quandoq; ab vtero mulieris, & videtis multotiens, ex magnis affectibus vteri hecticas fieri, cum per partem post partem fit impressio in corde, quandoq; ratione renum, quandoq; ratione diaphragmatis, sed inquit Galenus se vnam tantùm vidisse

disse, & ideo est, quoniã vbi contingat caliditas, & siccitas aliqua, aut inflammatio in diaphragmate statim sæuiora contingunt accidentia, difficultates maximę anhelitus, deliria: quia diaphragma tantam habet familiaritatem cum mente, quod illam partem phrenas antiqui appellarunt, nec est tempus incidendi in hecticam, ita quòd quot membra sunt, tot species sunt indiuiduæ, & vna appellatur hectica stomachi, alia hepatis, alia renum, alia diaphragmatis. Sed notate, cum dicimus hecticam stomachi non credatis eam in stomacho esse, quia non potest esse hectica, nisi in substantia stomachi calor figatur: sed talis denominatur, quia ibi incipit arefactio, quæ postea succesiuè peruenit ad cor, & tunc hectica dicitur, cum fuerit fixus calor in substantia cordis, & istæ sunt omnium simplicium hecticarum febrium differentiæ, vsq; ad indiuiduas species, ad quas cum deuenimus non facimus vlteriorem diuisionem. Isti verò moderni faciunt tres diuisiones hecticæ simplicius, & primam speciem appellãt, cum calor est in rore ex quo nutritur cor, cum verò in humido nutricali, quod iam conglutinatũ est, secunda species dicitur, tertia autem species cum in humido radicali fixus est calor, sed istę species

non

non ponuntur à Galeno, nec differunt sicut differt species à specie, sed vt gradus à gradu. Galenus enim primo de differentiis feb. hecticas diuidit in principium, augmentum, & statum, & hæc distinctio est digna Galeno, dum enim calor præter naturam occupauit humidum radicale, vt efferuescat, non autem vt absumatur, sed periculum imminet ne exiccetur, hoc est principium hecticæ, & ista potest esse cum humiditate multa, existente in corpore adhuc, & sine ariditate corporis, nec dicitur prima species, sed principium hecticæ, augmentum verò dicitur, cum calor tantam fecit ebullitionem in huiusmodi radicali, nec cessat quousq; deueniat ad statum, & totum iam absumptum sit humidum radicale, & corpus arefactum sit, declinatio non ponitur, quia non datur: quia in statu moriuntur, cum humidum radicale iam consumptum sit, & hæc appellantur tempora, non species, sed quia de nominibus non est habenda ratio, siue species, siue tempora appellare velitis nihil refert, quia in curatione non multum differunt, & hæc sint dicta pro omnibus differentiis hecticarum simplicium, & earum, quæ à putredine pendét. Sed quoniam ægrum curare nõ possumus. nisi ægritudinem prius cognoscamus, quædam

dam de signis dicemus consequentibus hecticas,& primò de vniuersalibus,& communibus indicantibus hecticam,cuiuscunque fuerit generis,vt rectè curari possint,secundo vt curentur.hæc faciemus in his tribus diebus,& circa signa in primis per methodum & ordinem procedemus,quoniam ordo est causa memoriæ.

Debetis,meminisse quemadmodum diximus in methodo nostra vniuersali,signa omnia vti à fontibus,incipere ab operationibus læsis,& declarauimus quomodo signa omnium morborum ab operationibus læsis sumuntur.secundum postea quod oritur ab ipsis operationibus læsis sunt excrementa,quæ per aluum, vrinam & cætera huiusmodi expelluntur,& ex quorum notione,cognoscitur dispositio ipsa.tertius postea fons ab accidentibus apparentibus sumitur,à calore,colore, habitu corporis,tactu,& reliquis omnibus,de quibus superius diximus,ita quod primus fons est operatio læsa,secundus excrementa,tertius accidentia, quæ succedunt ad operationes læsas. operationum autem,vt alias diximus,sunt tria genera,quæ quidem si omnes læduntur simul,nulla dispositio tam arcana,tam occulta esset,quæ non innotesceret ab operationibus læsis.exemplũ de animalibus,nónne vi

ne videtis vbicunq; læditur operatio, quæ emanat à cerebro, siue sit in cerebro, siue ab ipso dependeat, semper dicetis nocumentũ esse, vel in cerebro, vel in connexis, & agnatis ipsi cerebro, si in motu erit læsa operatio, statim dicetis, vel læsionem esse in cerebro, vel in neruis, qui ab ipso procedunt, si circa vitales operationes, similiter mutatio apparet in pulsu, & ita statim vitium cognoscitis in huiusmodi locis esse: si fuerit læsio in virtute attrahente, vel concoquente, statim vitium esse in hepate, vel in agnatis suis, vel in ventriculo dicitis, ita quòd quæcunq; ægritudo sit in toto corpore ad eius cognitionem peruenietis per actiones læsas. Affectionem, & locum affectum in cognoscendo affectiones, cognoscetis ex modo læsionis, locum affectũ ex læsa actione. itaq; vbi erit operatio ablata, vel diminuta, ibi erit frigiditas, & debilitas caloris, & spirituum, vbi corrumpatur & fiat aliter, quàm debeat, ibi erit alteratio caloris, & spirituum. igitur facillimum erit videre ab operationibus læsis quæcunq; interius latent. nõ ab re igitur diximus operationes læsas principaliter esse attendendas, à quibus tanquam à fonte oriuntur signa indicantia affectus, existentes in corpore. His prænotatis accedamus ad cognit

gnitionem singularum febrium hecticarū.

Ante omnia debetis attendere operationes læsas,& quo ad animales in hectica parum cōsiderandæ sunt,quoniam nullus hecticus quando hecticus,patitur in huiusmodi operationibus,tam intrinsecis,quàm extrinsecis. omnes bene imaginantur,bene discurrunt,bene meminerunt,præterea quo ad sensus exteriores,bene vident,& odorantur,imò acutiores aliquando fiunt,meritò siccitatis,habent defectum in motu,sed hoc est commune omnibus febribus,ita quòd quantum attinet ad animales operationes,& virtutes,non refert,vt consideremus eas,quia non impediuntur,& ideo est,quia cum non pendeant à materia febres istæ, & sint in intemperatura sine affluxu materiæ,non ascendunt vapores ad cerebrum. præterea in hectica non potest fieri tanta calefactio,& exsiccatio in cerebro,vt operationes lædantur,imò magis acuuntur,& dicebat Galenus intentione Democriti, in libro,Quod animi mores sequuntur corporis temperaturam, splendor, & spiritus (inquit Democritus) sicci, anima sapientissima. Vbicunque enim cerebra (vti ita dixerim) sunt sicca, habent hi ingenium, & sapientissimi, & excellentissimi sunt, ideo vulgari lingua dici solet,testa secca,

quia ficcitas non tollit discursus,imò acuit, ideo qui habent intemperiem calidam,& ficcam non sunt praui discursus,& hæc ratio est cur in hectica febre non lædantur operationes animales. Quantum ad vitales qui patiuntur hecticam fiunt iracundiores,quàm antea essent, desperant,& timidi fiunt,sed signa hæc non sunt hecticæ propria,sed vnicuiq; ægritudini,maximè cum sit cordis passio.inflammātur spiritus,ideo iracundiores fiunt, timidi verò,quia aduruntur,& crassior redditur se ipso calor,inter signa quæ à vitalibus operationibus læsis sumuntur,quæ propria sunt ab ea operatione sumuntur,quę in arteriis est,primum autem quod sumitur proprium,& inseparabile est pulsus imbecillitas,cū enim premitis arteriā statim cedit,& ideo est quoniam substantia cordis non potest esse in calefacto esse cum fortitudine virtutis.Nūc cùm substantia cordis in qua fundatur calor,& spiritus,& vita ipsa,cùm inquam sit affectio,& ægritudo facta in ipso,quomodo potest esse fortitudo virtutis? spiritus fiunt frigidiores,& nisi spiritus fierent frigidiores omnis febris hectica necessariò esset ephemera. ratio autem cur frigidiores fiant est, quia vbi calor in corde est,præter naturam omnia cruda redundant cir-

ca cor,

ea cor,& redundat crudis humoribus,vt inquit Galenus tertio de prognost.ex pul.& in contentis cordis maxima est frigiditas, quoniam calor non est vt oportet,omnia cruda sunt,multiplicatur pituita in hecticis ,& quanto magis vlterius procedunt, tanto magis pituitosi sunt, quia calor est diminutus.oportet ergo ad hoc,vt sit hectica,vt imbecillitas virtutis adsit,cognoscitur autem huiusmodi imbecillitas ex pulsu,vbi non apparet vehementia ad motum,& resistentia, quando premitur,licet adsit velocitas nisi contrapellat,non dicitur vehemens,& quia semper habent pulsum durum ad tactum,arteria percipitur dura, aliqui possent credere,quod resistat,& ita multum vehemens esset.discernitur autem vehementia à duritie ex parte motus:in vehementia enim contrapellitur tactus comprimens,durities verò non est cum motu, nec cum resistentia,est autem durus quoniam à corde est caliditas,& siccitas,& cor redditum est calidius,& siccius se ipso,& propterea sua agnata attestantur suo principio, ideo non est mirum si arteriæ sunt duræ, & ita apparet durities in ea parte, præterea pulsus est paruus,& ratio est quia pulsus mutatur propter tria, propter virtutem mouentem, propter necessitatem,

& propter instrumenta.mutatus igitur est in paruitate primo, quia virtus est debilis, ideo non potest mouere ad magnam distantiam, tum etiam quia instrumentum non est multum obediens, ideo non tam facile dilatatur, sicut si medium esset inter mollitem & duritiem, & quia necessitas aucta est, vsus pulsus est ad euentationem, quanto magis augetur necessitas, tanto etiam magis deberet dilatari, & fieri magnus, quia aucta est necessitas, & cum virtus non possit mouere ad tantam distantiã præ imbecillitate, quantum sibi expediret, supplet cum aliis differentiis, primò cum velocitate, sed quia in hectica supponimus virtutem esse debilem pulsum non potest multum velocem reddere, quoniam velocitas requirit fortitudinem: non dixerim tamen aliquando non esse velocem, non tamen notabilem esse, quia non habet eam fortitudinem, sed supplet cum frequentia, quæ attenditur penes duas quietes, quę sunt in diastole, & systole. Pulsus igitur hecticarum febrium primò debilis est, deinde paruus, quia non potest dilatari, & quia aucta est necessitas, oportet vt sit velox, quantum esse potest, & cum non possit supplere cum velocitate, frequens necessariò est, intése tamé, velox verò remisse, præter reliquas diferen

ferentias vacuus eſt, intelligo pulſum vacuum cum tangendo percipimus arteriam vacuam ſanguine, quia ſpiritus ſunt exhauſti, & ſanguis, quia ſubtilior eſt, & propterea priuatur, ideo vacua videtur arteria conſequenter ſubtilis eſt veluti filum.

Habitis ſignis quæ ſumuntur ex operationibus naturalibus læſis iam accedamus ad virtutes naturales. læduntur operationes naturales neceſſariò in hecticis, quoniam operationes naturales fiunt ſecũdum naturam à calore naturali temperato, quæ exiuit à corde. cum autẽ calor in corde ſit præter naturam, & iam poſitũ in calefacto eſſe, ideo operationes naturales fiunt debiliores, quia calor naturalis eſt debilior. quod autẽ operationes naturales fiãt à calore naturali temperamento plurimo, non igneo, indicio ſunt pueri, qui optimè concoquũt, quia plurimũ habent caloris non ignei, ſed cum humiditate iuncti, & ideo non bene concoquũt hectici, non aluntur, non bene cõtinẽt, illi maximè qui vitio ſtomachi, in hecticã inciderunt, præterea parum appetunt cibũ, nam fames eſt appetitus, & calidi, & ſicci, iſti autem ſunt huiuſmodi, ideo non appetunt id, quod redundat in illis, ſed appetunt potũ, qui eſt appetitio frigidi, & humidi, quo priuati ſunt, ideo plurimum potare deſiderant

rant, & ita habetis signa quantum attinet ad omnes operationes indicantia hecticam. Quantum verò ad ea, quæ sequuntur operationes læsas, quæ sunt excrementa ipsa, bonus & diligens medicus, cum accedit ad ægrum, percunctari debet de excrementis, per aluum, per vrinam, si etiam per spiritum excernit, omnia sunt videnda, quia hęc omnia immediatè sequuntur ab operationibus læsis, & omnia conspirant sicut chorusquidam harmonicus ad cognitionem, & primò in hecticis excrementa per aluum erunt varia, & diuersissima, quandoque feces duræ sunt, ac si essent pilulæ caprarum, & non possunt eas egerere, & cum multa pituita circunfusa. aliquando fluit aluus, & aliquid egerunt, cum videbitis excrementa ita liquida, corpora illa erunt facta hectica ratione stomachi, quia non continet, nec concoquit vt oportet, ideo excrementa sunt copiosa, & liquida sunt, quia nec hepar attrahit quod incoctum est, & si attrahit venæ mesaraicæ obstruuntur ab humoribus crassis, & ita liquidæ permanent. si verò erit vitio inflammationis hepatis, vel intestini gracilis, vel renum fiet hectica, aridissima sunt excrementa alui, quia si hepar attrahit alimentum ad se, quicquid in eo humidi est attrahit, si etiam renes patiantur attrahunt quicq

quicquid humidi est in chilo: si ieiunum intestinum inflammatur tunc nihil egeritur, & si quid egeritur per os eiicitur, & propterea vbi sunt ariditates tales, Membra hæc ponuntur in calefacto esse. vbi fuerint liquidæ, erit vitio stomachi, vrinæ etiam prout erit varia species hecticæ, variæ erunt si ventriculus affectus est, & ibi incipiat vitium, multiplicantur cruditates in ipso, & ideo vrinæ fiunt albæ, quia non fit in ventriculo prima coctio recta, aliæ etiam coctiones non emendant primam: quæ si valde deficiunt, paucæ fiunt, quoniam tales plurimum egerunt, ratione imbecillitatis ventriculi, & humidum quod deberet descendere per vrinas, per secessum eiicitur. si vitium ab hepate, vel renibus incipiat, plurimæ sunt, & crassæ, & rubeæ, & si in hepate cum sedimento orobaceo, ac si farina esset in fundo. vbi igitur videbitis vrinam cum rubedine, & cum farina tonsa in fundo, hepar tunc læditur, quia vitium est in sanguificatione quæ non fit, vt oportet, sed cum feculentia crassa, quia ibi est caliditas ignita faciens coctiones alteratas, & corruptas, ideo loco fecis sanguinis pituita apparet tonsa, si renes sunt positi in calefacto esse, præter hoc quod vrina rubea est & sanguinolenta, apparet in eius superficie quid

veluti oleum supernatare, quare nonnulli medici statim inquiunt, iste hecticus est, cum tamen signum hoc appareat tantum vbi in renibus sit vitium,& positi sint in calefacto esse,& colliquentur, sed non propterea est hecticus,& causa huiusmodi est, quia circa renes est plurima pinguedo obuoluta tam, in hominibus quàm in iumentis, quæ cum colliquatur & pertransit ad vias vrinæ fit vrina oleaginea, & ista sunt signa distincta hecticarum per indicia sumpta ab excrementis distinguētia inquam species hecticarū. Quando verò hectici sunt à principio, vt in principio augmēti, nec quicquam annexū habent, nec hectica à putredine pendet, sed simplex, nihil in principio expuunt, & si expuunt, vel annexam habent destillationem, vel tabem,& tunc, vel cum ptisi, vel cum suppuratione coniuncta est, vrina etiā non apparet mala, quia corpus arefactum est,& quia virtus non est ita debilis, vt non possit paucum alimentum continere, ideo non descendit: ista igitur sunt signa sumpta ab excrementis.

Ab accidentibus verò, qui tertius fons est, sumuntur signa, quæ per totam prædicamentorum seriem accipienda sunt,& circa qualitatis genus primum signum sumitur ab habitu, & dispositione, & iam appa-

ret

ret quod omnis febr. hectica in habitu est, non in habitudine, & habet hoc proprium cum sit in habitu, æqualis est, & nullam habet inuasionem, quod non habent ephemeræ, quæ habent principium paroxysmi, & declinationem, & terminantur cum leui sudore, hectica autem semper procedit eodem modo, bene procedit augendo, quia semper magis, ac magis accipitur calor, sed non habet excrescentias paroxysmorum, & dicit Galenus non habere auctionem, vel compressam, vel incompressam. hic vnum dubium à Galeno tactum est remouendum. Quomodo verum est inquit ipse quod hectica non habet motationem incompressam: quia statim à cibo inualescit & calor augetur; illa autem dicitur incompressa motatio, quando calor repente augetur, igitur ista auctio similis est motationi incompressæ. Respondit Galenus hoc non est ratione febris, sed per accidens, ideo non debet dici signum proprium febris, quæ semper eodem modo se habet: sed accidit ratione cibi, cuius signum est, quia si hora tertia dabis cibum, videbis motationem illam: si etiam mutabis horam, & exhibeas cibum, adhuc fiet caloris illius auctio, ideo signum fit nō ratione febris, sed cibi, rationem autē asignat Galenus, & inquit, quia

corpus

corpus hecticum calefactum, & exiccatum est, & positum in calefacto esse, non contingit autem hoc calefactum esse in aliis febribus, ideo vbi accedit humor cibi, aut potus, humor ille se habet vti contrarius illis membris arefactis, & igneis, contingit eis sicut cum quis ponit aquam super calcis glebam, licet calx illa non habeat caliditatem, quæ non possit tolerari, ex opposita aqua adeo incalescit, vt si vultis eam tangere adurit. idem contingit in ventriculo, & corporibus nostris, vt sensu comprobari potest: sed quæ nam sit huiusmodi rei caussa, subiungit Galenus, studiosi philosophiæ inquirere debent, summa vsus modestia: sed non potuit ita modestè loqui quin aliquis insurgeret. Auerrois enim non solùm carpit ipsum, imò inquit rationem Galeni esse similem cantilenæ anili, ideo aliud imaginatur, quod sibi valde rationabile videtur, & fundatur in principiis philosophiæ, & inquit, non calescit corpus, quia ei cōtrarium adueniat, quia inter humorem, & corpus non potest esse tanta contrarietas vt fiat, quod in calce fit, sed vbicunque alimentum corpori arefacto accedit, alimentum id membris accedens facit sicut alimentum flammæ cum propius appropinquat, augetur flamma & calor ille, & flamma red-

ditur viuacior seipsa, & ita accenditur flam ma, & maior fit. ista est ratio ò Galene non ea quam tu assignas, de liquore subito occurrente tanquam calci infestæ. Domini non negauerim Auerroem fuisse virum solertissimum: sed iudicio meo non attingit veritatem: sed temere atque impudenter contra Galenum inuehitur, qui doctè, & ex principiis philosophicis est locutus.

Et tripliciter peccat, primò cum carpit ipsum de re, quam non dixit, non enim assignauit causam cur fit quod augeatur calor post cibum, sed dicit contingere in hecticis sumpto cibo, quod in calce insperfa liquore, hoc dicere est afferre similitudinem, non rationem, postea ait, quod autem hæc duo fiant manifestum est, cur autem fiat, ad studiosos philosophiæ attinet dicere. videmus nos cum calx inspergitur rore inflammari, & sumpto cibo inflammari patientem hecticam, cur autem contingat non solùm non dicit, sed etiam se excusat: nescio igitur cur carpserit eum. Secundò peccat, quoniam & si dixisset illud, locutus esset secundum principia physica, & non esset cantilena. Sed videamus an hoc sit verum, dico quod ab eadem processisset causa inflammatio in hictica post cibum, & calcis ab inspersione humidi, & quod etiam ita sit

noteris

noteris. debetis scire calorem innatum in corpore humano esse temperatuum,& substantia eius, quæ à cibo alitur, secundum proportionem cibi augetur, & minuitur, vt reliquæ corporis partes, & tam diu est naturalis, quamdiu est in temperatura, vbi exacerbatur, vt suprà, & vertitur ad igneum, fiunt tunc febres, cum accenditur in corde, ideo bene dixit Galenus febrem esse calorem innatum versum ad igneum, dico innatum influentem,qui auctus est,& ideo habet ex vna parte naturam ignis, ex altera habet naturam caloris naturalis, non enim vere igneus est, nec vere naturalis:sed medio modo se habet, quia si esset igneus ex toto destrueret animal, neq; est bene secundum naturam,quia si esset, bene faceret operationes naturales. habet ergo aliquid præter naturam,& aliquid secundum naturam,& secundum quod habet hęc duo accidentia,& propria habet quæ consequuntur formas singulorum: cum igitur calor ille igneus ita versus fit ad igneum vt terminetur ad spiritus, fit ephemera: ad humores, putrida: cum ad solida membra, hectica. & calor complexionalis membrorum qui in potentia est, (& veluti materia ad hunc calorem, qui est actus & habet rationem formæ) ponitur in calefacto esse, fit forma

ma quædam ignis, secundum aliquam partem in membris, & cum hi duo calores coniungantur fit in membris calor igneus insigniter. quod si diutius perseuerat vertit corpus ad cinerem, & facit ipsum tabescere, & fit hoc quia calor influens, & calor complexionalis versi sunt ad igneum. cum igitur ita se habeat calor complexionalis talis, & influens, vt in membris ad igneum versi sint, sicuti igneam habent naturam, habent etiam accidentia sequentia igneam substantiam, & alia calorem naturalem. stantibus his fundamentis, videmus expresse cum rei solidæ inflammatæ inspergatur humidum (quod non possit calorem suffocare in solido) excitatur magis, & statim inflammatur, non quia nutriatur, sed quia accenditur, & intensior fit seipso, & caliditas fit maior se ipsa: quia fugiens contrarium acuitur, sicut ignis lignis appositis principio quidem extingui videtur postea augetur, sed primò qualitas augetur, & hoc indicant fabri ferrarij, dum volunt magis accendere ferrum ignitum, inspergunt modica aqua, vt concentretur calor, & fiat fortior se ipso, ita etiam fit in calce, cum in ea sint partes igneæ in potentia, si inspergitur aqua, quæ non possit suffocare, concentratur, & po-

stea

ſtea inflammatur, quia vapores calidi: vbi concentrantur fiunt ignis, vt in nubibus, contingit, quia ex colliſione gignitur ignis, & fulgur. quod igitur in extrinſecis fit, idem etiam contingit dum calor igneus exiſtens in ſolidis membris inſpergitur aliquo humore. Quid igitur mirum ſi patiens hecticam febrem, qui habet calorem complexionalem membrorum in calefacto eſſe, qui ſecundum omnes partes verſus eſt ad igneum, & prӕterea calorem innatum influentem, qui dat formam calori complexionali habet ad igneum verſum, vnitique hi duo calores inflammationem faciunt, & illa membra reddita ſunt ignea, vt ferrum candens. Quid mirum inquam ſi cibo aſſumpto in principio fiat id, quod in calce, cum humido liquore inſpergitur fieri videmus? ideo non fuit cantilena, ſicut tam temere atque impudenter Auerroes auſus eſt dicere contra tam celebratiſsimum virum. Peccat tertiò, quia dum vult aſsignare cauſam, ea nec medico nec phyſico digna eſt, quia inquit, non eſt tanta diſsimilitudo inter nutritiuam virtutem, & alimentum, ſicut inter aquam, & calcem, quod nō ſomniauit Galenus. non enim comparat Galenus alimentum virtuti nutritiuӕ, ſed membra ignita cum rore. ratio autem quam aſſignauit

signauit, quod non sit ad propositũ, nec physico digna ostendo. dicit ipse, ideo calefiunt hectici, quia assumpto cibo augetur calor, sicut flamma cum apponitur oleum. Sed ò Auerr. ex alimento augetur qualitas caloris? frustra curarentur hectici, cum frigidis, & humidis nutrimẽtis, nisi crederemus cum cibo nostro calorem reddere remissiorem, alimenta igitur frigida non solùm non augent calorem, imò remittunt, augetur autem substantia caloris, vbi adhibentur nutrimenta frigida humano corpori, quia multiplicatur sanguis, ex consequenti calor naturalis, vt optimè ostendit Galenus eo aphorismo, qui crescunt habent plurimum caloris innati: vbi ostendit ipsum naturalem calorem aliquando secundum substantiam, aliquando secundum qualitatem augeri. at alimentum non auget intensionem caloris, sed substantiam, nisi alimentum haberet aliquam qualitatẽ calidam, sicut piper. cum igitur cibaria frigida, & humida exhibeamus, tantum abest, vt augeamus calorem, vt remittamus qualitatem, licet substantiam augeamus, cum autem in hecticis febribus post cibum nõ augeatur substantia caloris, sed qualitas, alimentum autem frigidum substantiam non qualitatẽ augeat, quare Auerrois id dixit,

A. & Gali

& Galenum carpsit? Nulla alia fuit causa, nisi quia erat obtenebratus odio contra Galenum. Ista igitur dicta sint de Auerrois, & Galeni opinione, cuius sententia mea opinione vera est. His igitur visis satis sit dictum de signis indicantibus febrem hecticam, quæ ab habitibus sumuntur, & à febr. in corpore permanente sine intensione aliqua, quantum verò ad signa assumpta à reliquis speciebus qualitatis, & primò à passionibus circa calorem videbitis perpetuò tendere ad liuiditatem, & plumbeitatem, & hoc signum non est proprium aliarum febrium, imò habent rubedinem, & ratio est, quoniam in hecticis spiritus sunt pauci, & calor naturalis paucus, ideo coctiones non fiunt vt oportet, ex calore autem innato, & spiritibus fit luciditas, & rubedo, luciditas quidem à spiritibus, rubedo verò à sanguine, cum ergo hectici priuati sint sanguine, non habent colorem, sed pallidi sunt, & quoniam non habent spiritus, necessariò colorem plumbeum habent. Quantum ad qualitates tangibiles, omissis reliquis, quæ ad nos non attinent, primò calor tactu perceptus considerari debet, tum quo ad ipsum patientem, tum quo ad tangentem, si consideratis intensionem caloris, quo ad patientem,

tem, nullam prorsus percipiunt caliditatem, ideo dicunt se non ægrotare. bene percipiunt corporis imbecillitatem, & hoc est maximum signum inter reliqua, ratio autem quare non percipiatur calor, à Galeno in die inæquali intemperie, & in secundo de locis effectis asignatur, dolor inquit Galenus, in virtute sensitiua fit, & in motu consistit, & in alteratione, non in alterato esse. Vbi enim facta est impressio, non est dolor, sed dum fit, tunc demum percipitur dolor, ab aliqua intemperie subito occurrente; de ratione autem febris hecticæ, vt vidistis, in habitu est, & ægritudo facta, & non fiens, ideo non percipitur caliditas quantum ad patiẽtem attinet, quantum verò ad medicum tangentem percipitur caliditas existens secundum omnes partes, si tangitis præcordia, manus, pedes, æqualis est calor in omnibus partibus, & si est aliqua differentia caloris, in extremis partibus maior est, cuius contrarium in omnibus aliis febribus euenit, in quibus caliditas maxima circa præcordia potius, quàm circa extrema, & ratio est, quoniam cum sit æqualiter facta impressio, & partes omnes positæ in calefacto esse, quæ magis priuatæ sunt carne, sicut nerui, ossa, magis exposita sunt tactui, non

occupantur à carne intermedia, ideo facilius percipitur, vnde videmus quod qui temperaturam habent gracilem, & qui macilenti, & aridi sunt extrema habent calidiora: quia partes ille facilè inflammantur, contra pingues, & carnosi sunt frigidi propter humiditatem plurimam carnis, signa ergo à qualitate caloris talia sunt, quæ verò sumuntur à quantitate caloris alia sunt, quantitas caloris in tangendo non est acris, vt in reliquis febr. ideo si tangitur primo occursu non percipitur caliditas, sed cum diu premitis, percipitur, non est intensus, & ideo est, quia in hecticis febribus non est vapor, qui in pluribus est sparsus per corpus faciens caliditatem acrem, & intensam, & mordacem. alia ratio est quia spiritus, & calor innatus, qui solent diffundi per totum corpus, dum sunt inflammati, & positi in calefacto esse, vt in ephemeris accidit, calidius reddunt corpus, ideo percipitur caliditas: at in hecticis febribus spiritus non sunt in calefacto esse, & pauci sunt: præterea calor igneus in profundo est, ideo non percipitur caliditas. Vltima ratio est, cum calor febrilis fit in calore innato influente tanquam in subiecto: quia calor influens paucus est non percipitur tanta caliditas, ideo Moderni

rectè

rectè dixerunt febrem radicari in fonte caloris innati, & secundum eius proportionem est febris, ideo inquiunt, caueatis cum calor innatus remissus est in febribus acutis, ne decipiat vos, moriuntur enim tunc, quoniam calor innatus in quo consistit virtus remissus est. his verbis aperitur nobis quantum sit veritati, & rationi consona opinio mea, quoniam proximū subiectum febris est calor innatus influens, & hoc est illud cur non percipitur tanta caliditas in febribus hecticis, quia videlicet nō est tantus calor innatus in illis, sicut in aliis febribus. Quantum verò ad locum caloris manifestum est, quod ab eo sumitur indicium, si tangitis arteriam, percipietis eam calidiorem, quàm reliqua loca, & differt calor arteriæ à reliquis, & ratio est, quia cum substantia cordis posita sit in calefacto esse, & arteriæ à corde proueniant, secundum proportionem caloris cordis apparet in eis. præterea calor innatus positus est in calefacto esse, & maximè igneus est in his febribus cuius signum est, quoniam impresionem fecit in membris solidis, quod non fit in aliis febribus, & hæc est ratio quare maior caliditas percipiatur in arteriis. & ita habebitis omnia indicia, quę possunt demōstrare febrem hecticam in com-

muni, loquẽdo de hectica simplici. si igitur bene discurritis p omnia hęc loca, vobis nõ deerit copia signorũ. Ista modo signa omnia sicuti in principio apparẽt leuia, ita circa finẽ principij maiora, in principio augmẽti adhuc maiora, in medio, & in fine augmenti maiora, pro vt magis ac magis imprimitur, in humano corpore, ideo non malè dixit Auicenna, quod hectica in principio, nõ bene cognoscitur, in augmento verò cognoscitur, quia in principio omnia ista minora sunt. Galenus autem dixit facillimã esse cognitu, bene in medio facilè cognoscitur, & in fine, sed in principio nõ faciliter, quoniam, quis est qui non cognoscat, & ex eo maximè signo, quòd post cibum maiorem percipit feruorem, si à stomacho prouenit subitò fit feruor ille, si ab alio loco tardius.

His stantibus, ad signa propria deueniamus illius tertiæ speciei, quæ tabes dicitur, & marasmus, signa huius febris hecticæ quam isti tertiam speciem appellant, Galenus verò statum, quoniam secũdum Galeni sententiam diuisimus hecticam, in principium, augmentũ, & statum, quoniam igitur iam deuenit ad statum, habet sua signa manifesta, quæ sciri debent, non vt curẽtur, sed ne medicus incidat in calumniam, & prouideat, & vt sciat eligere oues bonas à malis,

lis, id est, qui possunt curari curētur, qui nō possunt abiiciantur, & si curantur, id cum protestatione fiat, & ita vacabitis culpa, signa autem habebuntur ab iisdē fontibus, pro vt docuimus in aliis, ab operationibus læsis, & quantum ad animales parū faciunt in hectica, vt aliàs ostendimus, & rationem reddidimus, ideo sæpissimè, vidi hecticos mori, qui vsque ad vltimum spiritum habebant optimos discursus, bene audiunt, vident, exquisitè odorantur, & in omnibus sensibus tam interioribus, quàm exterioribus, optimè se habent, & huius rei assignauimus rationē, verùm circa actionem animalē motiuam sunt valde impediti, & hoc proprium habent in virtute motiua, quod palpebras oculorum ratione imbecillitatis, non possunt aperire, vt videantur procliues ad somnum, quę tamen potius impotentia vigilādi est, vt optimè, inquit Galelenus in primò de differentiis febrium, circa verò reliquas actiones animales nullum habebitis indicium indicans tertiam speciē. Circa vitalem verò manifesta habebitis indicia, primò desperant, plorant, lacrymantur propriam mortem, & tunc incipiunt angustiæ multæ, non quia cognoscant mortē, sed quia animi mores sequuntur corporis temperaturam, ex adustione

humorum,& paucitate spirituum fit timiditas, & licet timeant cum causa, ex sola etiam adustione humorum solent timere, vt sunt melancholici, præterea sunt iracundi propter adustionem humorum, semper imaginantur deteriora, & semper timent, & cogitant deteriora, & quicquid eis fiat, hac de causa fiat vt moriantur, & hæc de signis ab operationibus vitalibus, quæ in corde sunt, prouenientibus. Quantum verò ad operationes, quæ à corde dependent, vt est pulsatio & arteriarum motus, habent easdem pulsuum differentias, quemadmodum & aliæ species, nisi quòd magis intenduntur in hac specie, & ideo imbecilli sunt, & durissimi, quia arefactio maxima est in corpore, minimi sunt, tum propter duritiem arteriarum, tum propter virtutis imbecillitatē, & quia aucta est necessitas, deberent esse maiores, & veloces, sed non possunt prę imbecillitate & inobediētia instrumentorum, & ideo in vltimo tendunt ad tarditatem, sed loco velocitatis habent frequētiam maximam, & tandem vermiculares fiūt, vt vix discerni quies à motu possit, præterea vacui sunt, quia corpus exinanitum est, tenuissimi etiam & omnes tandem habent differentias in summo, & hoc quantum ad signa quæ sumuntur ab operationi-

bus

bus vitalibus. Quantum ad operationes na turales, quando deueniunt ad ſtatum, hoc habent præcipuum ſignum, diximus he-cticos non appetere cibum, ſed potum, in hac ſpecie conſtituti non ſolùm non appetunt cibum, ſed nec etiam potum, & ſicut in principio, & circa augmentum maximè ſitiebant, ita nunc minimè ſitiunt, & ratio eſt, quia fames, & ſitis ſunt appetitus ſen ſibiles, & ſi debet fieri ſitis, neceſſe eſt vt fiat irritatio, & quia ſenſus fit in temperatura primarum qualitatum, & cum ſit in ventriculo maxima durities, & ſiccitas non percipit famem, nec ſitim, & Galenus in ſecundo prognoſt. dixit, in maximis ægritudinibus vbi ſunt febres inflammantes, & acutæ, amittitur appetitus cibi, & potus, quia ſenſns aboletur præ ſiccitate, & duritie maxima. ideo veluti cadauer ſunt, ideo non concoquunt, non attrahunt, niſi violen ter, nec deglutiunt, non continent, ideo ſem per magna ariditas, & tabeſcentia continuè fit, & quia nō cōcoquunt in prima, nec in ſecunda, neque in tertia, etiam coctione, & præterquàm quod ſint exarefacta membra, habent hoc, quod non nutriuntur, ex conſequenti pili cadunt ex toto corpore, quia non habent alimentum, & ſi quid habent aduſtū eſt, ideo ſunt tales ſicut reliquæ

partes, quia nituntur rei siccæ, vt lignum, ideo cadunt, abundant præterea pediculis in toto corpore, quia alimentum vitiatum est, membra non recipiunt illud, cum inutile sit, ideo putrescit, & ex ea putredine pediculi multiplicantur. Quantum ad indicia quæ ab excrementis sumūtur, qui est secundus fous, isti ferè semper habent fluorem aliquem, & ratio est quia non bene continent, non bene cōcoquunt, non distribuitur alimentum, non attrahitur ab hepate, ideo emittitur chilus in concoctione, præterea feces sunt sine odore, sine calore, à natura prorsus destitutæ propter priuationē caloris innati, qui non concoquit, sed facit putredinem, vnde videtis quandoq; feces illas cū maximò fetore, quia putrefactæ exeunt, quantū ad excrementa per vrinam, in febribus istis quæ exeunt per vrinas, varia sunt, aliquando subtiles, & albæ sunt vrinæ, & paucæ, aliquando crassæ, & feculentæ, cum multa hypostasi simili farinæ contusæ, & ratio varietatis est, quando subtiles, & paucæ sunt, hoc est quando nihil excernitur, irritata postea natura, sine ordine tunc, & confertim, quia materia excitatur ex pulmone ob multitudinem, & acrimoniam, & tandem vno impetu eiicitur, sunt præterea considerandi sudores, isti enim habent in

omnib

omnibus noctibus sudores copiosissimos, & mane lugent, quod sudant, sudores isti diaphoretici sunt ab impotentia continendi, quia cum non possit alimentum concoqui à natura derelictum, exit per sudorem, ideo dicebat Hipp. qui noctu sudāt, vel indiget eorum corpus euacuatione, vel sumpsit nimiam cibi copiam, in hecticis istis est secunda causa, quia & si parum sit quod sumunt, multum est respectu virtutis, & quia semper ferè destillatio currit ad pectus, raro euenit quin phtisici fiant, cum deueniunt ad pulmonis vlcera, quia redundant plurimis excrementis, & quia per adustionem fiunt acria, & tenuia, facilè excoriāt, & cum deueniunt ad pulmonem iniuriæ expositum, facilè patitur, & phthisici moriuntur. Quantum ad reliqua accidentia, de habitu, de qualitatibus, de calore, de quantitate, de loco, de colore, eadem prorsus ratio est, quam diximus in omnibus, nisi quod intensiora sunt, sed quo ad alias differentias circa qualitatem, signa, quæ sumuntur à naturali potentia, vel impotentia, in istis adeo dura est cutis, vt videatur corium exustum, & præter hoc aspera est, & cum puluere videtur, & si trahitur cutis, remanet erecta propter siccitatem maximam, & propter maximam arefactionem adeo du-

ra est, causæ sunt quia priuatur humido, spiritu,& sanguine vt iam effecta sit veluti corium. quo ad figuram habent oculos cõcauos, tempora plana, nares acutas, aures inuersas,& tota tragœdia Hippocratica hic cõspicitur, ossa omnia,& spatularum,& reliquarum partium ita apparent, vt videantur nihil aliud esse, nisi ossa cuti superposita. habent præterea vngues curuos, crispos, erectos, quia nõ habent cui adhæreant, cum caro arefacta sit cui adhærebant, ideo curuantur, tum etiam quia non possunt dilatari per latus,& arefacti admodum sunt, inde crispi & erecti permanent,& hęc sunt loca à quibus debetis sumere indicia febrium hecticarum simplicium.

Deest modo vnum quod in præsentia est explicandum, id enim maxime refert ad curationem hecticarum febrium. dicebamus in summa diuisione generis febrium hecticarum, quòd quædam erant species indiuiduæ, quæ sumebantur à membris, in quibus incipit calefactio & exsiccatio,& appellantur nomine illius membri, in quo primariè contingit intemperies, ita quod apud Galenum,& recentiores appellatur hectica stomachi, vteri, renum, hepatis. ratio autem, vel propter inflammationem, vel ob intemperiem, sine inflammatione facta ita incal

incalescit membrum, vt per cōsensum substantia cordis ponatur in calefacto esse, & tunc demum fit hectica, sed quod plerunq; contingit est exsiccatio, & inflammatio ventriculi & hepatis, multum autem refert vt sciatis à quo membro incipiat, quantum ad curationem, quoniam poteritis occurrere cum ad statum, vel ad finem augmenti iam deuenerit, & tunc curatio vana erit, ideo si inuenietis membrum, vnde dependet hectica febris, facillimè curabitis, sin minus, non occurretis causæ primariæ, & frustra fiet curatio, deerant signa quæ indicarent species illas indiuiduas, quoniam heri satis superque de signis indicantibus, tres illas species, vel gradus diximus.

De signis his iam in præsentia dicemus, circa quæ facillimum est discurrere, quoniam si interrogabitis ægrum, scietis ab eo intemperiem notabilem, aut inflammationem præcessisse, quæ fecit hecticam, quia si fuit adeo excalefactum membrum, quòd duxit cor ad calefactum esse, alteratio ista non fuit leuis, ideo facile discernetur, & statim scietis, vel in ventriculo, vel in hepate, aut renibus, vel vtero, aut colo, vel ieiuno intestino, vel in diaphragmate habuisse prius aliquam inflammationem, aut alterationem magnam, quæ si in ventriculo

præces

præcefsit, æger fenfit ipfam, præterea ad tactum percipietis duritiem, & attenuationem præcipuam, præterea quo ad operationes, videbitis, fi ventriculus fuerit principaliter læfus, omnes eius operationes læfas, fi ab hepate, ab eius operationibus, ab excrementis, & ab accidentibus fequentibus malas hepatis difpofitiones, fcietis in hepate malam effe difpofitionem, & ita difcurretis quo ad reliqua membra, quantum verò ad diaphragma fi contingat vt exiccetur adeo, vt fiat hectica, facilè cognofcetis, quia fi fuerit exficcatum diaphragma incidet æger in omnes fpecies difficultatis anhelitus, & vix fpirare poterit, fed hoc rariffimè contingit, quia vbi deficcatur diaphragma ratione nobilitatis membri, fæua cõtingunt accidentia, & mors præuenit antequàm tabefcat corpus, & cor ponatur in calefacto effe, & Galenus afferit tantùm vnum fe vidiffe, qui nõ deuenit nifi ad principium primi gradus, & in illo eft mortuus. His præmifsis quantum attinet ad totum caput fignorum, reliquum eft, vt ad indicationes accedamus, quoniam quæcunque hactenus dicta funt, propter indicationes dicta funt, quia finis nofter eft fanitatem acquirere, vel conferuare, ad hanc igitur partem accedamus, & videamus quomodo

hecti

hecticæ febres simplices sint curandæ. Huiusmodi febres curantur per indicationes sumptas à natura morbi, sicut aliæ ægritudines, & primò quid agendum sit debemus inuenire, hoc quod dicimus quid, indicatur à substantia rei, quæ præcedit omnia accidentia: & ex qua illa suscipiunt naturam suam à substantia incipiendum est igitur. cum quærimus quid, naturam rei quærimus, & in accidentibus etiam (si liceat dicere) substantiã eorum quærimus, cũ quidditatem eorũ quærimus, primò igitur quęrendæ sunt à medico eorum quidditates, antequam reliquas limitationes quærat, quæ sunt quatuor, videlicet quãtum agere debeat, & vsq; ad quem gradũ, secũdo quomodo, tertio vbi applicare debeat remedia, quarto quando, quoniam cũ inuenerimus quid, reliquæ limitationes non erunt difficiles in his maximè feb. licet in aliquibus sint difficiles. Quid igitur agendũ sit in hecticis feb. à natura earum inuenitur. naturam ipsarum vidistis habere calorẽ innatum versum ad igneum, qui est terminatus quo ad formã suam in solidis membris, ita quod membra solida sunt posita in calefacto esse, est igitur feb. hectica intemperies calida, & sicca præter naturã, lædens operationes, quæ fundatur in cordis tẽperatura,

id est

id est in calore innato ipsius, deinde per reliqua membra diffunditur, & est ægritudo uniuersalis, sciuistis autem duplicem esse intemperaturam per essentiam, & per affluxum materiæ. hæc est vna ex illis, quæ sine affluxu est materiæ, sed essentialiter in mēbris fixa, non dependens à causa, nec à materia. cum igitur scitis talem esse naturam febrium hecticarum simplicium, & non habere symptomata remouenda, remanet intemperies mala, remota à causa efficiente, & à symptomate, quod trahat ad se curam, igitur si (vt totiens docuimus) nascuntur indicationes curandis pro distinctionibus morbi, vbi inuenimus simplicissimam esse non dependentem à causa, neq; habere annexum symptoma simplicissima etiā nascetur indicatio, sed quæ sit ea scitu facillimum est. sciuistis enim contraria contrariis curari, intemperies calida & sicca est: igitur cum frigidis & humidis est procedendum, ergo refrigerare, & humectare debetis, & vbicunq; in hecticis febribus humectabitis, & refrigerabitis, habebitis curationem acquisitam, & quid agendum.

Hactenus inuenimus quid agendum in hecticis febribus simplicibus. Debetis modo scire quod potestis hecticæ febri tripliciter occurrere, cū non accesserunt, sed propè sunt

pè ſunt.& accidit iamiam niſi occurratis,& iſto gradu debetis eſſe ſagaces,quia præſtantius eſt occurrere antequàm accedant, quàm quando iam adſunt,quia periculum eſt ne curentur, cum iam adſint.Secundus gradus eſt cum iam acceſſerunt,& curationem aggredimini,ſed cum ſunt in principio.Tertius gradus eſt occurrere cum iam confirmatæ ſunt, & in vltimo gradu ſunt conſtitutæ,in his tribus verſari debetis.Sed notate,quod quantum attinet ad quid agēdum,nunquam mutatur , ſed eodem modo ſemper proceditis ſiue nondum fuerit facta,ſed iam futura , & immineat tempus propè,vt accedat , ſiue inceperit,ſiue fuerit in vltimo gradu:ſcilicet cum refrigerantibus,& humectantibus procedatis,differentia autem erit in gradu refrigerationis,quia pro quantitate lapſus augeri debet quantitas refrigerandi,quoniam antequam incipiat,cum incipit,& cum eſt in vltimo gradu,non eſt idem caloris gradus , ideo non eſt idem modus operandi,quia inter cętera à virtute ſumitur,licet ſumuntur etiam à moribus,& mores mutantur pro ratione temperaturę,ſed an hoc ſit verum videamus.occurritis alicui corpori puta Socratis,vel Dionis,habenti maximam diſpoſitionem recipiendi impreſsionem caliditatis,&

B tis,&

tis,& ſiccitatis,quia ſi debet fieri actio in alterum,oportet inter reliqua vt agens,& paſſum ſint proportionata,& quanto paſſum eſt magis paratũ ad ſuſcipiẽdã actionẽ agentis,tanto facilius imprimitur actio,in habentibus enim ſymbolũ facilis eſt mutatio. His ita ſtantibus oportet vt ſagax medicus diligẽter proſpiciat,cũ quempiã viderit in febrem incidiſſe,quæ poſuerit calorẽ innatum in calefacto eſſe,an corpus habeat paratum ad ſuſcipiendã inflammationẽ in membris ſolidis,ſi viderit corpus paratiſsimum eſſe calidũ,& ſiccum,quia dicebat Galen.corpora iſta paratiſsima eſſe ad febres immateriales, humida verò ad materiales, vbicunq; ergo huiuſmodi eſſe dicetis,ſi in ephemeram cadit à cauſa calefaciente,& exiccante corpus,quia multum laborauerit,& ob id inciderit in laſsitudinem,vel diu moram fecerit ſub ſole,& ideo magnam ſuſceperit caliditatem, & ob iram,vel rixam cum aliquo,vbi ad iurgia deuenerit, vel præter iurgia ad manus etiam deuenerit, vt eſt caſus octauo therap.vbi omnia hæc præceſſerunt,dicetis inquam timendũ eſt de hectica,& ſtatim refrigerare,& humectare corpus,ne incurrat in hecticã neq; intentionem mutamus in præſeruatione, & curatione,& ratio eſt quia præſeruare nihil

hil aliud est nisi præcauere ab imminenti periculo, id autem quod imminet debet iisdem indicationibus remoueri, sicut cum adest, exempli gratia si id quod imminet est humor, qui minatur facere vertiginẽ, euacuatis ipsum, ac si iam facta esset ægritudo, si modo materia non adsit, sed timor est ne intemperies ita augeatur, vt deueniat ad calidam, & siccam intemperiem, quæ hectica est, iisdem vtimini remediis, quia vultis remouere quod imminet, eadem ergo ratio est in præseruatione, quæ est in curatione, vtimur ergo in hoc corpore refrigeratione & humectatione, præterea caueatis, cum incidetis in corpus aliquod calidæ & siccæ tẽperaturæ, quod quidem ex labore inciderit in febrem ardentem, ne vtamini diæta tenui, quoniam arefaceretis ipsum, & deduceretis eum ad hecticam febrem, ideo si febre putrida laboraret humectabitis, & refrigerabitis, nec vt exiccetur permittatis, quia facilè incideret in hecticam, quam non curabitis, ideo etiam in principio paroxysmi debetis cibum exhibere, ne exiccentur, & præterea circa præcordia frigida & humida fomenta ponere, & tandem in pręseruatione ista, tum interius, tum etiam exterius ad humectationem & refrigerationem tendere: quia si moram faceretis

retis, in hecticam incident, & iste est primus gradus curãdi hecticam febrem, quod ad quid agẽdum in præseruatione. cum verò iam incidunt in hecticam, & accedatis ad aliquem, in quo fuerint omnia signa indicantia febrem hecticam esse in principio, non in statu, tunc debetis summo studio occurrere, nec dare inducias, vt huiusmodi intemperies calida & sicca fixa in cordis substantia diutius permaneat: quia statim caderet virtus, & valet argumentum in substantia cordis est calida, & sicca intemperies ergo imbecillitas virtutis. circa igitur istam curationem iam inuentũ est quid sit agendum, quod est refrigerare & humectare, instrumenta autem inuenire debetis, quæ iam per methodum tradita sunt, quæ sumuntur partim ab his quæ interius accipiuntur, siue per os, siue per alios meatus sumantur, vt per clysteres, partim ab his, quæ per exterius applicantur. quædam nec interius sumuntur, nec exterius applicantur, sed sunt animi affectus, & corporis, ex quibus sequuntur alterationes in corpore, igitur vos qui hecticam curare vultis, ab his incipere debetis, quæ tantum interius sumuntur, & considerare quæ, & quot esse possunt, & hæc sunt cibi, potus, & medicamenta. Quo ad cibum & potum, nemi-

ni dub

ni dubium est quod semper refrigerare debeat,& humectare,quia autem quæ refrigerant,& humectant trifariã id facere possunt,quædam id faciũt quoniam talia sunt actu,vt aqua fontis,quæ refrigerat & humectat, quia actu habet frigiditatem & humiditatem,ideo aqua calida non refrigerat,sed calefacit, quia remota est ab ea frigiditas actualis.hic essent multa pulchra dicenda, nisi temporis penuria instaret,& ostenderem quod aqua fontis non habet eam vim refrigerandi,sicut aqua endiuiæ. quædam verò refrigerant,quòd talia sint in potentia,quæ dum à calore innato ad actũ deducuntur valde refrigerant, sicut est succus endiuiæ, portulacæ, acetosæ, omphacium,vel aliqua talia, quæ etsi calida sint actu,tamen refrigerant:quia ratione propriȩ mixturȩ habent tale temperamentũ,vt cum actuentur à naturali calore,refrigerẽt, quoniam eorum mixtura superat innatum calorem,& cum deducuntur ad actum,vincunt humanum corpus ex tota forma,quæ in potentia dicitur,quoniam euenit à forma huiusmodi virtus,quæ in mixto est formaliter,quædam autem refrigerant per accidens,quoniam euacuãt materiam calidã, & ita dicimus misionem sanguinis refrigerare,similiter clyster iniectus euacuando

materiam calidam corpus refrigerat. cum igitur tres ſint refrigerandi modi, & humectandi ſitq́; neceſſarium refrigerare, & humectare, quæ inſtrumenta erunt vſui noſtro accommodata? an ea quæ actu refrigerant, aut quæ potentia: an ea quæ euacuando refrigerant? ſi poſſemus vti refrigeratione actuali nihil præſtantius eſſet, & Galenus in fine decimi therap. inquit ſi cognoſceremus diſpoſitiones corporũ exquiſite, nihil eſſet præſtantius, quàm lauare ægrum in aquis frigidis, & bibere, quia cum intemperies calida, & ſicca ſit in actu, quid præſtantius eſt quàm remedium ſumere in actu, eſſet enim extinguere ignem aqua, ſed in eodem libro in principio cum hæc dixerit, ſubiungit, actualis quidem frigiditas eſt quidem præſtantiſsima, & expeditiſſima in tollenda caliditate exiſtente in corpore humano, tamen propter ſummã ſuam agendi vim periculoſa eſt, quia quod actu frigidum eſt, cum ſubiecto occurrit extenuato inducit hominem in ſæuiſsima accidentia, & in ſeptimo therap. dixit Galenus quod aliqui ex potu aquæ frigidæ actu curati ſunt ex præcedenti ægritudine, ſed deuenerunt ad tantam difficultatem deglutiendi, vt nunquam potuerint deglutire, ex nimia refrigeratione gulæ, quia igitur occurrit

currit subiecto, videlicet exiccato & est inimica neruis, qui ferè discooperti sunt propter maciem, propter nimiam eius potentiam extinguit calorem innatum eorum. Debetis igitur prius accedere ad ea, quæ habent maximam vim humectandi, & refrigerandi, & licet curatio longior sit, est tamen tutior. in proposito igitur nostro, ista quæ sunt actu frigida non sunt exhibenda, quia licet præsentaneum esset remedium, non tamen tutum est, quia deduceret ad virtutis casum, ex nimia agendi potentia, prius igitur accedere debetis ad frigida potentia: quia non ita facile imprimunt, quia prius calor agit in ipsa, & præterea habent certos gradus, quædam enim in primo, quædam in secundo, quædam in tertio talia sunt, & scimus gradus, quod non possumus scire in frigidissimo actu, & ex his non fit alteratio repente, vt extinguatur calor, sed paulatim, quantum verò ad cibum attinet, ptisana laudata, & celebrata est, non tantum in febribus, quæ non dependent ab influxu materiæ, sed etiam in illis, quæ pendent ab influxu, quam si non posit tolerare indicatione à moribus sumpta, mutabitis modum operandi, non tamen quid, & loco ptisanæ facere poteritis panatellam, ex pane infuso, ex condro, & altera-

re iusculum cum lactucis, cum portulaca, endiuia, oxylapatho, & ita procedere debetis, ac propterea non deerit vobis materia medicamentorum quia ampla est. Quantum ad potum, potus sit frigidus substantia non actu, nec ita bibatur frigidus, quoniam in his ventriculus & sine carne est, & faceret ea accidentia, quæ à Galeno enarrata sunt, ita potus tepidus erit ex decocto in quo sit virtus, vel seminum cucumerum, melonum, citrullorum, vel endiuiæ, lactucæ, portulacę, & in quo hordeum decoctum sit, lactuca, endiuia, & reliqua huiusmodi, quorum materia plurima est, obseruando semper vt potentia frigida sint, & si parum aceti ponetis, vt docet Galenus decimo therap. nihil præstantius, & licet in aceto sit vis exiccādi, & quædam caliditatis portio, quæ non conuenit hecticis, tamen cum ponitur cum aqua, nihil præstātius ad humectationem, quia siccitas eius obtunditur à multitudine aquæ, & acetum facit, vt aqua distribuatur per totum corpus, & humectet, & humectando, obtundit caliditatem, quia tenuissima est substantia aceti, ideo facit penetrare aquam ad partes, ad quas non penetraret. idem dicit Mesue de syrupo acetoso ratione aceti, & sumitur hoc à Galeno, & aliter est conuenientissimus cibus, & potus

tus, quo ad medicamenta, quia debetis omni conatu refrigerare, non debetis esse contenti solo cibo, & putu, vt in ephemeris, sed debetis accedere ad omnia decocta, & ad syrupos qui possunt refrigerare, & humectare, ideo syrupus de nemphare, violarum, endiuiæ, lactucæ, portulacæ, tam magistrales, quàm vsuales optimi sunt, cum aquis endiuiæ, & reliquis huiusmodi, vt in omnibus istis sit virtus refrigerandi, & humectandi, non actu, sed potentia, & hæc sint dicta ratione exempli in discursu quantum attinet ad ea quæ sumuntur per os. Quæ verò per inferius, sunt clysteres, quæ maximè iuuāt, potissimùm si hectica incipiat ab intestinis vtero, vel à renibus, & sint frigidi, & humidi, ex eadem materia cuius sunt syrupi, & hoc satis quantum ad ea quæ interius assumuntur.

Quantum verò ad ea, quæ partim interius, & partim extrinsecus applicantur, attinet, aer est præcipuè, & aqua frigida, quæ exterius applicantur in balneis, & per os etiā sumitur. quo ad aerē, si erit calidus, studēdū est vt alteretur ad frigidū, & humidū, cum herbis frigidis, & humidis, & inspegatur domus cum lactuca, portulaca, semperuiua, cum frondibus salicis, & populi, quæ inspersa sint aqua, & aqua rosata, & aceto,

vt vapor odoratus cor refrigeret, si aer fuerit frigidus non oportet aliter ipsum alterare, verum est si fuerit frigiditas multum intensa: nō est tuta, quia licet quo ad inspirationem sit tuta, quia statim accedit ad cor, & refrigeratur eius substantia quæ posita est in calefacto esse, attrahitur etiam per arterias, & in poris imbibitur, & ratione frigiditatis condensat poros cutis, & maior fit caliditas in corpore, quia concentratur, & præterea oportet cauere, & diligēter aduertere, vt ęger maneat sub culcitra coopertus, ne frigiditas actu poris cutis occurrat, & & constipentur, & calor interius crescat, & ego quandoque iubeo vt æger peluim prope os teneat, plenum aqua frigidissima, & inspiret aerem illum frigidissimum, & humidissimū, & sępe mutetur aqua, ex ea enim refrigeratur cor, & tamen reliquum corporis remanet tectum & bene coopertum. Quantum ad aquam frigidam attinet, etiā hic erit quæstio, an in aliquo casu cōueniat, qua de re postea disseremus.

Quo verò ad ea, quæ exterius applicantur, vt sunt fomenta, vnctiones, balnea. Incipiamus à balneis, quia tota curatio vestra consistere in balneo debet, balneum videtur vtilissimum propter multas rationes: sed distinguere debetis partes balnei. Prima enim

enim pars est aer calidus vbi sudatur, secunda pars est aqua calida, tertia pars(qua nũc non vtimur) est aqua frigida, quæ post lauacrum inspergitur corpori iam loto, quarta pars erat ea, in qua sudabant. Quo ad aerem, si quis habuerit humores mordaces in corpore conuenientissimus est, sed ponamus non esse humores mordaces in corpore: conuenientissimus etiam est. nam vbi quis ingreditur aerem balnei, primò rarefit corpus, rarefacto corpore euaporat quicquid fuerit excrementosum, deinde humores contenti in diuersis partibus æqualiter funduntur, & incalescit corpus. quoniam rarefactum est, & euaporatione humorum fuliginosorum hecticis nihil præstantius. Quantum etiam ad humores cum funduntur æqualiter totum corpus humectabitur, veluti rore quodam. Quo verò ad calefactionem non est vtilis hecticis. Sed quid cõtinget cum illa tria vtilia sint, licet caliditas illa non sit ita vtilis, corrigitur tamen ab illis, tum etiam quia accedit ad lauacrum, & humectatur totũ corpus & humectatio penetrat, & cum ea obtunditur caliditas, ideo lauacrum facit illam primã partem vtilissimam, cum postea accedit ad tertiã partẽ, & inspergitur aqua frigida, talis refrigeratio optima fit, nec nocet membris, quia instan-

tanea

tanea est, ideo corpus non refrigeratur refrigeratione insigni, cuius signum est, quod in quarta parte balnei, vbi sudatur homo, sudat, quod nō sudarēt si refrigeratio aquæ fuisset importuna, vtilissimum ergo est balneum hecticis, & vult Galenus, vt statim post balneum sumant cibum, quia tunc humectatur corpus interius & exterius. Post balneum verò, si immineret periculum ne fieret difflatio nimia, optimum esset linire corpus frigidis linimentis quæ plurima sunt, sed methodus erat vt essent tenuis substantiæ, at quoniam quæ refrigerant, & humectant raro sunt tenuis substantiæ, propterea addere debetis cum frigidis, & humidis quid quod sit tenuis substantiæ, ideo semper acetū miscebitis cum succo portulacæ, semperuiui, solani, vt reliqua medicamēta penetrare faciat, sed inter reliqua infrigidans Galeni pręcipuū est, licet isti vtantur eo pro renibus tantū, tamē propter pręcordia, & propter pectus optimū est, & cōficitur ex oleo rosaceo simplici, cū cera, & accipit olei rosati vncias quatuor, ceræ pōticę albæ vnc. vnam, quæ sæpissimè lauantur in aqua frigidissima, & additur aliquid aceti.

Hactenus de simplicibus hecticis locuti sumus quo ad ipsam essentiam signa, & curandi rationem attinet: reliquum est nunc

vt pertractemus feb.illas hecticas, non simplices, & diximus eas non simplices, propter nominis indigentiam, quandoque appellamus aliquid per nomen infinitum, cum defuit positiuum, vt cum dicimus animal aliquod rationale non esse, ita fecimus hic, diximus eas esse non simplices infinito nomine vtentes, propter veri nominis indigentiam. Non simplices autem dicuntur, quia non habent calorem auctum. secundum qualitatem tantum, sicut hecticæ simplices, sed est auctus propter aliquod extrinsecus. conueniunt in hoc genere hecticarum, vtrunq; humorum genus subalternorum, videlicet quod calor est firmatus in cordis substantia, sed alius est modus caloris in hecticis simplicibus alius in non simplicibus, cum additamento. sciuistis enim Gal. idem declarare longo processu in primo de differentiis febr. & in secundo de morborum causis, dicit sex caloris esse causas, aliquando augetur calor secũdum qualitatem tantum ex appositione rei calidæ vt in ephemeris, & hecticis, vt cum corpus fuerit sub sole, calor fit intensior sine additione, secundò cum propria caloris substantia augetur, vt cum quis plurimo vtatur alimento, ex quo plurimum sanguinis generatur, & plurimum calor augetur, id est,

pars illa tenuissima sang. tertio augetur cum additur aliquid se ipso calidius, (non quia substantia augeatur.) quo addito, admixto calori innato, fit acrior, vbi enim vapores calidi aduruntur & admiscentur cum calore innato, ex tali miscella calor innatus fit acrior. quarta causa est propter motum existentem in corpore, vt in motibus animi, vel corporis, videmus enim ex motu calorem inflammari. quinta augetur propter constipationem meatuum, quia vapores constringuntur (dummodo calor non suffocetur) augetur, vt apparet in vaporariis Germanorum. Sexta & vltima causa est vbi fit in corpore putredo, ex ea enim augetur calor, cum igitur sex sint huius causæ caloris, quas semper in animo vestro habere debetis, genus hoc subalternum febrium hecticarum quas non simplices appellamus potest procedere, vel à putredine, vel à vaporibus putridis. istæ sunt duæ caloris causæ, quæ necessario sunt in hectica nõ simplici. Intelligo domini per putredinem existentẽ in corde, nõ quia putridi vapores misceantur cũ innato calore cordis, sed quia cordis substantia putrescit, sicut reliquæ res extrinsecæ, quæ putrescunt vera putrefactione. Dico igitur febrem hecticam non simplicem à putredine fieri. Vel à vaporibus

putridis

putridis permixtis innato calori: ratione cuius cordis ſubſtantia ponitur in calefacto eſſe. A putredine intelligo quotienſcunque ſubſtantia cordis putreſcit vera putredine, ſicut ſolent res extrinſecæ putreſcere vera putredine cum calor innatus cordis vincitur à calore extrinſeco, & trahit ſecum humidum, & fit vera putredo, non ſicut intelligit Ariſt. quarto meta. & cum eius ſubſtantia putreſcit fit vna ſpecies generis ſubalterni. Quæ & hæc non ſimplex dicitur. propter putredinem ſubſtantiæ cordis. Alia eſt ſpecies harum hecticarum (videlicet iſtius generis) quæ à vaporum putridorum fit admixtione, qui cum calore innato miſcentur, ſicut in aliis febribus putridis cõtingit, & hoc commune habent hæ duæ ſpecies, quod fiunt à putredine, licet differant, quia vna, quæ fit à vaporibus, poteſt fieri à vaporibus in feb. putridis per omnes corporis partes, vt fit in hectica poſt cauſonem, altera quæ fit quidem à vaporibus eleuatis ab aliqua parte corporis noſtri, vt in febribus quæ typhodes appellantur, vt in ſuppuratione facta in pectore, vbi vapores huius ſuppurationis admiſcentur calori innato cordis, & imprimuntur in eius ſubſtantia, & ponunt eam in calefacto eſſe. & licet nõ ſint ſicci, quia tamen debiles

debiles sunt paulatim alterando, quia plurimum perseuerant, faciunt cordis substantiam tam siccam, quòd ponunt eam in calefacto esse, vt in typhodibus, vel non est longa vaporum perseuerantia, sed vehementes & acres sunt, vt in causone, quam ardentem feb. appellamus. ex illa enim in hecticam incidunt propter illorum vaporum acrimoniam, ponentem substantiam cordis, in calefacto esse, maximè si non curantur in xiiij. die, permutantur ad hecticam. Tum etiam in pectoris suppuratione, & in pulmonis vlceribus propter vicinitatem vapores ad cor ascendunt, & perseuerantiæ ratione, nonnunquam contingit quod homines in hecticam incidunt ex vaporibus, Ideo nũquam pectoris suppurationem, aut vsus pulmonis videbitis, absque hectica non simplici. Oportet domini singula quæque ita diligenter pertractare, vt nec subalternum genus, nec subalterna species permittatur, sed ad indiuiduas species perueniamus. Ideo primum membrum hecticarum febrium tractabimus, quæ à putredine substantiæ cordis dependent, postea deueniemus ad secundum membrum.

Febres hecticæ à putredine cordis substãtiæ proculdubio pessimæ sunt, & separatæ ab omni febrium enarratarum genere à Galeno

leno in vniuersali diuisione: non enim ephemeræ videntur, vt patet: non putridæ, quia putridæ generantur ex admixtione vaporum euaporantium ab humore putrescente in corpore, qui deueniunt ad cor, & inficiunt cordis humores, & spiritus ponunt in calefacto esse, non est ergo hectica simplex, vt apparet. Aliud igitur genus separatũ esse videtur, videlicet hectica à putredine, & cum sit à putredine substantiæ cordis, nulli dubiũ, quod pessima est, & dicebat Galenus in tertio de prognosticatione ex pulsu, hæc feb. mala est, & pessima cũ putrescunt cordis humores, vt vix curari possit. Quid de febr. dicemus quæ à putredine cordis substantiæ dependet, quæ tunc spes salutis erit? meritò igitur illas appellat Galenus loco citato pestilentiales, quas hecticas à putredine substantiæ cordis appellamus. De his agemus, & plurima quidem dicemus, quæ magnam vobis lucem afferet, & eo magis, quia Galenus primo ad Glauc. nihil de illis tractat. Nos autem profitemur vos esse docendos omne genus febriũ vsque ad vltimam speciem. Nolo ergo pollicitis meis vos fraudare, & licet sint nonnullæ pestes, quæ non sunt hecticæ, tamen propter rei viciniatem docebimus eas, & omnes pestilentiales diuidemus, siue hecticæ, siue non

hectica fuerint, vt totum pestilẽtialium febrium tractatum habeatis, in isto processu, primò nos dicemus de hecticæ ex mente Galeni: postea si qua dicẽda videbuntur, dicemus, quæ recentiores dicunt, & vtrum bene sentiant, & si quid sentiant contra Galenum: si bene, laudabimus: si malè, repellemus, & rationem ostendemus.

De febribus pestilentibus.

Cùm igitur simus acturi de pestilentibus febribus, oportet primò rei, & nominis habere rationem: quia aliter illas in pestilentibus febribus, species diuidere non possumus: vt igitur hoc habeatis, scire debetis primò, quid importetur per hoc nomen pestis, seu pestilentia, quia non facio differentiam inter pestem, & pestilẽtiam, quia sunt duo nomina synonima: dicitur autem apud Græcos λυμὸς: secundò scire debetis quod deriuatur quoddam nominatiuum à peste, vt dicamus febris pestilentialis. Hoc nomen pestis generale est, & de quocunque dicitur morbo, nec vna est species morbi, sed quodlibet genus morbi, sæuum, magnum, potens interficere hominem dicitur pestis, verùm est quod si dicitur propriè pestis esse, oportet vt epidemiæ species sit, ita dicta, quia passim & vulgò grassatur, & inuadit, vel ciuitatem, vel populum, sicut illa

quæ

quæ diu grassata est in Aethiopia tempore Thucididis, ille morbus q vulgo & pasim grassatur in populo, propriè epidemia dicitur, id est, per populum vagantes, si hic morbus ad talem peruenerit gradum, vt non solùm grassetur, & perambulet, sed periculum habeat interficiendi, non solùm epidemia, sed pestilẽtia appellatur, ita quod pestis ab epidemia non differt, nisi secundum quod differt morbus periculosus, à non periculoso, & sicut epidemia dicitur de omni morbo grassante, (inquit Galenus tertij epid. commento 24. quãdoque grassatur dysenteria, quãdoque pleuritis, quandoque phrenitis, quandoque febr. simplex, quandoque carbones) ita etiam pestis dicitur de iisdem morbis, cum omnino periculosi sint & pernitiosi. Epidemia igitur & pestis de omni dicitur morbo, differunt autem quoniam pestis est pesima epidemia, & Galenus in prima commentatione primi epid. commento primo ait pestem deuenire ad talem gradum, vt eius curationẽ, referant ad numẽ deorum homines, idem refert primo reg. in acut. commento octauo, & iste conceptus huius est nominis pestis, Pestilentiæ, & epidemiæ.

Dicimus igitur feb. pestilentem duplicẽ posse habere sensum, vel eam intelligere,

quæ habet omnem naturam pestis, & species epidemiæ est, & febris pestilens in hoc casu erit genus subalternum epidemiæ. Diceret hic statim aliquis, igitur non erit febris pestilens, nisi sit epidemia, & publicè grassetur, quia si de ratione pestis est, vt sit epidemiæ species, & ea publicè grassetur, igitur epidemia dicitur. Hoc falsum est, nec est necessarium, vt sit epidemia, quoniã denominatiuum dicitur secũdum aliquam participationem, sicut dices homo est, asinus est, id est, habet aliquam asini naturam, non totam naturã: quia si hoc modo, esset asinus: quia igitur particeps est asineitatis (vt ita dicam) dicitur homo asinus, ita etiam feb. pestilens dicitur, non quia habeat naturam pestis, & sit necesse vt publicè grassetur, sed dicitur pestilentialis: quia habet malignitatẽ, quæ conuenit pesti, & sicut pestis interficit, ita etiam pestilẽs febris malos habet mores, & subitò nisi occurratur, interficit, & sæuissima habet accidentia, & multum in natura communicat cum vera peste, ideo λοιμώδης, appellatur à Græcis: quia videtur naturam febr. pestilentis participare, non tamen est necessarium, vt sit pestis publicè grassans, vt sit verá epidemia, sed talis dicitur à febris malignitate, quod autem nõ modo sit maligna,

sed

ſed peſsima ex hoc apparet, quia cũ à cordis putredine dependeat, quid ſalutis ſperandum eſt? Febr. igitur peſtilens à putredine cordis dependet, ideo non omnes ſunt incurabiles, ſed illæ tantum cum putredo in corde eſt confirmata. Sed cum eſt in contentis cordis, licet illa etiam peſsima ſit, curari tamen poteſt. Iam vniuerſalem huius nominis febr. peſt. conceptum intellexiſtis, modo autem rei conceptum, & eius diffinitionem, ſeu deſcriptionẽ veſtigare oportet, deinde ex dictis à vobis elicietur febrem peſtilentem eſſe intemperiem calidam & ſiccam, cum omnibus febribus conueniat, cum dicimus à putredine eſſe ortam, conuenit cum omnibus putridis, cum verò dicimus, vel in cordis humoribus, ſeiungitur à putridis non peſtilentibus: quia in illis non eſt putredo in humoribus cordis, prout hallucinantur nonnulli ex modernis, credentes in putridis non peſtilentibus, putredinem eſſe in humoribus cordis. his nullo pacto credendum eſt, quoniam totò cælo aberrant, bene plurimi vapores permixti cum humoribus cordis ſunt, qui eleuantur à materia, & permiſcentur cum calore innato in cordis humoribus, & calor ponitur in calefacto eſſe, & periculum eſt ne putreſcant, ſed reguntur ab innato valido

cordis calore, & nisi medici diligentia accesserit, ad pessimam deueniet febrẽ, quan do verò dicimus, vel in cordis substantia, nos separamus ipsas ab hecticis simplicibus, quæ & ipsæ sunt in cordis substantia, sed nõ à putredine depẽdent, & ita diffiniũtur veræ febres pestilentes. Sed statim aliquis diceret, tu facis hoc genus febr. pestil. distinctum ab omnibus generibus febrium contra Galenum, qui non facit, nisi tria genera, ephemerarum genus, putridarum, & hecticarum. Vbi est ergo hoc quartum genus à te introductum?

Notetis quas febres Galenus distinxit, distincte à subiecto terminãte, & tantum tria fecit genera, & pestilentes quo ad terminum, vel sunt putridæ, vel hecticę, vel enim sunt in humoribus cordis, vel in substantia cordis: si in humoribus quo ad terminum sunt putridæ, si in substantia cordis putredo terminatur. tunc hecticæ dicuntur, imò modo hecticæ, modo putridæ dicũtur. Nos verò hoc modo feb. distinximus non penes terminũ, sed penes caloris essentiam, quia diximus huius calorem oriri, vel humorum putredine, vel cordis substantia. Ideo quartum posuimus genus febr. nec inconuenit, quia plures aliæ diuisiones dantur, vt dicimus penes varios cõceptus febriũ: licet pe-

nes terminos tantum sint tria genera, quia tantũ tres sunt termini, his habitis ad diuisioné huius generis subalterni accedamus.

Febres pestilentes, quæ tales fiunt à causa efficiente quædam ab extrinseco, quædam ab intrinseco fiunt, quę ab extrinseco, quædam ab assumptione rei delibutoriæ, & venenosæ fiũt, quædã ab inspiratione aëris. Quæ fiunt à causis intrinsecis fiunt ab aliquo humore putrido existente in humano corpore, tali putrefacto putredine, vt venenum efficiatur, imò siue ab intrinseco, siue ab extrinseco fiat, id quod facit febré pestilentem, habet quid venenosum naturæ contrarium: imò Galenus in principio libri de theriaca ad Pisonem, inquit febrẽ pestilentem esse venenum inspiratum, propterea vt in curatione videbitis vtimur theriaca, & iisdem remediis sicuti in venenis: humores ergo in corpore cùm putrescunt, & deueniũt ad tantũ gradum putredinis, vt inquit Galenus in sexto de causis symptomatũ, vbi de semine loquitur, vbi putrescit in corpore nil differt à veneno, nec poterit discerni an corpus assumpserit verè venenũ, quia accidentia eadem sunt, quæ contingunt ratione veneni assumpti, & fit putredo, non solùm in humoribus cordis, sed etiã in eius substantia, & hæc vna sit distinctio.

Distinguimus etiam eas hoc modo: febrium pestilentialium, quædam in humoribus terminantur cordis, quædam in eius substantia, quæ in humoribus, quotienscunque cordis humores putrescunt, ex qua putredine ponuntur in calefacto esse, augendo calorem naturalem existentem in corde ad tantum gradum propter putredinem, quod talis est facta febris, & ista vna earum est species. Quæ verò in cordis substantia terminatur, febris hectica pestilens appellatur. Hæc quæ à putredine humorum cordis pestilens appellatur, si comparetur ad febr. putridas, non pestilentes, cōuenit cum illis, quia omnes sunt in cordis humoribus, tanquam in subiecto terminante, & ideo quo ad subiectum terminans nihil prorsus differt genus pestilens à putridis, sed differt natura, & forma caloris, quia febr. pestil. quæ in humoribus cordis est à reliquis putridis differt toto genere, febr. pestillen. habet putredinem in cordis humoribus, & putrescunt, & febrilis calor ab horum humorum putredine auctus est, sed in febr. quæ putridæ appellantur secus est, calor enim præter naturam qui in humoribus cordis est, non est à putredine humorum cordis, sed à vaporibus putredinis fit, ascendentibus à materia putrida, qui cum

calore innato miscentur, in cordis humoribus existente, & ex tali miscella substantiæ calidæ valde, & vaporum admodum acrium, fit febr. illa quam putridam appellamus, de qua suo loco dicemus. Quod autem putredo necessaria esse debeat in corde, si debet sic esse feb. pestilens, istud non est meum somnium, sed est Galeni sententia in tertio de presagiis ex pulsu, cuius diligenti lectione, cognitionem harum pestilentiũ febrium assequi poteritis. Quod autem putredo nō sit in corde in feb. putredinis simplicibus, imò si adesset, non essent putridæ simplices, ostendemus ex mẽte Galeni, cum de putridis loquemur, differt igitur febr. pestilens à cæteris putridis forma caloris. Quantum verò ad secundum membrum, quod diximus in cordis substantia terminari, semper putredinem in cordis substantia terminari intelligimus, quando huius calor à putredine confirmatur in cordis substantia: istud genus febris hectica pestilens appellatur, quia ideã, & hecticæ characterismum habent, quia idea hecticæ est calor præter naturam confirmatus in substantia cordis, hæc febris hectica pestilens appellatur, quod autẽ habeat characterismũ, patet, quia putredo confirmata in corde, characterismus pestilẽtis est febr. de hu-

iusmodi autem febrē habetis apud Galenū in tertio de præsagiis expul. quod autem nō omnes pestilētes sint hecticæ, nec omnes in corde, & quod aliquæ à corde incipiant, aliquæ in humoribus quæ postea terminentus ad cordis substantiam, Galenus in eodem libro tertio declarat, & ista prima harum febrium sit diuisio, quæ à subiecto terminante sumitur. Et istarum febr. quædam proportio est, nam præcisè sicut se habet febr. putrida non pestilens ad pestilentem, quæ est in cordis humoribus: ita se habet hectica pestilens ad alias hecticas non pestilentes, primò conueniunt quo ad subiecta, differunt autem quo ad modum caloris, nam putrida à putredine in cordis substantia distinguitur à reliquis putridis, & à reliquis hecticis facit differre, & hæc satis sint dicta pro ista prima diuisione.

Secunda diuisio harum pestilentiū febriū à causis efficientibus sumitur; causa autem huius effectus est, vel extrinseca, vel intrinseca, si extrinseca, vel aër, vel medicamentū, vel venenum, siue cibus, vel potus, nam ista efficere habent pestilentē febrem. Ab aëre incipiamus, quod aër effectus pestilens feb. & pessima sit occasio, Galenus ostendit primò de differētiis febriū, vbi ait, quod & si febris pestilens fiat ab humoribus putri-

dis

dis in corpore,plerunq; tamen contingunt propter aerem extrinsecum inspiratum,& in primo epid.circa principium,idem disputat. Ideo apud Galenum est notum aeré maximam esse causam febrium pestilentium. Sed quid aeri accidit,vt inducat febrem pestilétem? dicetis domini corruptio ipsi contingit aeri.Sed hoc dicere non sufficit,sed quid corruptionem generat?putredo.quæ putredo?Vera dicetis.Elementum non putrescit,at simplex elementum, nos autem de simplicibus non loquimur elementis,sed de his,quæ habemus, quæ putrescunt præter ignem, quare autem non putrescat,nunc datur occasio,vt ratio assignetur, sed quænam putredinis est causa, si vera putredo est non æquiuocè dicta, causa est vbi humidum à calido non bene dominatur : ideo plurima humiditas,quæ à calido dominari non possit,erit causa,sed an hoc sit verum,omissis rationibus,quibus hoc liquidè ostendi possit,audiatis Galenum in primo de temperamentis.Vbi dicit de temporibus anni,pestilens cõstitutio apta ad generandum febrem pestilentem, excessus est calidi & humidi,& inter pessimam constitutionem calidam & humidam ponit,quam pestilentem appellat & in tertio aphorismo. Vbi loquitur Hippoc. per plures

plures aphorismos de constitutione calida & humida, semper eam pestilentem appellat, & in primo de differentiis febrium in tertio epidemi. de illa pestilentia, quæ causata fuit propter aeris caliditatem, & humiditatem. id manifestè ostenditur, & ita hoc manifestum est apud Galenum, quod ista sit vera causa putredinis aeris, ex qua fit pestilētia, hactenus habetis quod ab aere est maxima febris pestilentialis occasio, & si fieri debet huiusmodi feb. debet putrescere aer, & tantùm dicit quòd humiditas, & caliditas sint maxima putredinis causa, & illa cōstitutio deterrima sit. Nunquid modo contingere potest vt fiant pestilentes febres propter excessum aliarum qualitatum in aere? Minime, bene fiunt alia morborum genera, & epidemici morbi propter maximam siccitatē & frigiditatē, & causa vniuersalis erit, & vbi in aere erit actuatio siue fuerit sicca, siue humida, siue habeat excessum duarum qualitatum, varios morbos pro ratione excessus generare potest, & cùm illæ ægritudines causam vniuersalem habeant, vniuersales erunt, & cū publice grassentur, epidemici erunt, ideo aliquādo pleuritides fiunt, aliquando anginæ. nec mirum est, quia stante vniuersali causa, vniuersales fiunt effectus, sed non feb. pestilentes quę habent

habent characterismum cordis putredine, quare summum caput putredine esse diximus, à plurima humiditate, imò si in aere fuerit caliditatis, & siccitatis dominiũ, dissenterię, causones, id est feb. ardentes, & plurimi morbi epidemici multiplicata bile fient, si frigida & humida fuerit constitutio, non facilè putrescit aer, ideo aliæ ægritudines, fient aucta pituita, si frigida, & sicca fuerit morbi similes illi constitutioni, si verò fuerit in aere excessus caliditatis, & humiditatis, fit putredo multa ex qua fiunt pestilentes feb. quarum idea est putredo in corde, Aer igitur inspiratus maxima est occasio febris pestileris, & ista fuit ratio quam ob rem Hippoc. Aphoris. tertio dixerit siccas constitutiones salubriores esse, quàm humidas. Nunquid verò in aere contingere possit putredo præterquam à constitutione calida, & humida? Vtiq; propter contagium rei putrefactæ, sicut contingit ex vaporibus pluribus eleuatis à cadaueribus mortuorum in prælijs, ex illis vaporibus putridis, aer per contactum putrescit, & fiunt plerunq; pestes maximæ, & febres sequuntur pestilentes. Quandoq; fit non tantum à cadaueribus, sed propter vicinam paludem quandam, & ratione lacuum fœtentium propè ciuitatem, ex tali causa indu-

ducitur putredo,in aere,& fit pestis,ideo in Cypro prope Famã Augustam.vbi est lacus cum æstatis tempore putrescat causa est,vt,aer putrescat,& fiant ibi febres pestilentes,& infiniti moriuntur homines,propter vaporum contagium à paludibus.potest præterea putrescere,quia aliunde accedat vapor malus,cõductus à vento,& talis fuit tẽpore Thucididis delatus ab Aethiopia,vsq; ad Græcorum regionem quo tempore diligens Hippoc.ignes multos accendere iussit,& lignis etiam odoratis,& suffumigia facere,& ita pestem prohibuit,vnde auream statuam Hippocrati erexerunt, & in deorum numerum retulerunt,& ita videtis ex quibus quidem causis putredo causetur,& qualiter semper cum exsiccantibus occurratur,& quæ putredinem,in aere faciant , aer ergo inspiratus est vna ex causis febrium pestilentium,& quòd putredinis ratione aliquando minus malæ,aliquãdo pessimæ fiant,aliquando ad pessimum genus vere pestilens deueniunt, secundum quod aer magis ac minus putrescit,& hæc de causa extrinseca prima,quam artem esse diximus.

Secunda causa venenum fuit,& hæc est pessima,sed non quodlibet venenum causa est,sed illud quod putredo agit,quia sunt

quæd

quædam veneni species, quæ quando intra corpus sumuntur, non statim intersiciunt, imò quanto magis erunt in corpore, tanto magis letales sunt, & paulatim tale venenum facit putrescere humores, & faciunt in sanguine putredinem, in carne, deinde in membris: & tanta fit putredo in toto corpore, vt vapores ascendẽtes ad cor, in tanta ascendunt malitia, quod cordis humores, & eius substantiam computrescere faciunt, quales autem sint species, & quod nomen habeant, Galenus habet in tertio de simpl. medicament. vbi de hac materia loquitur, à tali igitur veneno fit in corpore putredo, & ab huius putredine fit feb. pestilens, ita quod semper putredo est quæ facit pestilentes feb. magna inquam & intensa putredo.

Tertia verò causa à cibo & potu, cibus & potus pestilentem feb. inducere possunt, vel quia corrupti sunt, vel quia magnã habent humiditatem, cibus ergo aut potus corrupti, cũ vinum, aut triticum corruptum est, & putrefactum, vt recitat Galenus, in de cibis boni, vel mali succi in principio, in Asia contigisse, vbi magna fuit pestis propter annonam, cùm enim portassent frumenta in ciuitatem computruerunt, cumq; coacti essent rustici, & cæteri etiam vti illis cor-

rupt

ruptis cibariis,ex tali cibo in febres pestilentes inciderunt, similiter vinum corruptum corrumpit humores,& malignæ febres pestilentes fiunt. Cibus etiam facit febrem pestilentem,non quia corruptus,sed quia magnam habet humiditatem,vt inquit Galenus secundo de alimentis,cap. de cucumere,vbi ait,cucumeres licet bene cõficiantur in omnibus concoctionibus,non euades quin plurimos generent humores, qui cùm sint humidiores quàm conueniat, putrescunt,& faciunt febrem pestilentem. Habetis igitur causas omnes febrem pestilentem efficientes ab extrinseco. Causæ modo facientes febrẽ pestilentẽ ab intrinseco,sunt humores in corpore putrefacti:ita quod semper à putredine febres pestilentes fiunt,quæcunq; ea sit,& nõ propter quamlibet putredinem,sed oportet vt sit talis,ac tanta,vt iam deueniat ad quandam qualitatem venenosam,qualem Galenus descripsit,sexto de locis affectis,vbi loquitur de seminis putredine,vbi ait quod sit adeo intensa putredo,vt illico cordis humores cõputrescant,& ideo quando humor ad tantam deuenit putredinem,vt non solùm humorum cordis calorem augeat, sed ipsos computrescere faciat febrem,facit pestilentem. Moderni qui veritatem viderunt sub

nube hunc maximum cognouerunt gradum, sed gradum esse putredinis ignorauerunt, ideo dixerunt. Pestilentes feb. præter qualitates manifestas, quas habent reliquæ feb. putridæ, qualitatem habent occultam, sed exprimere nesciuerunt, quæ nam esset illa qualitas occulta. Domini quando hæc docent nihil boni faciunt. Nā quando distinctiones fiunt per ignotas differentias, vanæ sunt, quia si differentiæ sunt ignotæ, quomodo curationem inuenietis: si qualitas occulta est, quomodo distinguere scietis, & bene vera est Galeni sententia, in tertio de præsagiis ex pulsibus, qui contra Erasistratum disputans inquit, Qui nihil docent ad duo confugiunt, ad qualitates occultas, & ad nomina ignota, & obscura, igitur domini qui huiusmodi vtuntur occulta qualitate, & nominibus obscuris, aliquid docere ostendunt, & nihil docent, & idem est de pestilentibus feb. dicere quod ab occulta qualitate proueniant, ac si nihil dicerent. Ista igitur qualitas, quam moderni occultam appellant est magnitudo putredinis, quæ humores, vel substantiam cordis putrescere facit, & inde sæuissima illa accidentia fiunt, quæ quotidie videntur, ergo qualitatem non occultam habent, sed manifestam, magnitudinem scilicet putredinis, &

nis, & tunc sciatis multam esse putredinem in corpore,& tunc per eum putridis gradum quid agendum scitis. Hæc igitur est secunda diuisio,quæ à causis istius febris efficientibus sumitur.Et ideo dicebat Galenus in de theriaca ad Pisonem,si feb.pestilentialis nil aliud est quam venenum inspiratum,propter hoc theriaca conuenit febri pestilenti, quia exsiccat, & exsiccando prohibet putredinem. Quæ sententia mirum in modum nostrę fauet opinioni,quod maximus putredinis gradus causa sit pestilentis febris non qualitas occulta.

Tertium caput erat quod à putrescentibus nascitur humoribus.Humores in corpore putridi,diuersitatem harũ febrium facere possunt,nã tot esse possunt, quot sunt in corpore humores,& tot pestilentes fieri febres,quot sunt humores saltem circa initia. Potest etiã contingere quòd vnus humor facilius putrescat,quàm alius,& causa est quia aptior:subiectum enim quantò magis dispositum est,tanto facilius putret: sed in humano corpore semper aliquis humor magis paratus ad putredinem,ideo febris pestilens,incipit ab eo humore,vbi incipit putredo:ideo in pestilente febre,quas petichias appellamus, videmus in principio signa manifestißima determinati humoris

apparere, in aliquibus bilis dominium videmus, in aliquibus pituitæ, in aliquibus humoris adusti: paroxysmos etiam seu annotationes (vt rectius loquar) incompressas videmus, in aliquibus de tertio in tertium, in aliquibus quotidie, & bis etiam in die, secundũ humorum diuersitatem, & hæc non solùm quoad egestiones apparent, sed quo ad exacerbationis modos, vt diximus, & hæc circa initia, sed vbi conualescunt, & ad augmenta deueniunt, hæc omnia cessant, & maximam videtis confusionem, non amplius certas habent periodos, quia iam tota massa sanguinea putrescit, & aliter imaginari non possumus, quia cordis humores, aut eius substantia putrescat, quibus putrefactis, omnes corporis humores in cõsensum trahunt, & ita omnes putrescunt. Imò domini in nulla alia febre putrida putrescit sanguis in venis, nisi in hac sola pestilenti febre, bene videmus apud Galenum sanguinem putrescere, & fieri febres, sed in secundo de crisibus, & in primo de differentiis febrium semper dicit, quod sanguis putrescit, vbi est sanguinis inflammatio, & putrescente sanguine existente in loco inflammato fit febris, sed quod in venis putrescat, sanguis minime nisi in sola pestilente, & licet dicant moderni synocham

ex putredine sanguinis sanguinem putrefacere in venis, cum loquemur de synochis, ex putredine ostendemus ipsos aperte deuiare. hactenus fecimus omnes distinctiones febrium pestilentium.

Reliquum est monere, quæ sint corpora magis parata ad febrem pestilentem, vt perfectam notitiam habeatis. In hac parte moderni plurima dicunt, & ostendunt quæ sint corpora magis præparata, cum tamen potuissent omnia illa verba tribus dictis explicare. Certum est ex superius declaratis febrem pestilentem ex putredine confirmata in corpore dependere, ita quod causa est putredo illa igitur corpora præparata magis erunt ad febrem pestilentem, quæ habent naturam præparatam ad putredinem, & sunt corpora calida, & humida, vt ex Arist. quarto meth. & à Galeno primo de diffe. feb. satis igitur sit dictum de pręparatis corporibus. supersunt modo duo primò, vt signa inueniamus, secũdò curam.

Signa sunt necessaria secundum quid, si possemus naturas particulares febrium pestilentium cognoscere, primo intuitu non esset de signis laborandum, sed quia causæ latent, nec deprehendi possunt nisi per signa, conquirenda sunt, circa signa igitur indaganda vnum hoc est præsciendum, quædam

esse

esse prognostica id est prouidentia futuram pestilentem febrem, quædã indicantia præsentem, prius de prouidentibus dicemus, & eo maxime studebimus declarare signa portendentia, quoniam omnes ægritudines quæ magnæ sunt, acutæ & periculosæ sunt, & semper debent prius cognosci, & præcaueri, antequam incidant homines in illas, & non permittere, vt superueniant, postea curare eas, imò si vnquam quærenda sunt, tũc quæri debent, quando ægritudo, & periculosa, & pernitiosa est, inter pernitiosa autem feb. pestilens pernitiosissima est. Qua igitur arte, & qua methodo desumemus signa portendentia? Initium erit à corporibus, & à caussis omnibus, quæ possunt facere eas febres; sicut si videritis à longinquo hominem debilem, & claudum, vt vix se sustinere possit pedibus, facile prouidebitis ipsum esse casurum. Aliud est etiam initium, si corpus de se non ita paratum sit, sed sit quid extrinsecum, quod faciat ipsum cadere, & iamiam imminet vt cadat. In feb. ergo pestilenti signum portendens est corpus quòd in febrem incidere debet. Quantum ad corpus casurum considerare debetis qua natura sit, & profectò erit illud quod in se calidum, & humidum est, & præterea in ocio degit, & præter ocium vtitur vene-

nete, & cibis frigidis calidis, & humidis, sed potissimum humidis, facillimæ corruptionis. Vbi talem hominem videritis, vix poterit iste diutius permanere, quin incidat in aliquam ex pestilentibus febribus, hoc est præuidere ex dispositione passuri corporis. Debetis præuidere modo ex causis efficientibus: vidistis in hesterna lectione, quæ sint, primò est aer, secundò cibus & potus, tertiò sunt causæ intrinsecæ, quas enumerauimus, has considerare debetis: inter quas potissimum est aer qui inspiratur, qui maxima est occasio ad huiusmodi feb. Dimissis igitur omnibus quæ à modernis dicuntur, aer inspiratus, qui putrescit primò considerari debet, & faciet vobis indicium futuræ labis, & pestilentis febris, & primò considerare debemus causas, quæ vel in ipsam putredinē inducere possunt, vel iam induxerunt, & sic duo sunt consideranda capita. primum causas indicat à quibus putrescit, secundum putredinem indicat iam factam: incipiamus à causis à quibus putrescit. Iste sunt vel mediatæ, vel immediatæ. Dicimus immediatas causas illas, quæ putredinem in aere inducunt sine aliquo alio medio, mediatas illas, quæ cum medio id efficiant. causæ quæ immediate in aere putredinem inducere possunt, sunt vapores

eleuati

eleuati ab inferioribus partibus, ad superiora, & isti sunt in aere sine agitatione, vel agitati, vel commoti: si quiescentes vapores fuerint, vel sunt crassi admodum, & turbulenti, vel medii, vel tenues calidi, & sicci, ex istis tribus speciebus duo primi in aere putredinem inducere possunt, ex qua putredine inducta pestilentes fiunt febres. Tertii videlicet calidi, & sicci, & tenues alia quidem genera morborum inducere possunt, non autem febres pestilentes. Primas igitur duas causas considerabimus, vbi fuerint vapores crassi, turbulenti, terrei, ascendentes ad primam aeris regionem, aptissimi sunt ad putredinem inducendam in aere, & hoc si diutius perseuerabunt, signa autem ad cognoscendum vapores istos ascendisse, sunt euidentissima ex rei natura procedentia. Vbi in eare fuerint huiusmodi vapores crassi, aer fit turbulentus, vt vix radij solares penetrare posint, vix etiam homines oculos eleuare, seu erigere possunt. Grauitatē percipiunt, tristantur, & mœroris rationem nesciunt. ratio est aeris crassitudo, quia dicebat Hippoc. & Galenus in tertio epid. Vbi aer nebulosus est, tales fiunt spiritus, & cùm fiant crassi, & turbulenti, tristantur, pigrescunt admodum, & causam nesciunt; ratio est, quia spiritus crassi sunt,

animalia etiam eodem modo se habẽt, plantæ etiam, cum labem percipiunt, videntur folia & frondes puluere inspersæ, & ratio est, quia vapores sunt crassi, & terrei, & pro grauitate partes terreæ decidunt in foliis, & cum exiccantur apparent pulueres in foliis. vbi hæc videbitis, & diutius perseuerent, timendum est contagium aeris, & putredinis labes, ex quo fiunt febres pestilentes. ex his igitur apparentibus signis indicatur multiplicari plurimos vapores crassos, & eleuatos in prima aeris regione, & ex his putrefieri partem illam aeris, & febres induci pestilentes. si fuerint vapores medii inter tenues & crassos tunc medio modo se habent in generatione putredinis aeris, & sua habent distincta signa, & ex his non modo cognitionem habebitis quod pestilentia fiet, sed quod perniciosa erit. Vbi verò signa non erunt sicut priora, videlicet, nec ita crassi vapores, nec tanta turbulentia, nec animalia pigra erunt, sed apparebunt naturæ suæ conuenientia, tunc non erit ita perniciosa. Proprium autem signum circa ortum solis, & occasum, apparebit circa solem quoddam spectrum, & simulacrum veluti obstaculum, & diuersorum colorum erit, quandoque rubrum, aliquandò nigrum, aliquandò luteum, & supra spectrum

hoc circa solem apparebit, vbi signum hoc perseuerabit; dicetis plurimos ascendere vapores ad partem aeris superiorem, & futuram ipsius putredinem ex qua febres pestilentes generabuntur, non tamen ita sæuæ, quia non erit tanta putredo. Si verò fuerint vapores illi calidi, & sicci, & tenues ignei, ad supremam aeris regionem ascendentes, maximam mutationem indicabunt, sed talem quæ illis conueniat vaporibus; nec ad calidum, & humidum erit mutatio, sed ad calidum, & siccum, & fiunt epidemicæ ægritudines, febres ardentes, dysenteriæ, ægritudines à bile dependentes, sed hoc ad præsens nostrum non est negotium. Sed aliqui dicere possent, quæ signa sunt, vt hos cognoscamus vapores? Quando abundabit aer his vaporibus calidis tenuibus & igneis, in nocte apparebunt columnæ igneæ, in aere contentæ, ignei serpentes, sæpe stellæ cadentes. Vbi hæc perseuerare videbitis ad calidum, & siccum in aere fiet mutatio; sed non pestilentiæ fient, nec pestilentes febres, sed aliæ epidemicæ ægritudines, & ita ex tribus vaporum speciebus duas habemus, quæ indicant mediate futuras febres pestilentes, crassi quidem vapores & turbulenti perniciosas, quia maxima erit putredo; medii verò non ita perniciosas, quia non

erit tanta putredo, tertia verò ſpecies facit alias epidemicas ægritudines. Quantum ergo ad quieſcentes vapores attinet, ſatis ſit dictum. Reliquum eſt modo videre de vaporibus agitatis, qui non quieſcunt, illi dicuntur eſſe venti, qui ſunt vapores eleuati à terra, vt ab Ariſtote. ſecundo meteor. habetis, qui quidem excitati, & commoti efficiuntur venti. Vbi igitur tales vapores calidi & ſicci agitantur, dico vapores calidi, & ſicci, quoniam omnes venti in propria origine, ſunt euaporationes calidæ, & ſiccæ, hæ cum excitantur, & motum incipiunt à calidis, & humidis regionibus, quales ſunt in meridie, & flant verſus Boreales regiones, regionum humiditatem recipiunt, paludum, lacuum, & maris: & dum perflant regiones iſtas Boreales, illum caliditate, & humiditate aerem inficiunt, quæ eſt putredinis cauſa, tales hi venti auſtri ſunt, ad orientem, vel occidentem inclinantes, & ad meridiem, quia calidi, & humidi ſunt, & propter regiones, alterum ſubſolanum appellant, quem cauſam eſſe dicunt peſtilentium febrium. Alterum ad orientem declinantem, eurum græci dicunt, Vbicunq; igitur ſpirabunt huiuſmodi venti, caliditatem, & humiditatem in aere inducere poſſunt, ex qua poſtea generatur putredo

tredo necessariò vbi diutius perseuerauerit, & causa efficiens valida sit, vt statim talem constitutionem efficere possit, & vbi fuerit australis constitutio per totum annum, fieri non potest quin contingant febres, & ægritudines pestilentes, quemadmodum fuit illa constitutio quam describit Hippoc. tertio Epid. & à Galeno pluribus verbis declaratur, talis fuit nostræ ætatis anno. 1528. quæ grassata est in tota Italia, ex qua successerunt febres pestilentes, & ego scio plurimos, & egregios quidem medicos prædixisse illam pestilentem febrem, ac si oculis eam vidissent, bene tum incepit, quædam feb. constitutio duplicis tertianæ, quæ non interficiebat, sed postea successit febr. pestilens quæ pethicchie appellantur, sæuissima admodum, non cessauit febr. priusquam incœperũt flare venti potentissimi à septentrionalibus partibus per quindecim dies, diuino hoc tamen faciente numine, statim influxio, & pestis sæua ex talibus constitutionibus cessauit. hę sunt igitur causæ epidemicarũ ægritudinum: quæ validæ sunt, faciunt febrem pestilentem, quæ magis ac minus affligunt & sæuiores sunt, pro causarum magnitudine imprimẽtium, quarum quædam sunt vapores, vel quieti, vel excitati. si quieti, vel crassi, & terrei sunt,

obteneb

obtenebrantes infectam aeris regionem, vel medii, qui ad mediam regionem ascendunt, & in eam partem putrescunt, quod si calidi, & sicci sunt, non faciunt pestilentem febrem, vel sunt vapores excitati, venti, videlicet à meridię flantes, & ita habetis, quæ sint causæ immediatæ, quæ putredinem facere possunt, & pestilentem febrem portendant; & iste est præuidendi modus febr. pestil. sunt modo causæ mediatę putredinis aeris, ex quibus medici prudentes portendere debent futuram pestil. feb. vt occurrere posśint antequam accedat, sicut diuinus fecit Hippoc. qui præuidit ex causis mediatis ne pestilentia Græciam occuparet, ita à nobis sunt cognoscendæ causæ mediatæ, qui prudentes medici esse volumus, è quibus præcognitiones sumuntur. Hæ non apparent in aere, sed in alio elemento, & cum apparent in illo, & ab illo eleuari possunt in aere fit putredo, ex qua postea fit feb. pestil. & sunt hæc elementa, terra & aqua, cum in terra est materia turgens, & occulta in visceribus eius, quæ nondum euaporat, sed est euaporatura, sicut sunt vapores putridi, qui nisi in aere eleuati sint putredinem in aere causare non poterunt. Quæ vero in terra latent, quæ possunt esse vaporum materia, sunt illæ aquæ plurimæ contentæ,

vel

vel flatus plurimi in visceribus terræ contenti, qui paulatim putrescunt, & per putredinem attenuati, & eleuati in aere, sunt postea causæ immediatæ putredinis. hi autem flatus, & aquæ sæpissime includuntur in visceribus terræ, ex stellarum affluxu, & accessu, & recessu corporum cœlestium, licet exquisitè causas nesciamus, sunt tamen copora cœlestia causa quo ad impressionem, mouenturque omnes à corporibus cœlestibus, cum ergo mouentur, & multiplicantur in terra flatus, vel aquæ plurimæ, quæ cum putrescunt ex propriis signis cognoscetis, Sunt autem signa, primo terremotus, qui futuras portendit dispositiones. Vbi igitur fuerint terremotus multi, multiplicantur in aere vapores, & si incalescunt aerem efficiunt calidum, & humidum, & necessario putrescet, & hoc est primum indicium indicans in terra materiam esse, quæ vaporum causa erit, & si magni fuerint, vel crebri, vt diximus, futuram aeris corruptionem portendunt, sed præter terræ motum alia habetis indicia magis propinqua, quando iam apparet huiusmodi materia contenta in visceribus terræ iam putrescere. Indicia indicantia sunt hæc, primò plantæ quæ pullulant, vel non nascuntur, vel paruæ & exiles, & vbi nascuntur putrescunt

trescunt, antequàm adolescant, & non perueniunt ad frugem, & si perueniunt, fruges non habent, calorem, saporem, odorem, neque substantiam solitam, quia nutrimentum ex humore illo malū est: præterea animalia multa generantur in vltima terræ superficie, quæ ex putredine generari solent, & quæ aliis temporibus non nasci consueuerunt, radices erodunt, & super arbores ascendunt, & ipsas erodunt, præterea animalia, quæ in cauernis degere solent (vt sunt serpentia) abeunt à propriis cauernis, & in alias patrias fugiunt, quia vapores iam putrescentes in visceribus terræ pati non possunt. vbi hæc perseuerare videtis, licet non appareat adhuc putredo in aere, tamē prope futurum esse dicetis vt putrescat, & futuram pestem prænunciabitis, propter vapores de proximo euaporatos è terra, & quod de terra diximus, idem de aqua esse dicetis. Nonnulli ex modernis faciunt hic quæstionem, an sola apparente putredine in terra, vel aqua fieri posit febris pestilens, sine aeris putredine. Ad quæstionem respondere debetis, quod potest fieri mediate, non autem immediate, nunquam enim putredo terræ quamuis magna sit in seipsa considerata, febrem faciet pestilentem, sed propter aliud vel quia aerem putrefacit, & putrefactus

ctus attrahitur, & sic aeris putredo causa est immediata, alia verò mediata, vel quia fruges generat putridas, quarum ratione dum animalia vescuntur sanguinem in illis putrefactum inducunt, ex quo fit febris pestilens, & ita putredo in terra febrem pestilentem facere poterit, aerem, vel cibum corrumpendo. Nos autem quærimus causas, quæ id immediate facere possint. Quod de terra diximus idem de aqua dicere contingit. Plerunq; contingit putredo in aqua propter cœlestes influxus, ex quibus postea putridi vapores generantur, & à lacubus, & paludibus, à mari etiam eleuantur, qui ascendentes putrefaciunt aerem, ex qua putredine febris pestilens generatur: itaque ex aquæ putredine non fit nisi mediate, quia oportet vt vapores eleuentur in aere & putrescat aer, posteà inspiretur, demum fiat febr. pestilens, & ita ab his aquis putridis aperientibus pestem præuidebitis. Quomodo autem in aqua putredinem cognoscatis, signa habetis euidentissima, vbi aquæ stantes, vel non stantes, (licet raro eueniat vt putrescant) cùm ad putredinem prope sunt, sua habent signa: quando circa superficiem apparet veluti pingue, quod similem habet telæ araneæ, & cùm iam putrescere incipiunt, virere incipit, & quandam

facit

facit viscosam herbam, quæ fœtet admodum; & tunc putredo ingens incipit, si etiam tangatur aqua crassa videtur, & in substantia pinguior; & calidior, præterea vnumquodque animalium genus nigrum & paruum; magnum habens caput, generatur, ex quibus ranæ generantur, ideo plurimæ ranæ apparebunt in aqua, præterea generantur plurimi veluti culices, & alia insecta multa parua supernatare solent, & superuolitare in vltima aquæ superficie, vbi hoc videritis dicetis iam aquam esse putrefactam, & plurimos vapores euaporaturos putridos; & fœtidos; infestantes regionem illam, & febr. pestilentem præuidere poteritis, hæc omnia habetis ab Arist. primo proble. proble. vigesimo, & vigesimo secundo. Vbi quærit cur annus est pestilens euasurus, vbi plurimi vapores ascendunt à terra, ibi tetigit mediatas causas, in alio problemate. Quærit, cur annus ille morbiferus est, vbicunque plurimæ ranæ multiplicabuntur pusillæ; tetigit causas immediatas, nihilominus si non vultis ita extollere Arist. dicere poteritis omnia ea esse accepta ab ipso Hipp. quæ ipse deducit in modum problematis. Iam diximus de causis immediatis, & mediatis putredinis, & qua arte, & ex quibus præcognitionem futuræ pestis

 sumere

ſumere debetis, quæ fuerunt ad duo capita deducta vt ſupra vidimus, non oportet ea repetere: diximus enim alias mediatas eſſe cauſas, alias immediatas, quas poſtea ſigillatim enumerauimus, poſtea intellexiſtis quomodo vẽti meridionales poſſunt eſſe in cauſa febris peſtilẽtis, & quomodo per illos poſſumus præcognoſcere futuram peſtilentiã, præterea multa diximus de cauſis mediatis, & ſigna in aqua dedimus, & quomodo ex illis cognoſcatur futura putredo.

Reliquum vnum erat membum videlicet cum aër eſt actu putridus indicat etiam proximam futuram febrem peſtilentem, vt ex aëris putrefacti cognitione patebit futuràm feb. peſtilentem, hęc ſunt manifeſtiſſima: vbi enim aër putridus eſt, in aëre omnium generum volatilia multiplicantur, quæ à putredine oriuntur, vt eſt muſcarum genus, & volatilium, quæ volant per aërem, & circa ſolis occaſum, & circa matutinas horas volitantes muſcas admodum paruas, vt vix poſsitis aëri occurrere, quia offenduntur oculi, & facies: & vbi hæc animalia diutius perſeuerabũt, manifeſtiſsimum eſt ſignum, vt iam in aëre putredo ſit conſtituta. ſecundum ſignum quod obſeruatur ab his qui ruri degunt. Aues quę ſunt in agris, & in montibus, vbi percipiũt putrefactum

aerem in regiones transmigrant salubriores, imò tanta est vis aeris putrefacti, & ita abhominantur eum, vt si habeant oua, vel paruos pullos, eos relinquant, & abeant, vt sibi ipsis consulant potius quàm filiis, quos adeò amant, præterea aliud est efficacius signum, vbicunque aliquid aeri exponitur, vt panis, oua, caro, statim putrescit præter consuetudinem omnem, & nihil potest conseruari, magis & minus tamen, prout magis & minus computruit aer, & cùm ita videtis in aere esse, & caliditatem, & humiditatem, & putredinem esse factam videbitis, quæ causa est putredinis eorum quæ in aere exponuntur. præterea aer intra parietes, & domos, & cubicula, & si conclaues sint, nec terrestria, sed suprema & tabulata, nihil prodest, humidus enim valde est, & muri cuiuscunque cubiculi humescunt, & contrahunt suum situm, & apparet non solùm in muris, sed in tecto & linteis vbi cubatis, vbi igitur ista videritis, aer putruit, & non est secundum naturam, & non debetis in illo morari, & hoc signum est maximum pestilentis febris. Habetis quomodo has feb. poteritis cognoscere, tum ex causis futuræ putredinis, tum ex putredine existente in aere, & hæc de prouisione, quæ sumitur ab aere.

Quantum

Quantum modo ad indicium futuræ febris peſtilentis quod ſumitur à veneno, cibo & potu, non eſt multum artificioſum, cognoſcitur, ſi quis deprehenderit ſumpſiſſe venenum quod putredo interficit, & terminum habet interficiendi, vt etiam in ſex menſibus interficiat, ſi hoc ſcitis, exprimere poteritis peſtilentem febrem, licet hoc raro ſciamus.

Quantum ad cibum, & potum facilè eſt, vbi in aliqua regione computruerunt cibaria, vt in bellis, vbi fuerint ciuitates obſeſſæ, vbi homines cogũtur comedere triticũ, vel alia cibaria in munitionibus cõputrefacta, vbi inquam comedere hæc, vel etiam bibere vinũ putridum ex penuria, hæc vbi contigerint, futuras peſtilentes febres prouidere poſsitis, & ita de cauſis intrinſecis, vbi cognoueritis plurimos in homine eſſe humores putrefactos, maximè temperaturæ calidæ & humidæ, neceſſarium eſt vt incidant in febrem peſtilentem, & ex ea moriantur: & hæc de arte prouidendi futuram peſtem, tum ex aere, tum ex aliis cauſis, tam extrinſecis, quàm intrinſecis, quarũ cognitio non eſt ita artificioſa ſicut aeris.

Reliquũ eſt vt doceamus qua arte peſtilentẽ febrẽ cognoſcere poſsitis, & tradamus ſigna & artem ſignorũ indicantium præſen-

 tem

rem febrem pestilentem. circa huius signa scire debetis quomodo quædã indicant genus feb. pestilentium, quia ostẽdimus quod plures sunt species, & duo potissimum genera subalterna, orta ab illo summo genere: Alterum à putredine prouenit, existente in humoribus cordis. Alterum à putredine existente in substãtia cordis, præterea prius sunt videnda signa indicantia genus in vniuersum, siue fuerit per putredinẽ in humoribus, siue in substantia cordis, deinde videbimus signa indicantia seorsum particulares species, postea videbimus signa quæ indicant tempora, principium feb. pestilentis, augmentum, statum & decrementum, quoniam aliter principio occurretis, aliter statui, &c. præterea habebitis signa, quę coctionem & cruditatem indicant, quia hæc plurimum refert scire, an humores sint crudi, vel cõcocti, & quam coctionem habeãt, præterea afferemus signa indicantia crisim futuram, vel non futuram. Vltimò ostendemus signa indicantia salutem vel mortem, & ita habebitis omnia signa quæ cõsequuntur genus, & quæ discernunt species, cum cæteris iam enumeratis.

Incipiamus igitur à sig. indicãtibus pręsentem pestil. feb. in genere. vnde habetis exordia artis cognoscẽdi huiusmodi signa: oportet

oportet semp si methodo ꝓcedere debetis, habere aliqd vnde incipiatis. Per hoc nomē signa, nos intelligimus symptomata sequentia quicquid præter naturā est in humano corpore. Tria autem præter naturā esse dicebamus. primò causæ quæ morbos faciūt, secundò sunt morbi, tertiò symptomata, & accidentia, quæ consequuntur, tum causas, tū morbos, & vt referuntur ad causas, & ad morbos, appellantur symptomata, & accidentia, & dicebat Galenus tertio de causis symptomatum, quod ita sequuntur causas, & morbos, sicut vmbra corpus. Appellantur etiam alio nomine casus, & euentus, pro quanto indicant causas & morbos, appellantur signa à nobis & notæ, nécnon illorum indicationes: cùm ergo signa talia sint, si illorum signorum fontem habere vultis, in morbis & causis exercere vos debetis, vt vniuersalem morborum & causarum naturam sciatis, & quos euentus & accidentia parere soleant vbi accesserunt corpori humano, præsciuisse debetis ex philosophia, & ex vniuersalibus medicinæ: exempli gratia, vos didicistis experientia, & vulgares omnes, naturam ignis; & scitis quod comburit omnia, & quod in combustione facit flammam, & fumum, vbi ergo vulgares isti talia vident in aliqua parte, &

si non videant ignem, tamen sciunt ibi ignẽ adesse, cùm sciant ex igne, tanquam ex causa, semper oriri fumum. Quod igitur longo vsu imperiti didicerunt, ita vos debetis comparare artem talem, vt exerceamini in morbis omnibus, & causis, vt sciatis quos effectus producant tales morbi, & tales causæ, vt videatis accidentia, & sciueritis iam connexum cum suis causis, dicatis hic est talis euentus, ergo talis causa. Oportet ergo si periti esse vultis in arte, in vniuersalibus prius exerceri, vt habeatis fundamẽtum verum, vt ad particularia deuenire possitis. In casu igitur nostro videre vultis ex apparentibus euentibus an sit pestil. feb. in aliquo corpore, à quo incipietis? A natura rei prius cognoscere debetis ideam febris pestilentis. Diximus veram ideam esse vt putredo sit in corde, siue in humoribus, siue in substantia cordis sit, & propter istam putredinem in corpore, propriã habet formam quæ fuit talis in se ipsa, qua à reliquis separatur: & per hanc putredinẽ in humoribus cordis existentem, aut in substantia cordis, distincte cognoscetis, nunquid in huiusmodi febris pestilens adsit, nécne, vbi aderit purredo in corde, aderit feb. pest. Cognoscere autem naturam huius rei non est difficile, si discurretis per omnes

euentus,

euentus, primum caput est discurrere per operationes læsas. Vbicunque erit putredo in corde, siue in humoribus, siue in substantia cordis, omnes operationes necessariò labefactatæ erunt, quia omnes à corde emanant, quia in ipso spiritus omnes generantur, & ad hepar distribuuntur, & ad cerebrum, & oportet calorem complexionalem membrorum in actu poni, per illos spiritus transmissos à corde, ideo cum in principio illorum fuerit putredo, aut in contentis, aut in propria substantia, certum est quod illi non poterunt operationes exercere, quare omnes corporis virtutes labefactatæ erunt, & animales, & vitales, & naturales, & deuenient aliquando ad vltimum. Ita quod primum signorum caput ab operationibus, & per singulorum genus discurrere incipit, quoniam illud membrum sanum est cuius operationes sunt sanæ, sed aliud per oppositum, ægrum cuius operationes sunt ægræ & læsæ. Quantum igitur ad operationes animales attinet quæ sunt in cerebro, quarum aliæ cognoscitiuæ, aliæ motiuæ sunt, cognoscitiuæ quædam in cerebro, & propter cerebrum, vt supra dictum est. Quantum ad imaginatiuam attinet, videbitis febriente tali febre, esse veluti puerũ, insensatũ, & si fuerit natu-

ra prudentiſsimus, & aliquando imaginatur alium hominem eſſe apud ſuos pedes ſimilem illi, & dicet, videtur mihi quod ille homo ſit idem, qui ego ſum, videtur mihi ſimilis, & cum tangitis pulſum, inquit, tangite illum, qui eſt ſicut ego ſum, & multa huiuſmodi, & ratio huius eſt, quia ſpiritus quibus vtitur cerebrum emanãt à corde, & cùm cor iam ſit præter naturam, quomodo cerebrum poterit rectè imaginari, vel diſcurrere, ob eãdẽ cauſam, quomodo memorabitur? vt dicebat Galenus in libello quod animi mores ſequãtur corporis temperaturam, plures fuiſſe qui proprium nomen obliti ſunt, poſtquam fuerunt ſani, ita labefiunt intrinſecæ operationes cerebri. Quantum ad exteriores ſenſus attinet, omnes labefiunt, & inter omnes ſenſus tactus iam hebeſcit, vel nihil ſentiunt, & dicunt tales, quare acceditis ad me? iam ſum ſanus, & nihil prorſus patior, & hoc maximè proprium eſt in febre peſtilenti, & quanto magis accedunt ad intenſam febr. tanto minus ſe dicunt laborare ita ſunt obtuſi ſenſibus, ideo Hippocr. dicebat, qui in parte aliqua dolorem habent, & dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. ſi verò habent humores putrefactos, qui tendant ad naturam bilis, præter ſenſus interiores

teriores, & exteriores labefactatos, efficerentur furiosi: & volunt abiicere homines, & aliqui mordent, vt canes, insiliunt. Si verò putruerunt humores crassi, incidunt in cataphoram, & in subeth (vt isti dicunt) profundum. Quantum ad virtutem motiuam, non se mouere possunt, nisi moueantur, & semimortui vidētur, & ratio est quia spiritus animales, qui ascendunt à corde ad cerebrum, sunt obscuri, crassi, & putrefacti, præterea accedetis ad virtutem vitalem, quam statim vobis manifestabit pulsus, quia cordis virtute affecta deficit pulsus: hoc habito postmodum ad naturales virtutes accedetis, & tum videbitis quod egestiones corruptæ erunt, & fœtidæ, & sicuti oua diluta in aqua: hoc autē est, quia natura in concoquēdo deficit, aut quia virtus est malè affecta, cùm putredo magna adsit in corde: nam deficiente spiritu, & calore innato nō potest sequi bona cōcoctio: nam dicit Galenus in libello, quod animi mores sequūtur temperaturam corporis, quod calor innatus est, aut substantia animæ, aut proximum ipsius instrumentum: præterea in his febribus vix percipitur calor: dixi enim in principio, quod febris subiectū est calor innatus auctus, at in his quandoq; videbitis, quod vix percipitur ipse ca-

lor, adeò est debilitatus, nec vnquam videbitis calorem magnum in his febribus adesse ob nimiam putredinem, putridúmq; anhelitum, iste nempe est catalogus omniũ signorum in vniuersali harum febrium. Hactenus inuenta natura febrium pestilentium deuenimus ad signa, quoniam natura ægritudinum maxime internarum cognosci non potest, nisi per sua signa, & iam in discursu nostro expleuimus omnia signa febrium pestilentium in communi, & diuisimus signa consequentia species, de quibus etiam pertractare incepimus, sed quoniam signa sunt huius rationis, vt indicent aliquid, quod prius in animo conceptum erat, & prius cognitum, nam cùm alicubi fumum videmus ex eo iudicamus ignem, sciebamus enim hoc inesse igni, vt fumum efficiat cùm comburit aliquid: ideo dicebat Aristoteles primo libro rhetoricorum, quod signa particularia indicant vnum vniuersale, & propterea species febrium pestilentium inuestigabamus superius, inuenimus species distinctas à subiectis, vel terminis terminãtibus esse tres in vniuersum, deinde tertiam speciem diuisimus in hecticam simplicem & pestilentem, vbi de differentiis pestilentis febris loquuti sumus, & diximus aliã terminari in humoribus contentis,

tentis, in corde, aliam in ſubſtantia ipſius cordis: ſecunda diuiſio iſtarum febrium à cauſis efficientibus ſumebatur, quarũ cauſarum aliæ ſunt extrinſecæ, vt aer qui aliquando alteratur tantum ad calidum,& humidum, aliquando putreſcit ,& peſsimam febrem efficit,tunc enim aer acquiſiuit formam prorſus oppoſitam priſtinæ ſuæ formæ. Aliæ ſunt cauſæ efficientes intrinſecæ, non quia aer ſit alteratus ad calidum,& humidum,nec quod aer putridus ſit redditus. At in corpore tunc ſunt multi humores, adeò vt conſtipationem faciant in eo, qua genita deinde ſit putredo ab his humiditatibus,at in tanta quantitate,vt non putrida febris ſolùm,ſed peſtilens fiat, non ſolùm ij admiſcentur vapores cum cordis humoribus,imò & ſimul inficiũt cordis ſubſtantiã, & ſic febris iſta oritur à cauſa intrinſeca: at quandoque tam mali ſunt huiuſmodi vapores in corpore,quod intra quartum diem ægrum interficiũt, quemadmodum euenit de muliere domini Franciſci bonæ fidei,his diebus exactis,tanta fuit in ea putredo, & ſubita , vt non peruenerit ad quartum diem. Erat enim mulier craſſa, & humida multum,ac etiam vetula, non enim erat in ipſa tantũ caloris innati, vt reſiſtere aliquo modo poſſet tali putredini, imò putredo illa

illa statim peruenit ad cor, ita vt in quatuor horas ceciderit à sua virtute, simul cũ amissione pulsus: hoc autem fuit ob maximam putredinis multitudinem in corde, quia videtis quam maxime lætales huiusmodi febres sint. Et Galenus sexto de locis affectis inquit, has febres varias generari in corpore ob humores varios putridos, & sic istæ sunt febres intrinsecæ. Febres autem pestilentes, genitæ ab aere putrido dicuntur epidemicæ, hæ enim vniuersales sunt, sed minus sæuæ. Febres autem pestilentes genitæ à causa intrinseca, (& appellantur sporades, id est sparsim vagantes, de quibus loquitur Galenus primo de ratione victus cap. 9.) quidẽ sunt longè peiores aliis, quoniam cùm putrescunt humores in substantia cordis, tunc in corpore adest venenum, & hæc putredo est adeò vehemens, & magna, vt non egeat aliquo extrinseco, cùm intra corpus sit ipsamet putredo, & hæ febres pestilentes ab humoribus putridis in corpore, siue in corde, sunt diuersę, insequẽtes naturam humoris, qui putrescit in corpore: nam quandoq; febres pestilentes incipiunt à melancholia, quãdoq; à bile, quandoq; à pituita, aut à massa sanguinea, & hoc modo potest fieri multiplex, consequitur etiam quod egeat variis curationibus, nam

nam humores non æqualiter in corpore dominantur, vt vnus humor, (bilis puta) in corpore vno, alius in alio, primò ergo species istarum febrium est à subiecto terminante in contentis cordis, vt supradictum. His diuisionibus sic habitis iam omnia signa apparere incipiunt, superius enim iam attulimus signa secundũ totum genus harum febrium, pro quo notare debetis fundamentum hoc, scitis ex supradictis putredinem in corde esse harum febrium ideam, & propriam esse formam in his etiam, & perpetuo ad has cognoscendas à natura rei incipere debemus, & secundum Galenum semper sic procedẽdo, expediendo ab ipsa, alioquin semper errabitis, dum considerabitis putredinem in corde, statim sequi videbitis, quæ sint eius symptomata consideratis an putredo sit ab aere, & quomodo, & an non sit ab aere, postea inspicietis virtutes animales læsas cerebri, & an omnes sint læsæ, tam intra, quam extra cerebrum, & quia virtus motiua est animalis, videte an sit læsa, necne, præterea accedetis ad virtutem vitalem, quam statim manifestabit vobis ipse pulsus, quia cordis virtute affecta, tunc deficit. Hoc habito postmodum ad naturales virtutes accedes, & tunc videbis, quod egestiones sunt corruptæ, ac fœtidæ,

tidæ,& erunt quemadmodum oua in aqua illota. Hoc autem est quia natura in concoquendo, deficit, aut quia virtus est malè affecta cùm putredo in corde adsit magna, nam deficiente spiritu,& calore innato, non potest sequi bona concoctio. Ideò dicit Galenus in libro illo, quod animi mores sequātur corporis temperaturam, quod calor innatus est animæ substantia, vel instrumentum, præterea in his febribus vix pertingitur calor. Dixi à principio quod febrium subiectum erat calor innatus auctus, at in his videbitis quandoq; , quod vix percipitur ipse calor, adeò erit debilitatus, nec vnquam videbitis calorem magnum in his febribus adesse, ob nimiam putredinem, putridumque anhelitum. Iste nempe est catalogus omnium signorum in vniuersali omnium febrium pestilentium. Si enim considerabitis naturam ipsius rei, manifestè videbitis, quod in vnaquaque specie harum febrium est putredo in corde, nam obtinet naturam sui principatus, quicquid enim conuenit suæ speciei,& suo conuenit generi. Verum autem est quod aliquādo remissius, quandoq; intensius, secundum quod suus habitus erit deterior, vel mitior. Pariter & sua signa huiusmodi, quoniam vna harum febrium erit in cordis substan

ſubſtantia, alia verò in humoribus verſatur, cùm accedis ad ægrum maximè refert hoc habere, quoniam ſi putredo fuerit in ſubſtantia cordis, multus erit labor medico hoc dignoſcere, cùm igitur accedis ad ægrum laborantem cum putredine in corde, tunc enim videbis ſua ſigna eſſe huiuſmodi: primò iſte non videtur habere aliquam febrem, minimumq́ue calorem, præterea non videtur valde alteratum eſſe, nec multum loqui, deinde videtis in hoc ſignum colliquationis, egerit enim quoddam quod apparet de ouo in aqua diluto, ac fœtido, præterea circa præcordia calorem habet intentiſsimum. Si autem fuerit putredo in contentis ipſius cordis, tunc dicet iſte æger ſe habere febrem, & tunc ſcias ipſum habere putredinem in contentis cordi, s& pulſus non eſt adeò debilitatus, vt quando eſt putredo in ſubſtãtia cordis, eo quia tunc in toto eſt deperditus ipſe pulſus, nec aliquam ipſius qualitatem habet, cognoſcetis primò ex his quando feb. eſt in contentis cordis, præterea accedetis ad operationes animales, vt ſenſus, & intellectus, quæ tam intus quàm extra ſunt læſæ, & videtur eſſe phreneticus, cuius ratio eſt, quia multi vapores mali aſcendunt ad caput, imò patitur in eo ſomnium,

nium, deinde magnus est anhelitus in corde, quoniam in his virtus non est prorsus corrupta, postea percipitur calor circa pręcordia, postea si propè os ponas manum, exhalabit ab eo spiritus vt ignis, præterea si vos videbitis venas, hæ sunt conturbatæ valde, ac crassæ, quoniam omnes humores, ac totus sanguis ebullit, cùm putrescant, porro necessarium est si totus sanguis putrescit, & ebulliat, quod vrina sit conturbata, non autem lucida, ergo cum putredo fuerit in contentis cordis, tunc apparebit vrina turbida, & crassa, & cùm medici in his febribus, vident vrinas turbidas, statim aufugiunt: tamen clarum est hanc vrinam turbidam minus malam esse in febre pestilenti, quàm si fuerit clara, turbida dicit putredinem in humoribus cordis, mala quippe, non tamen adeo, vt quæ significat putredinem cordis. Mala quippe est, quia adest putredo in corde: præterea apparēt multæ maculæ, & hoc est altero duorum modorum, aut quia virtus est adeò debilitata, vt icores illos extra pellere nequeat, aut propellit eos, per excrementa scilicet feces, & per vrinam, hæc enim sunt signa indicantia, quandocunq; febris pestilens est, & putredo est, in contentis tantum cordis.

Si autem putredo fuerit in substantia cordis,

cordis,non est par causa & dispositio,quia vbi in substantia cordis, ex consequenti erit deterior putredo. Igitur signa erunt deteriora. Vnum erat aduertendum,quod ab hora intercepti determinare non potuimus de quo in præsenti lectione agemus. Notare debetis nos dixisse deteriorem esse dispositionem cùm putredo est in substantia cordis,quam cùm adest in humoribus, & hæc est Galeni sententia, tamen oppositum sentit conciliator differentia nonagesima quarta. Vbi inquit,cùm putredo est in spiritibus, longè deterior est ægritudo & dispositio,(& citat Auicennam secunda tertij)quàm cùm adest in substantia cordis,quoniam spiritus & contenta cordis est radix. Ego verò auctoritatem illam quam citat,nunquam memini me vidisse, neque credo quod posit inueniri, quia Auicenna id non dixisset,& si dixisset,falsum esset, quia est contra Galenum & rationem,spiritus & contenta cordis,se habent vt sanguis in hepate,si fuerit sanguis bonus, vel aquosus,vel non concoctus,omnis dependet à substantia hepatis,quæ si malè se habebit sanguis etiam talis erit,& non è contra,si sanguis malus erit, substantia hepatis male se habebit,quoniam potest ex mala coctione facta in ventriculo, fieri sanguis

 guis

guis malus,non vitio hepatis, imò hepar ratione propriæ naturę potuisset optimum sanguinem generare,ideò non potest imaginari,quod malè se habeat hepar,& sanguis fiat bonus,vt in hydropicis,& hepaticis ita præcise est in corde,nam vbi substantia cordis taliter fuerit affecta,spiritus bonos generare non poterit,si verò putredo fuerit in humoribus cordis,statim quod substantia cordis se habeat secundum naturam, omnes operationes cordis à substantia eius perueniunt:& Galenus in primo de differentiis feb.& tertio de prognosticis expul.inquit,vbi afficitur cordis substantia,illico virtus deficit:& laborans tali febre,nec maximum calorem,nec virtutem validam habet,quia statim cadit virtus,sed vbi fit putredo in humoribus cordis,stat virtus:quia in cordis substantia stat temperatura adhuc secundũ naturam,qualis autem est membri temperatura, tales sunt eius operationes: dicebat Galenus in libro quod animi mores &c.radix ergo est cordis substantia non spiritus,vt conciliator dicebat:satis igitur sit dictum de signis sequentibus febrem pestilentem,cùm fuerit putredo,in contentis cordis. Vbi verò putredo fit in substantia cordis,signa sunt præcipua. Primò ægri admirantur, vt diximus

ximus,non percipiunt, bene se valere dicunt. Omnes autem operationes extrinsecæ, secundum naturam se habere videntur, pulsus, calor carnis, & reliqua: vrinæ tenues, subtiles, lucidæ sunt. ita quod videtur ægritudinis contagium, & in hoc hæsitant medici: & quoniam dogmatici estis, rationem inuestigare oportet. Quare in febre pestilenti maximè, secundum naturam apparent pulsus, & calor. Moderni faciunt multas dubitationes super dictum Auicennæ cùm dixit, & vrina, & pulsus sunt secundum naturam, & calor non est mutatus à naturali, & tamen æger tendit ad mortem, & hæsitant medici in esse eius. Gentilis & reliqui dubitant quare sit, quod in his febribus, videtur esse secundum naturam, & pulsus, & vrina, & calor, quia nesciunt quod putredo sit firmata in substantia cordis, cùm apparent signa, non solùm indicant pestilentem febrem, sed eam in qua putredo est confirmata in substantia cordis, ideò dixerunt quod natura non audet aggredi materiam tam pernitiosam, sed ista ratio est indigna medico, & philosopho: quia quando dicunt hoc, faciunt quod virtutes naturales agant à proposito, quæ tamen & in corpore, & extra agunt necessariò. Agens enim natu-

ralis paſſo debito approximato, facit neceſſario actionem, non ergo debet dici natura non audet, ac ſi à propoſito natura noſtra ageret, fuerunt autem viri iſti perplexi in ratione reddenda, quia neſciuerunt principium, & fundamentum, nec quod in ſubſtantia cordis ſit confirmata putredo. Si enim hoc ſciuiſſent, ſcirent etiam cur hectici, & qui habent putredinem in ſubſtantia cordis, non propriam percipiunt ægritudinem: ratio eſt, quod ſtatim diſpoſitio hæc cùm ſit in ſubſtantia cordis, diffunditur per omnes corporis partes, & inde eſt, quod non percipiunt proprium nocumentum, quia putredo exiſtens in ſubſtantia corporis, æqualiter factam ponit diſpoſitionem per omnes corporis partes, dolor autem percipitur cùm inæqualis fit alteratio. quoniam vbi quid extraneum eſt à corpore percipitur, ſed vbi eſt ſimili modo non fit ſenſus, quia igitur facta eſt diſpoſitio æqualis per totum corpus, non amplius fit alteratio aliqua, ideo non percipitur nocumentum. Ratio cur vrina ſit ſecundum naturam, & pulſus non ſit alteratus, & calor in ſuperficie corporis ſit naturalis, eſt ſicut diuinè recitat Galenus, tertio de præſagiis ex pul. Vbicunq; in ſubſtantia cordis eſt putredo, ſtatim de

ficit

ficit virtus, calor innatus, & ſpiritus omnes, quoniam à cordis ſubſtãtia generantur, cũ enim ſit affecta eius ſubſtantia huiuſmodi affectionem, nec multitudo ſpirituum generatur, nec ſecundum qualitatem vt oportet: calor innatus pro ſubſtantia acceptus minuitur, quãtum verò ad qualitatem maior fit, ideo non poteſt diffundi calor per totum corpus, & cùm calor ad membra diſtribui non poſsit, frigida fiunt, & quantum ſit ex ſe frigida apparent, ſed quoniam quãto calor innatus imminuitur in ſubſtantia, tanto acuitur in qualitate, licet corpus calefacere nequeat ſecundum ſubſtantiam, ſecundum qualitatem calefacit, ideo apparet caliditas quædam in toto ſimilis naturali. Quia calor innatus eundem parit effectum, quem pareret ignis in aliqua re mortua, & ſi approximaretur igni, talẽ in ea calorem inducere poſſet, vt naturali ſimilis eſſet, idem facit innatus calor, qualitas eius diffuſa ad membrum frigefactum miſcetur, cum membrorum frigiditate, & ex his duobus ſimul iunctis fit quoddam tẽperamentũ, vt naturalis ille calor eſſe videatur.

Pulſus etiam eadem ratione non naturalem motum excedunt, quoniam virtus cùm ſit debilis, non poteſt arteriam aliquam ad magnitudinem debitam extende-

 re, ta

re, tamen extensionem facit, quia necessitas adest, ideo naturalis videtur pulsus: sunt tamen omnes violenti: & hæ sunt causę, quare & pulsus, & calor secundũ naturã apparent.

Quare autem vrina secundum naturam appareat, ratio est, quoniam cũ natura debilis sit, excrementa per vrinam expellere non potest, ideo subtilis permanet, quia nihil de excremẽtis in ea permiscetur: impotens autem ideo est, quoniam putredo confirmata est in substantia corporis: & dicebat Galenus quod medici periti has non cognoscebant febres, cũ tamen ab imperitis cognoscerentur, quoniam anhelitũ odorabant, & ex odore malo, & fœtore huiusmodi febres cognoscebãt, & inquit, omnes qui sua tempestate ægritudinem propriam non percipiebant, moriebantur, & ideò cùm & vos hæc videbitis, non timeatis, & saltem cum protestatione honorem vestrum seruabitis, poteritis igitur eas cognoscere tum quia affectus tali febre pestilenti, ex putredine confirmata in substantia cordis, collum erigere non possunt, oculos veluti demoniaci, & turbidos habent, toruo quidem aspectu respiciunt, adustionem & spirituum paucitatem patiuntur, habent præterea faciem Hippocraticam, & sine pudore decumbunt, etiam quod sint mulieres ca

stę, cor

stæ, coram omnibus culcitram eleuant, & pudenda ostendunt, & quod pudorem, & omnes animi operationes amiserunt,& vos hæc scietis,reliqui minimè, quia non erunt imbuti doctrina Hippocatica, & Galeni, & vbi hæc scieritis, non modò feb. hanc esse pestilentem cognoscetis, sed esse ex eo genere, quod putrefactos habet in substantia cordis: præterea vbi hæc videbitis non expectabitis maculas illas, quæ vulgo petechiæ appellantur: quia quando apparent huiusmodi maculæ, hoc est propter fortitudinem virtutis expellentis, cùm verò non apparent, vel virtus adeò debilis est, vt non possit expellere, vel adeò fortis, vt aliunde transmittat materiam, vel per vrinam, vel per alia expulsionis loca: aliquando etiam videbitis maculas, cùm materia plurima erit extra venas prope cutim, quæ citò dissoluuntur,& erunt subnigræ, plerunque tamen non apparent,sed post mortem magna quidem macula nigra circa dorsum apparet,vt si quis fustibus esset cæsus,vel ab alto cecidisset: & ratio est, quia vbi est mortificatio virtutis, sanguis qui est in extima parte corporis aduritur, & crasefactus apparet, & sic fiunt maculæ illæ, & illa signa subnigra. & ita satisfactum sit primæ diuisioni,quæ sumebatur secundum subiectum

 termi

terminãs. Reliqua modo sunt facilia. Nam quæcunque feb. pestilentes à causis efficientibus extrinsecis, ab aere potissimum fiunt, & potissimum calido, & humido, & turbulento. Tunc facillima sunt signa, percipietis quotidie austros spirantes, & eas febr. vagari, & esse epidemicas: si vere fiant propter putredinem in aere, veram deprehenditis putredinem, ex hoc, quoniam non solùm homines moriuntur, sed etiam vegetabilia, plantæ, herbæ, arbores, & animalia bruta, sed raro hoc euenit, sicut fuit tempore Thucididis, de qua lucretius carminibus cecinit, vbi corpora sepeliri non potuerunt: quia ille qui sepeliebat simul commoriebatur, & duo aut tres aliquando, ideo corpora insepulta remanebant, quoniam nullus sepelire audebat, igitur vbi erit tanta putredo, ob horrendas mortes cognoscetis eam. Quæcunque verò à causis intrinsecis fiunt, à multitudine deprauatorum humorum oriuntur, qui putrescunt, & putredo ascendens ad cor facit eas pestilentes febres, hanc ab intrinseca causa cognoscetis peruenire, primò propter causarum remotionem extrinsecarum; vbi in aere non fuerit talis dispositio, signũ est quod ex intrinsecis causam habent, quæ est plurima humorum putridorum aggregatio. potest etiam ex

ciborum

ciborum copia causari, cùm ad putredinem reducuntur, quoniam ex aggregatione plurima ciborũ mali humores geniti sunt, qui putrefacti febrem faciunt pestilentem, præterea audietis ab infirmo aggregauisse humores malos, ex malo regimine, ex vrinis, ex ægestionibus, ex pulsus inæqualitate, hęc enim omnia plenitudinem ostendũt, & hæc de signis, quæ à causis intrinsecis efficientibus sumuntur. Signa autem quæ humores indicant, qui à principio putrescunt sunt hæc. si fuerit principium in bile, & bilis dominiũ fuerit in corpore, erit quidem continua febr. sed paroxysmi de tertio in tertium exacerbabunt, si pituita quotidie, si melancholia, de quarto in quartum, si massa sanguinis febr. erit continua, sine aliqua exacerbatione prorsus, vel compressa, vel incompressa, & ita ex typis, & modis inuadendi scietis febris naturam, & hæc satis de omnibus signis indicantibus has febres. Hactenus de signis portendentibus pestilẽtem febrem, antequam accedat diximus, & totum indicantibus genus, & species specialissimas. De signis autem portendẽtibus salutem, vel mortem dicendum est.

Debetis domini in hac re esse prudentes, an ad salutem, vel mortem terminetur ægritudo: inter reliqua vbi ad ægros accedetis,

ſi tranſierit quarta dies à principio putrefa-ctionis iam confirmatæ in corde, & non moritur, nec mortis ſigna habet, ſed aliqua habent indicantia ſalutem, prænunciabitis quod euadet, ſi rectè curabitur, & ſigna erunt, ſi in fecibus ſigna concoctionis apparebũt, dixi in fecibus, quoniam ex his potiſſimè hauriri debent: quia proprium & inſeparabile ſignum febr. peſtilentis eſt colliquatio, ſi etiam vſq; ad vndecimum apparebunt, idem fiet iudicium: & ſi circa quartum, vel ſeptimum tangendo pulſum. Videtis quod virtus ſtat, aut augetur, præterea animales operationes vegetiores ſunt, indicabunt ſalutem: ſi verò contrarium, & vos contrarium iudicabitis, & quoniam non tantum circa ſeptimum, ſed circa decimum quartum plerunque non habent ſigna de quibus curandum ſit, poſtea moriuntur ægri. hoc contingit quoniam à ſeipſis contingunt febres, quæ non ſunt peſtilentes à principio, ſed veræ putridæ, & aſcẽdunt vapores putridi ad cor & ponunt humores cordis in calefacto eſſe, & pertranſeunt decimum quartum, & quandoque viginti dies, poſtea computreſcunt cordis humores, vel ob curantis negligentiam, aut infirmi, vel ob materiæ multitudinem exiſtẽtis in corpore humano, fit tanta putredo vt fiat febr.

peſtilens

pestilens tempore augmenti multi,etiam perplures dies habent tertianam febr. qui postea incidunt in febrem pestilentem : vbi igitur ex istis signis deprehendetis veram putredinem non transibunt quatuor, vel quinque dies quin mortis signa, vel salutis percipietis: & Auic. vbi loquitur de febris pestilentis curatione, inquit, & in principio incipiatis statim ab euacuatione, & quare? quia ista ægritudo nõ dat indutias, ideo dicebat in cap. de Variolis, si transit quarta, nõ erit amplius intentio, & loquitur de Variolis virorum, quia docet vt fiat phlebotomia, & sæua habent accidentia, quæ non cõtingunt in pueris, quoniam si pertransit quartam, vel ad salutem, vel ad mortem tendit, si ad salutem, & natura per crisim ad cutim Variolos transmittit, tunc sanguinem mittere non debetis, si signa mortis apparebunt tunc non est amplius intẽtio, & hæc de signis salutem, vel mortem portẽdentibus.

His visis ad curationem pestilentis febris accedere debetis, cùm adest, sed quoniam prudentis medici munus est prouidere antequam eueniant, ideo prius quomodo præseruandi sint amici vestri, & vosmetipsi, saltem ne incurratis docebimus : quoniã opus laudabilius est prę seruare quã curare. Domini si videtis modernos, tot canones legetis, quos

quos præmittunt, vt præſeruent, quod vos interficient. Nos verò ſi attendatis facillimam dabimus artem præſeruandi, & viam, à rei natura cuius gratia agimus rectè proſpecta, deſumpta, natura autem iſtarum feb. peſt (ſicut reliqua omnia quæ generantur) talis eſt, quod cauſas habet efficientes, & ſubiectum in quo fit ſua affectio, & poſtea eſt affectus apparens, hæc tria ſunt in omni generatione, non eſt mirum ſi etiam hæc tria ſint in generatione feb. peſtil. Cauſæ verò harum efficientes, quædam extrinſecæ vt aer, cibus, potus, & venenum, quædam intrinſecæ vt humorum copia, ſubiectum quod proximè recipit impreſsionem eſt cor, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue cordis humores, affectus eſt putredo in corde, ſunt poſtea accidentia ſequentia, certum eſt enim ex rei natura ſi volumus præſeruare corpus ne incidat in febrem peſtilentem, oportet cauſas efficientes remouere, & ſubiectum præparare, quod prius paratum eſt ad ſuſcipiẽdam impreſsionem, vt ſe habeat oppoſito modo, fiatq; robuſtum, vt cauſæ reſiſtat validiſsimè: ſi hæc duo fient proculdubio effectus prohibetur, id eſt putredo de neceſitate. Remouere ergo cauſas efficientes debemus, & præparare ſubiectum: inter cauſas efficientes extrinſecas, peſsima omnium eſt aer,

aer, vt ſi calidus, & humidus ſit (vt ſemper eſſe debet vt fiat febris peſtilens) & putrefactus. Nec credatis modernis qui credunt à qualibet alteratione, & aëris exceſſu, fieri febrem peſtilentem poſſe, quoniam cæcutiunt, bene fiunt epidemicæ ægritudines anginæ, pleuritides, febres tertianæ dyſenteriæ, ac variæ ægritudines pro exceſſus ratione, ſed nulla harum epidemiarum eſt febris peſtilens, quæ à multa generatur putredine (in cordis humoribus, vel in ſubſtãtia cordis,) quæ fit ab aëre calido, & humido, ſed præcipue ab humido, vbi calidum ſuperat. Vbi enim aër redundat humiditate, eſt etiã turbulentia: quia dicebat Galenus nono therap. & Ariſt. quarto meteor. quod omnis putredo fit à calido. & humido. Præſeruatio ergo eſt vbi reficietis aërẽ, & duę ſunt vię, (& hic videtis in quot vitiis, & erroribus moderni verſentur.) Altera eſt fugere aërem, altera contemperare, & rectificare ipſum, ſed in fuga nulla eſt ars, ſed vſus pedum, & hoc non eſt dicendum, ſed circa fugam vnum eſt ridiculum Nicolini Florentini, qui ex ſuorum maiorum ductus experientia, inquit, ſi quis aërem peſtilentem fugere debet, & calidum, & humidum vt præſeruet ſe, oportet vt ſtatim fugam arripiat, & faciat id quod non poterit

terit, si diutius permanserit: hactenus bene dixit, subiungit, quoniam si voluerit discedere postquam diu permanserit in aëre pestilenti, cùm erit in aëre salubri incidet in febrem pestilentem, & ideo tutius permanebit in aëre pestifero. Et adducit experientias. Domini dico quod hæc falsa sunt, & erronea: & quantum ad experientiam dico, quod si quis hoc vidit, hoc fuit casu quia iam erat prauis humoribus plenus & infectus, & incidit in febrim, præterea omnes nesciunt experiri, vt docet Galenus secundo de facult. med. & in quinto, & in experiendo multi errores committuntur, & ideo fallax fuit, & ridicula experientia. Assignat rationem Nicolus, & dicit. Vbi erit in aëre pestifero, natura non audet aggredi illos humores, existentes in corpore, quia timebat facere hoc, cognoscebat enim aërem, & dicebat, si tento pugnam, aërem habeo inimicum, sed postquam discessit, & accessit in aërem salubrem, cùm nõ habet hostem extrinsecum aggreditur hostem intrinsecum, & inquit tu es his? interficiam te, & tunc humores pestiferi qui latitabant violenter insurgunt, & ægros interficiunt.

In præcedenti lectione cùm loqueremur de febribus pestilentibus, quæ fiunt propter putredinem in corde, vnum dereliquimus, quod

quod erat dicendum: ille enim febres hecticæ dicũtur, & hecticarum symptomata habent, at non ostendimus cur dicerentur hecticæ quod erat ostendendum, & licet id dicat Galenus in tertio de præsagiis ex pulsu, huius tamen rationem audire debetis. Nemini dubium est, quod quemadmodum ratio formalis hecticarum est, vt calor præter naturam sit in substantia cordis, ita vbi erit hæc ratio formalis, ibi etiam hectica erit: At iam ostendimus quod putredo in istis febribus pestilentibus est in substantia cordis, & calor præter naturam in ipsa est in facto esse, ideo ibi est hectica, cui enim competit definitio, competit & definitum: hoc ita dictum sit: sed hoc non est quod volebamus dicere, sed aliud notatu dignum. Debetis scire quod febris hecticæ plures sunt gradus: primus vbi humidum alititeum cõsumitur: secundus vbi incipit consumi: humidum substantificũ: tertius gradus vbi calor consumpserit humiditatẽ illã substãtificã, & fiunt mẽbra veluti carbones, hæcq; marasmus, seu tabes appellatur, quod igitur in hecticis simplicibus contingit, idẽ prorsus cõtingit in his febribus ex cordis putredine ortis, & scire debetis, quod finis omnis hecticę est exiccatio, primo substãtię cordis, & cõsequẽter toti⁹ corporis, cũ ergo iste sit hectica

rum

rum finis, in his pestilentibus etiam erit circa quem motum exiccationis scire debetis vnumquodque in natura posse dupliciter exiccari, vel ob putredinem, vel ob eam, quæ paulatim fit exiccationem, exemplum de pomo, potest amittere proprium humidum, vel quia paulatim exiccatur à calore extrinseco, adeò vt paucis diebus appareat tabidum, absque putredine, vt etiam conseruari possit per decem annos sicut etiã corpora ea, ex quibus fit mumia. Alio modo fit exiccatio propter veram putredinem, intelligo per veram putredinem cúm calor extrinsecus confertim attrahit totum humidum à subiecto, & dum putrescit fœtet etiam, ideo qui patiuntur febrem pestilentem: ex cordis putredine habent anhelitum fœtentem: hecticæ illæ simplices de quibus in principio lectionis sumus locuti, habẽt exiccationem primo modo dictam, quoniam in illis nõ adest putredo, sed paulatim aucto calore, & facto igneo paulatim accenditur, & exiccatur, & per consequens totum corpus, & hanc tabem Aristot. annotauit quarto meteor. quam auansi appellat: in febre autem pestilenti fit exiccatio secundo modo dicta, propter putredinem, & ex hoc sequitur, quod citius tabescit corpus patiens pestilentem febrẽ, quàm ex he-

ctica

ctica simplici. Imò in quatuor tantum diebus adeò exiccatur corpus, vt ossa tantum relinquantur, & tunc cum ita exiccantur, subito moriũtur. cùm verò deuenerit exiccatio solummodo ad medium, & virtute medici cesset, & consumpta sit pars solummodo humidi, sanantur ægri, sed nõ redeũt ad pristinam sanitatem, nec amplius sunt, quales erant, pro parte tabe affecta cordis substantia, præcipuè si senes fuerint, si verò putredo arefaciens non peruenerit, nisi ad humidum substantificum, & fuerit iuuenis, poterit sanari, & ad pristinum statum redire, omnes tamen vix possunt refici, & non nisi in maximo temporis interuallo: videmus igitur iam expressè quod idem indicium est de his hecticis, sicut de reliquis, & sicut simplices hecticæ, cùm habẽt calorem in humido radicali tantum, facilè curantur, cùm verò fuerit in humido substantifico, difficilius curam admittunt: si verò consumpta fuerit humiditas radicalis, curari non possunt, ideo non est differentia inter hecticas simplices, & istas, nisi quod illa paulatim fit, hæc subito, & hoc est quod dicere intendebamus. His igitur prætermissis, si rectè meministis, eramus in præseruatione à febre pestilenti, & quoniam si præseruare vultis eas, remouere oportet

causas, quæ facere possunt febrem, & disponere subiectum, quod recipit earum dispositionem, vt non idoneum reddatur, ad earum effectus suscipiendum : circa hæc duo versari debetis. istis propositis docere inceperamus quemadmodum causæ remoueri deberent, & quia potissima causa est aer occurrens, vt diximus, nisi sit calidus, & humidus, & putridus, febrem pestilentem non inducere potest, imò à modernorum erroribus caueatis, qui dicunt ab omni intemperie aeris causari posse : causa erroris fuit, quia epidemicos morbos connumerauerunt, qui ab omni alteratione possunt fieri, cùm igitur non distinxissent hos epidemicos morbos à pestilentia, quæ fit à putredine in corde existente, hallucinati sunt, & hoc fieri non potest (ab aere) nisi in aere sit calor cum multa humiditate, vel putridus : circa hoc diximus si causas remouere vultis, non quidem artificiose, sed sine arte arripere fugam, saluberrimum est remedium, cùm tantummodo vsus pedum oportunus sit. Aduertebamus modernorum errorem vt supra, mordebamus eos, qui dicebant naturam non attentare morbum vno tempore, in alio verò attentare, & tempora eligere. Circa hanc partem notetis Domini, aliqui scholares dubitarunt quomodo

modo sit verum dictum meum, quod attentare vno tempore, & in alio non, hoc autem non fit, nisi cùm imaginatione, facultates autem naturales sunt prorsus sine imaginatione. Quod autem nō posit quispiam fugere, aut nō fugere sine imaginatione osten dit Arist. de cauda lacertæ, quæ non extenditur in deliciis, nec in dolore contrahitur, vt nocumentum aufugiat, nisi vna sit imaginatio, & in plātis sunt virtutes naturales, quæ nec sensum, neq; imaginationē habēt.

Possunt isti habere huiusmodi motiuū. Tu dicis actiones naturales in humano corpore, secundum naturam agere. Contra. Quodcunque agens à vera forma naturali non agit, nisi secundum vnum modum, exempli gratia, id quod mouetur sursum, vel deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, ergo istæ actiones nō sunt cōuenientes actionibus consequentibus formas naturales. Præterea non tantum trahunt, sed electiue trahunt, nónne virtutem attractiuam videmus vnum eligere, & non alterum? electio cognitionem præsupponit, præterea nónne videmus quod omnes reliquæ actiones naturales in infinitum agunt? & nunquam terminātur donec subiectum habeāt, vt ignis tātum comburit, donec subiectum obtineat, sed actiones naturales in corpore

 cessant,

cessant, vbi acquisiuerint naturalē formam ergo habent electionem, & agēdi rationem.

Istæ rationes validissimæ videntur, sed nullæ sunt, & ostendunt nihil percepisse ex luce Hippocrat. & Galeni, est etiam vna alia ratio, quia imbuti sunt in diuersis rationibus suis, opinionibus & erroribus maximis scatentibus. Nos diximus quod nulla naturalis facultas, existens in humano corpore agit magis in vno tempore, quàm in alio, præterea agit quod potest semper, nisi sit impedita, & sine electione, agit, & quantum potest: & hæc sit vera, & firma conditio, sed notetis quod aliud est agere à proposito, aliud secundum electionem, scimus naturales facultates agere à proposito: quia ad certum finem agunt, sed semper vno agunt modo, neque eligant, sicut quæ cum electione consulunt de meliori, & deteriori, vt appetitus, & voluntas, quoniam hæc attinent ad sensus, conclusio ista declarari non potest, nisi sciatis quæ Galenus ostendit in tribus libris de facultatibus naturalibus, vbi voluit hos extirpare errores, & ostendit quatuor esse virtutes quæ diuersas operationes agunt, & concinunt, tanquam chorus & harmonia, & succedit alteri altera, & correspondent, & nunquam cessant quod efficere nata sunt. Attractiua

ua ſemper attrahit, idem facit retentiua, bene in membris fit diuerſa attractio pro membrorum diuerſitate. Retentiua retinet, quod attractum eſt, & retinet quantum poteſt, & non ſecundum cognitionem, ſed ſecundum proprietatem inſitam à natura. Concoctiua concoquit quantum poteſt, non quia cognoſcat, ſed à forma ſua naturali inſita. Expulſiua quantum poteſt expellit, per formam, & virtutem inſitam, non autem ſecundum cognitionem nociuum in plantis expellit, præterea nónne ſunt tales virtutes, in quibus non eſt ſenſus? ergo nec imaginatio, ideo nec cognitio, & propterea realiter agunt, & omnes operationes iſtas faciunt, ſi igitur has virtutes in humano corpore eſſe ſupponimus, vt inquit Galenus in libro de fœtus formatione, & eaſdem in animalibus, & in plantis eſſe, & Ariſtot. idem in ſecundo de anima ait, cùm potentiæ, ſicut in potentia ſunt ad ſecundas, neceſſarium eſt dicere, quod ſicut illæ, ſic iſtæ agunt ſecundum naturam. Ad obiecta verò in contrarium quando dicunt facultates naturales agere ſecundum vnum modum tantum. Facultates verò animæ agere ſecundum diuerſum modum. Dicimus quod iſte eſt finis naturalis, non quod cognitionem ha-

beat, cùm dicunt facultates animæ attrahere, quòd sibi conuenit, & respuere quòd non conuenit. Hic non est electio propriè dicta, quæ præsupponat sensum, & cognitionem, sed ratione propriæ formæ trahunt, quoniam si crederetis quod traherent ad diuersas positiones, dicerem electio est, quæ fit secundum sensum, non autem secundum formam. Diceris etiam quod magnes & pharmacum electiue trahens cognitionem habeat, cùm tamen Galenus, in secundo de facultat. naturalibus, tertio de temperamentis in de facultate purg. medic. probat pharmacum, cùm in ventriculo sit trahere secundum omnes differentias positionis, imò eligere & trahere, quòd sibi proprium est, & aliud trahit bilem, aliud pituitam, si dicas ergo quæ electiuè trahunt habent cognitionem, pharmacum, & magnes habebit cognitionem, sed sicut magnes & pharmacum trahunt ad se alterum, quòd est ferrum, & pharmacum humorem sibi congruum, quantum potest ad se attrahit, & quando potest, & nunquam ab operatione cessat nisi impediatur, cùm verò cessat, hoc est, quia vel debile, vel quia non habet obiectum propriũ, vel erit æger id est, impeditum, sicut dicunt isti. si allio illinietur magnes non trahit, imò sicut absurdum

est

est dicere de his quod per cognitionẽ trahunt, ita etiam de his facultatibus dicendũ est. Præterea concoctiones in hominibus, & in plantis fiunt, plantæ enim concoquunt, & suas operationes faciunt, quousque deduxerunt fructus ad certam formam, & sicut absurdum est dicere plantas aliquãdo concoquere, aliquando non, per cognitionem quam habent, itidem absurdum est dicere facultates in hominibus aliquãdo hoc audere, aliquando non, nisi forte (vt diximus) impediatur, & licet dici soleat à poëtis, hyeme nõ audent plantæ folia emittere, & prata rident, metaphorice dictum est, sed cur in frigore folia non emittunt, est ratio philosophica, quoniam frigus contrariatur calori, & calor frigori, vbi ergo est frigiditas in vere, nõ fiunt generationes, quia frigiditas penetrat in meatibus arborũ, & cõstringuntur meatus, & pori, & calor naturalis arborum concentratur ad profundum, quia contrarium pellit cõtrarium, cùm ergo calor concentratur pori obstruuntur, non potest autem naturalis calor penetrare, & dilatare, & humidum prolificum trahere, sed si caliditas aeris accedit, tunc pori dilatantur, illis dilatatis, calor naturalis adiutus à calore extrinseco dilatatur, & humidum trahit prolificum, & iam folia & fructus

generari incipiunt. In proposito igitur nostro vbicunque humores fuerint in venis, vel meatibus, & in reliquis partibus corporis calor naturalis aggrauatur ab huiusmodi humoribus aduersis, & sicut insitum est omnibus naturalibus quod contrarium, pellat contrarium, calor naturalis contrahitur, & concentratur, & fortior in seipso fit, sicut flamma in aere frigido, dum occurrerit frigido aeri, contrahitur in se, non quia fugiat pugnam, & cogatur, sed quia à natura insitum est, vt contrarium auertatur suo contrario, & dum rediit in seipso fit fortior, & insurgit denuo, & fit pugna donec, vel superet omnino frigiditatem, vel ipse superetur, & suffocetur. Ideo siue fuerint humores in venis, siue in aliqua corporis parte, retrahitur calor fugiens contrarium, quærit autem agendi materiam, nec ab opere cessat, donec vel humorem vincat, vel suffocetur, & extinguatur. Nec dices id tunc fuisse factum à proposito, vt suffocetur, sed necessariò, similiter arteriarũ motus, in assumpto veneno frigido nunquam cessat, donec interficiatur, quia tunc interficit venenum frigidum, cùm attrahitur ab arteriis ad cor, & cogitur ita facere, non per cognitionem, quia si cognosceret, non quæreret sui interitum, aggreditur

tur igitur natura humorem necessariò, & licet concentretur sæpe calor, ac sæpe rediens, vel vincit, vel vincitur, nec desinit, donec alterum duorum necessariò sequatur, & omnes isti sunt motus naturales. Ideo dicere non debetis, quod naturales facultates aliquando agant, aliquãdo non, & si videtis aliquando, quod coctio non fiat in corpore humano, est quià debiliter operatur, ita quod ab extrinseco non percipitur agit tamen, sed debiliter, vel propter, maximam resistentiam, quam habet ex parte obiecti, vel quia debilis, ita vt operationem agere non possit sensibiliter, & tarde, tamen agit, cuius signum est, quod vel coctiones in aliquibus diebus apparebunt, vel natura superabitur, bene verum est, quod calor magis agit in vno tempore, quàm in alio, & in alio loco magis quàm in alio: non quia eligat, sed quia locus calidus, vel regio calida, vel tempus anni calidum adiuuat, vt in vere, vel æstate, vbi motus fit breuior, hyeme verò tardior, & in regione frigida, hoc non est: quia calor eligat facere magis in hoc, quàm in alio, sed quia adiuuatur à calore extrinseco, & hoc modo fortior est eorum virtus, à fortiori autem actione septimo physicorum, & à resistentia maiori, vel minori, fiunt actiones tar-

 diores

diores, vel breuiores. Imò cùm dicunt isti, homo sanus recedens à loco pestifero, si accedit ad locum sanum interficitur à pestilentia, hoc euenit ex ignorantia principiorum: quare non est mirum, si conclusiones etiam ignorant. Fortasse hoc euenit, quia dum vir ille erat in loco pestifero multos habebat humores & quietos, & malos, & natura aggreditur illos, & paulatim, quia plurima est resistentia, ex parte passi, ideo confertim agere non potest, sed paulatim & occulte fiunt actiones, & vir ille non est infirmus, quia natura debiliter agit, & humores quieti sunt, nec adhuc putrefacti: est tamen dispositus, vt infirmetur, in isto termino constitutus fugit, in fuga agitatur, tum ex itinere, tum ex motu, & potest accedere ad locum calidum: & maior etiam fiet agitatio: humores illi qui parati erant ad putredinem, dum quieti erant nullum inferebant incommodum, cùm agitantur, calor naturalis innatus retrocedit, qui fugit suum contrarium: humores illi calefacti & attenuati propter calorem, præcipitantur ad cor, & putrescunt, cùm verò putruerunt infirmatur homo ille, causa ergo quod infirmetur in aere salubri, non est ea, quam isti assignant, quia videlicet aufugerit tūc, cùm aliquam moram fecisset in aere pestifero,

fero, in quo id prius natura non audebat, audet tunc, sed cùm ita humores huiusmodi in aere salubri agitantur in fuga, & post talem agitationẽ putrescunt, facta putredine in loco etiã sano infirmantur, & moriuntur homines, quoniam dicebat Hippoc. in primo de regimine acut. plures moriũtur à causis intrinsecis, quàm ab extrinsecis, ideo nõ est ratio, quia tũc natura audet, & prius non audebat, & ista satis sint de illa quæstione, quam ooportebat rectè dilucidare.

Dicebamus heri (redeundo ad propositum nostrum) quomodo aerem pestilentem euitare possitis, & duos commodos docuimus modos, Alter erat fuga, alter aeris rectificatio de fuga diximus, nunc superest, vt de rectificatione aeris dicamus, rectificatio proculdubio fiet cum suis oppositis. Aer est calidus, & humidus, quia humiditas est mater putredinis, debet ergo exsiccari. Ideo bene dicebat Auicenna: summa curationis est in feb. pestil. exsiccatio. Quoniam febres istæ à maxima pendent putredine, nihil autem melius, & citius putredinem curat, quàm exsiccatio. Quomodo autem fieri debeat, si possitis facere sicut Hipp. fecit, qui iussit vt nemora comburerent, & suffumigia fierẽt, ex lignis odoratissimis, ad exsiccandum aerẽ, & ita prohibuit

hibuit pestem in Græcia, optimum esset, vt & vos idem faceretis, vt tota regio rectificaretur, & præseruaretur cùm suffumigiis huiusmodi iam dictis, & maximos accederetis ignes, sed quoniam vires vestræ ad id non suppetunt, nec estis eius auctoritatis, vt tantam regionem præseruare valeatis, saltem priuatim aerem rectificare debetis, & vobis ipsis, ac amicis consulere, ac eligere ea quæ exsiccant potentissimè, vt sunt suffumigia ex ladano mastiche, ex amoniaco timiamate, ex myrrha, stirace, cancamo, sed quoniam sermo incidit de cancamo, oportet vt sciatis quid sit, quidam dicunt cancamũ esse id quod vulgari lingua apud medicos lacca appellãt, sed error est, & maximus, & aliud est lacca, aliud cancamum, prout patebit inspicienti caput de cancamo apud Dioscor. & Plinium, cancamum odoratissimum est, lacca non habet odoré, sicut cancamum antiquorũ, crederem ego Belzuinum esse cancamum, & si legeritis quæ de cancamo dicuntur apud antiquos, maximè consentire videbitis Belzuino nostro: sed easdem proprietates habet, & quoniam mirrhæ assimilatur, nonnulli Belzuinum esse mirrham crediderunt, de cepti similitudine. sed de cancamo satis, nunc ad id vnde oratio nostra defluxerat, redeamus: si igi

si igitur non tantùm caliditas & humiditas in aere fuerint impressæ, sed fuerit superaddita putredo, sicut etiam aqua plerunq; putrescit, (semper de vera putredine loquendo) ratione cuius putredinis deterrima fiet febris, si hoc inquam occurrat, quibus remediis erit occurrendum? cum contrariis, valde exsiccantibus, vt vera fiat exsiccatio, nec remedia mutentur, cum caliditas & humiditas (vt Galeni & Arist. est sententia) sit origo omnis putredinis, ergo cùm facta est nullo præsentaneo magis occurrimus remedio, quàm refrigeratione, & exsiccatione, sicut etiam ad putredinem prohibendam in carnibus, & in reliquis remedium idoneum est, exsiccatio, & refrigeratio, ideo carnes in aceto maximè præseruantur: exsiccatio autem ea est, quę præseruat, siue sal, siue acetum, siue mel, siue aloe fuerit, ea valde exsiccant, & præseruant à putredine, cùm humiditas sit putredinis mater. Ideo in aeris putredine validissimis exsiccantibus vti debetis, & inter reliqua, medici dixerunt sicut Rasis refert, altith. esse remedium commodissimum, ad remouendam putredinem aeris, & dixerunt medici illi, qui recitantur à Rasi, quod omnes qui vsi sint altith. sunt à putredine præseruati, & ait non tantùm commodum esse, vt ex eo fiant euapora

porationes, sed vt bibatur, erat autē altith. vt ait Rasis, tertio diuisionum cap. 49. assa dulcis, quod Græci lassarem appellant, aromatarij nostri assam habent quam fœtidam appellant, quæ nihil aliud est, nisi lasser putrefactum. Nos caremus (medicorum negligentia) hoc tam celebrato remedio, licet in Lybia, frequentissimus sit, nascitur autem in Cyrene Aphricæ oppido, & ideo ὀπὸς κυρηναϊκὸς appellatur lasser, ergo celebratur maximè ab illis medicis, & præfertur in exsiccando, & Galenus de succo cyrenaico inquit, quod præstantissimus est inter omnia exsiccantia, si verum est quod nos vltima exsiccatione indigemus, in putredine aeris, verum erit quod lasser præfertur omnibus reliquis, quæcunq; etiam validissimè exsiccant, ad eundem vsum commodissima erunt. In hac aeris rectificatione vnum notare debetis, in quo medici plurimum errant, in præseruatione à pest. Vbi enim aer qualitate peccat calida, & humida, vel putredine vbi inquam aerem vident, ita præparatam victus rationem immutant, & vbi erant soliti homines affatim comedere, iubent vt cibis vtantur facilis coctionis, sæpissime se purgent, & iam errant, quia vbi aer peccat ibi est id maximum discrimen, & ratio est, quia vel decli

declinatis ad tenuiorem victum, vel ad pleniorem, si ad tenuiorem, rarescit habitus, & laxior fit, propterea ex huiusmodi raritate habitus, & minutione cibi, virtutes nostrum corpus regentes minorantur. vbi autem minoratis & rarefacietis corpus, maximè præparatis ad suscipiendum malas aeris impressiones, & aer per poros inspiratus, per anhelitum, per arterias, & venas peruenit ad cor, & quia putridus est, sanguinem & spiritus putrefacit, & quia virtus diminuta est ex cibi minoratione, corpus non ita resistit: & ita cauere debetis, ne ita temere declinetis ad victum huiusmodi tenuem, bene si sensim possitis facere sine maxima mutatione, liceret, sed caute, si verò pleniori vtuntur cibo, auctoritate Auicennæ dicentis, & iubeant multum comedere, quia virtutes corroborantur, virtutibus corroboratis valide resistēt, & non infirmabuntur. Caueatis quia ex plurimo cibo humores infarciuntur, & fiunt obstructiones, ex obstructionibus putredo, & aer putredinem adiuuat, ideo non est mutanda ratio victus, nec ad tenuiorem, nec ad pleniorem, sed in solito victu manere oportet, lætari, nec mutari in re venerea, nec ad forte exercitium transire. Hæc erant consideranda, quo ad causæ efficientis

cientis remotionem, respectu aeris, circa cibum & potum facillima est rectificatio, si erit cibus, & potus putrefactus, remouendus, si venenum assumpsit occurrendum est ipsi sic, & in reliquis causis agendum, id est humores deprauatos expurgare, & illos remouere, vt sanguis cùm eius missione curandum, si alij humores, cũ medicinis purgantibus, & euacuantibus. Si verò temperatura sua, vt sanguinea, quæ est apta admodum ad putredinem recipiendam, vt in huiusmodi febrem pestilentem incidant, caliditatem eorum refrenare debetis, nõ omissa siccitate, nam caliditas adiuuatur ab humido intrinsecus inspirato, faciens putredinem, si frigidæ, & humidæ fuerit temperaturæ eum dimittere oportet, & conseruare, hæc sunt aduertenda ab optimo medico. In euacuando modo corpora non confertim euacuare debetis, etiam si cacochymia, & deprauati humores adsint, exempli gratia, ponamus quod aer sit intemperatus per calidum & humidum, vel etiam sit putrefactus, & cùm hoc, sint etiam deprauati humores, ita quod horum ratione sit necessarium incidere in febrem pestilentem, & in putredinem, hoc corpus affatim, & subito non euacuare debetis, quia citius ipsum in febrem pestilentem incidere facietis, & ratio

tio est, quia dicebat Galenus in secundo de reg.acut.super illo tex.Hippocra.Vbi vult descendente dolore versus hypocondria in pleuritide quod pharmacum exhibeatur, inquit non possunt inueniri medicamenta purgantia, quæ ita præcise euacuẽt, nec scitis præcise, tantùm est exhibẽdum, ideò vel nimis euacuabitis, vel mouebitis humores, si nimis euacuabitis, virtutes destruetis, si parum, quod residuum est præcipitabitur ad cor, & maior fiet putredo. Ideo cauere oportet, quia semper dimittetur quod putrefactum est, quoniam mouebitis, & non educetis. Præterea omne pharmacum attrahens, est venenum, infestans virtutes: vt Mesue dicit, quod virtutum minerã destruant, excipit tamen aloen, præterea ex illis euacuationibus rarefacitis corpus, & relaxatis, & agitatis humores, imbecilliores redditis virtutes, & aptum facietis ad suscipiendam impressionem aeris, & quia hoc non est aliud quam hominem interficere, ideò Auicenna diuinè admodum in præseruatione feb.pest. quoniam videbat corpora, quæ erant plena humoribus deprauatis esse euacuanda, ex alia parte videbat, quod tutò euacuari non possunt, parum & sæpe euacuat, & cum his medicamentis, quæ non destruant mineram virtutum, & ideo inquit,

H quod

quod optimum medicamentum est in pręseruatione, pharmacum confectum ex aloe, mirrha, & croco. medicamentum Ruffi, est ei admirandum, sicut Rasis ex Ruffo refert qui fuit ante Auicennam: sed quomodo cōfici debet, & quomodo exhibendum tam praeclarum medicamentum, de quo Ruffus refert, quod nunquam hominem vidit, quod fuerit vsus huiusmodi pharmaco incidisse in feb. pesti. & ita experientia comprobatum est, & habet omnem methodū, & ita ipsum conficiunt. Accipiunt Aloes partes duas, croci, mirrhæ ana partem vnā; simul conficiunt, & datur sicut Auicenna dicit drachma vna, Ruffus non dat dom, datur ex vino odorifero in præseruatione, & diluitur, & mane datur, postea etiam exhibere potestis in pillularum forma nihilominus vsus ex vino odorato melior est, quia transit ad membra principalia, facilius ingreditur in hoc pharmaco aloe, quæ præseruat corpora à putredine, habet mirrham, quæ mirifice exiccat, quā præseruant Arabes corpora à putredine, aperit prætereà obstructiones cutis, recreat spiritus & corroborat cor, cuius debemus rationem habere maximam, & ita hoc pharmacum verè fuit Ruffo dignum, melius igitur facietis si cùm huiusmodi pharmaco præs

co præseruabitis, & quotidie, vel alternis diebus, cum exhibetis, quoniam paulatim euacuabitis, corroborabitis, & virtutes non destruetis, & vias tenebitis apertas; quoniam mirrha obstructiones aperit, & exsiccat, & quia hæc omnia facit, ideo validissimé à febre pestilenti præseruat. hæc sunt ad remouendas causas efficientes (quantum ad huiusmodi febres attinet ad præseruandum) tam extrinsecas, quàm intrinsecas secundum quod esse diximus faciendum est vt subiectum aptum non sit &c. Domini circa huiusmodi aptitudinem subiecti, & prohibitionem, ne recipiat, dicimus quod subiectum proximum est cor, quod putredinem recipit, & sine putredine in corde non erit febris pestilens, ideo prohibere oportet, ne cor recipiat, hoc fiet corroborando, augendo calorem naturalem, & spiritus, id fiet cũ rebus odoratis, dando operam, vt qui inspiratur aer, sit odoratus, quia calor & spiritus nutriuntur ex eo, vt dicebat Galenus in libello de vsu respirationis, & vbi aer fuerit alteratus cum rebus odoratis, recreabitur, postea cum nutrimentis, quæ facilè alant, cum vino odorato, moderate corpus exiccabitur, & putredo si qua erit remouebitur, & obstructio similiter aperietur, cum rebus tamen quæ non cale-

faciant,& caueatis ab immoderato exercitio, quia ex eo calefaceretis corpus plus æquo,humores liquarentur,& tunc præparabuntur ad putredinem,ideo à calefacientibus cauendum est,& eligatis potius,quæ non calefaciant,& cum hoc exiccandi vim habeant, ideo Arabes acida exhibent,acetum commendatur,& lentes,& hoc voluit Auicenna nulla alia ratione, nisi quia frigida,& sicca sunt,vt corpus non calefiat,& exiccetur,acetosa igitur & acetum præferuntur,quia acida incidunt,& aperiunt,licet per accidens:apertio autem vtilis est admodum ad prohibendam putredinem:prę terea aciditas maxime exiccat,& habet vim refrigerandi,hæc autem duo maxime idonea sunt ad huiusmodi prohibitionem,& obstructionem aperiunt,quod si modo acida qualitatem vel occultam,vel manifestā habeant, quæ putredinem prohibere possint,vt succus limonum,aranciarum,& citri,longè commodiora erunt,quoniam vt bene dixerūt Galenus,Plinius,& Virgilius, conferunt maxime venenis hæc inter reliqua omnia: præterea cùm febris pestilens sit venenum quoddam,vt inquit Galenus in libro de theriaca ad pisonē,quam ob causam exhibet theriacam in illis febribus,sequitur quod acidorum succus maxime

xime conferat, taceant igitur qui dicunt acida non conuenire in præseruando,& curando,bene astringentia non conueniunt licet refrigerent, & exiccent, quoniam non aperiunt,imò constipant,ratione cuius cõstipationis putredinem generarent,& causarent,ideo non laudo eos qui vtuntur lentibus,& piscibus, quia sunt emplastica & obstruunt quia volunt refrigerare & exiccare corpus & sanguinem crasſiorem reddere,ne ratione suæ tenuitatis penetret,& ad cor perueniat, & interficiat, hæc ratio est indigna bono medico,laudo ergo frigida,& sicca,sed non vt sint abstringentia,vel crassæ substantiæ: si quis diceret vtimur emplasticis:quia volumus prohibere ne vapores putridi ex materia putrefacta ascendant ad cor,& putrefaciant ipsius humores & substantiam,ideo vapores isti prohibendi sunt,ne ascendant non humores, & ideo quæ obstruunt,& sanguinem crasſiorem faciunt maiorem faciunt putredinem,& citius incurrũt febrem pestilentem, ideò legere debetis Arabes, sed cum luce quadam, quia alioquin plures errores acquiretis quàm veritates,& de hoc sit sufficienter dictum de his quæ possunt prohibere à febre pestilenti theriaca,& mithridatum,omnibus præferuntur:quia ve-

neno resistunt, restaurant innatum calorem, & omnes virtutes, & aperiunt, & Galenus nono simplic. med. terram Armeniam pręfert, quæ bolus Armenus appellatur, & dixit omnes qui fuerunt seruati à pestilentia tempore suo, hac terra sola liberati fuerunt, quæ ex Armenia fuit asportata, ideo terra Armenia appellatur, & qui eam portant, inquit Galenus, lapidem eam asserebant, ipse tamen potius declinat, quod sit terra, & rationem quare eam præferat reddit, quia validissimè exiccat, sed non habemus nos terram illam: & de ea loquitur Galenus quasi per somnium, caremus igitur bolo Armeno. Aromatarij tamen habent in maxima copia, quæ tamen Galeno non fuit nota, nominant omnes bolum Armenum, sed nullus est qui sciat in quo loco sit, tum propter hanc rationem, cum propterea quia inquit Galenus, quod erat pallidi coloris, noster verò rubeus est, præterea videtur habere maximam vim astringendi, Galenus autem ait quod habet maximam vim desiccandi: iste igitur bolus noster est illa rubrica synopica, vt constat ex cap. Diosc. de terra synopide: in proposito ergo, si vos præseruare vultis ab huiusmodi feb. hoc modo procedetis; & dedimus artem, & diximus instrumenta, modo ad curationem

rationem accedemus, in qua procedendi methodũ proponemus in vniuersali, postea ad particularia deueniemus. Circa curandi methodum diximus iam in vniuersali nostra methodo. si vultis rectè particulares ægritudines curare, semper illa quinque superius exposita in mente habere oportet, primò quid agendum, & consultationem in ipsis facere: secundò quantum, vsque ad quem terminum: tertiò quomodo parari debeatis: quartò quando facere debeatis, quoniam medicamentum temporibus suis prodest: eligere igitur debetis tempus, electio autem hæc difficillima est: quintò & vltimo: vbi debeatis applicare remedia cõsulendum est: ista quinque proponenda à vobis erant, deinde tria à nobis consideranda sunt in omnibus morbis: primùm est morbus, qui propelli debet, & quid sit noscere oportet: secundùm est subiectum, id est corpus humanũ quod curatur: tertiùm est natura, qua duce curamus, ita quod hæc tria semper proponenda sunt, & si aliquod horum trium defecerit, nihil scietis, imò recta cognitio morbi, corporis, & naturæ, in quæ operamur, deducunt nos in cognitionem, quomodo illa quinq; sunt iudicanda: natura autẽ morbi quomodo cognoscenda alias diximus, & docuimus cum morbus

ſit multiplex, & omne multiplex prius diuidendum ſit, in primis eſſe diuidendum genus ſuum, genera autem morborũ aliud in temperatura: aliud in compoſitione, aliud in ſolutione continui. Videndum igitur eſt prius in quo genere ſit, ſed hæc non ſunt ſemper ab eo incipienda, idcirco in febre peſtilenti non debetis diſcurrere an ſit in temperatura, ſed ſupponere, & præterea quid ſit febris peſtilens etiam ſupponere, an ab aëris putredine pendeat, vel ab humoribus putridis, ſit ne in contentis cordis, an in eius ſubſtantia, putreſcátne bilis, an ſanguis, poſtea cognita huiuſmodi morbi natura cum ſuis cauſis, iudicium faciatis rectè operandi per cognitionem naturæ morbi, per cognitionem naturæ ſubiecti, debetis conſiderare cuius temperaturæ ſit, an ſit morbo ſimilis, & an calida, vel humida &c. vel ſit morbo contraria, præterea an ſit rari, vel denſi habitus, tertiò conſiderare debetis, an in hoc corpore ſit vitium in aliquo membro particulari, an debile ſit cerebrũ, an ventriculus, an hepar, & ſit naturalis imbecillitatis. Quartò conſiderare debetis quibus moribus ſit, an ſit aſſuetus multum, vel parum comedere, craſſáne edulia, vel tenuia, an multi ſit coitus, multique exercitij ſit, an timidus, vel audax, iracundus,

dus, vel mitis. Quintò considerare debetis ætatem, senéxne sit, puer, an iuuenis, sexum etiam, max, an fœmina: sexto regionem, cœli statim, tempus anni, an calidi, frigidi, humidi, vel sicci sit. Istis consideratis quantum attinet ad subiecta, debetis naturam, id est, virtutes & facultates respicere: quia sine ipsa nihil facere potestis: quia natura dirigit omnes nostras operationes, vt inquit Galenus in de constitutione artis medicæ, & tertio tegni, omnium natura est operatrix, medicus verò minister: ideo virtutes animales considerare debetis, quæ sunt in cerebro, vitales in corde, naturales in hepate, in venis & in ventriculo.

Hæc omnia ita proposita sunt illa vniuersalia, quæ in vniuersali diximus methodo, in qualibet ægrotatione antequam ad particularia accederetis consideranda: in febribus ergo pestilentibus hæc omnia prius sunt consideranda, postea deuenire debetis ad quatuor principia quæ sunt dignitates per se notæ, & illa in animum vestrum reducere debetis, quoniam inde medendi ars deducitur, & oritur: sunt autem quatuor illæ dignitates, ista prima est contraria contrariis curari, similia similibus conseruari, secunda dignitas est quæcunque sunt in corpore secundum naturam, conseruanda

ſunt, quæ autem præter naturam remouenda ſunt, tertia eſt lapſuum qui in corpore ſunt quidam parui, quidam magni ſunt, parui paruis, magni magnis remediis curandi ſunt, extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt, dicebat Hippocrates primo aphoriſmorum, aphoriſmo v I. quarta dignitas omnium, quæ operatur medicamentum, natura eſt operatrix, medicus verò miniſter his præmiſsis, & illis quinque quæ ſemper in animo medici eſſe debent, & præterea illa tria, quæ rectè perpendenda eſſe diximus, videamus, vnde ſumatur quid agendum, & eius rationem: id à natura morbi ſumitur, quomodo, ab ægri conſuetudine, an delicatæ naturæ, an aſſuetus tali victui, an multi appetitus: aliter enim meſſores, aliter nautas, aliter nobiles curamus. Quantum verò extendi debeat, & oporteat, poteſt intenſiue, & extenſiue intelligi: intenſiue, ſcilicet, quantum augeri debeat gradus, & hic ſumitur à lapſu: nam ſi quis lapſus per duo ad calidum refrigerare debemus per duo, extéſiue verò per molem eſt vt ſi caliditatem volo per duo remouere habito gradu frigiditatis, vt duo, dico quãta moles medicamenti requiritur ad remouendum caliditatis gradum, quantitas ea quæ intenſiua dicitur à quantitate ſumitur

lapſus:

lapſus : extenſiua ab ęgri viribus, vt plerũq; euacuare debemus duas libras ſanguinis, quãtitas intenſiua oſtenditur à lapſu, id eſt, ex multitudine materiæ: altera verò extenſiua à viribus, quoniã aliquãdo propter vires patimur euacuationem, quando, autem primo, & per ſe ab ægritudinis motu ſumitur, nam aliter in principio agimus, aliter in augmento, aliter in ſtatu, aliter in declinatione: ſecundario autem à virtute indicatur, ſed poſtea ſi rectè conſideramus, potius iſta indicatio à virtute ſumpta dicitur conceſsiua quia virtus, vel concedit, vel prohibet, ſed motus eſt ille qui proprie indicat quando agendum eſt, vbi verò, id eſt in quo loco ſint applicanda remedia locus indicat affectus, quibus in vniuerſali viſis, modo ad magis particularia accedamus. His ſtãtibus dicebamus à natura morbi ſumi quid agendum: ex quo ergo à natura morbi ſumitur quid agẽdum inueſtigauimus naturam febrium peſtilentium vt eas rectè curare iam valeamus: quomodo natura morbi cognoſcetur? cognoſcetur nõ aliter quam reliqua, quæ habent principia, cauſas, & elementa: cognoſcuntur enim per ipſarum cauſarum cognitionem: igitur inueſtigare oportet cauſas febris peſtilentis: iſtæ enim cauſæ ſunt (vt iam dixi) in triplici

cauſarum

carum genere, finalis causæ genus prætermitto, quod in morbis non quærimus, vt aliàs rationem reddidimus, tres igitur in huiusmodi febribus pestilentibus reperiuntur causæ, efficiẽs, materialis, vel subiectum ipsum, quod morbum recipit, qui est accidens, & formalis quę est tertia, & nihil aliud est ista causa nisi febris, vel huiusmodi morbus pestilens, hæ tres causæ sunt à nobis cognoscendæ: & dixi suprà causarum efficientium quasdam esse extrinsecas, quasdam intrinsecas, materialem autem, scilicet subiectum diximus esse cor, formalem diximus esse calorem putridum impressum in substantia cordis, ideo incipiamus à causis efficiẽtibus, & videamus quæ indicationes curatiuæ sumãtur ab ipsis, & primò inter causas extrinsecas, incipiamus ab aẽre, quia aër artem maximam habet, vnde sumantur indicationes artificiosæ, nam ipse præcipuè, maximam occasionem præbet febribus pestilentibus, & est causa vniuersalis, maximè cum vagantur istæ febres, vt ex primo epidemiorum habetis: ex cibo enim & potu nõ corrumpuntur nisi pauperes, aër verò omnibus communis est, vbicunque ergo aër intemperatus per calidum & humidum, vel prorsus putrefactus mediãte huiusmodi caliditate, & humiditate, quæ omniũ putrefactionum

ctionum causa,& mater est, vbicunque igitur aër est causa efficiens, vt iam decumbat æger febre pestilenti correptus,& ad ipsum in tali constitutione accedatis, primū quod facere debetis,indicatione sumpta ab aëre, aërem in illo loco corrigere in quo decumbit in lecto,vel in cubiculo,aër erat calidus, & humidus, in præseruando diximus esse alterandum cum calidis,& siccis, quia tunc non aderat febris, & maximè volebamus exiccantia cuiusmodi sunt calida, & sicca, quia calidum maximè exsiccat, natura calefaciendo humidum resoluit , cùm verò siccitati, coniungitur caliditas efficacissima est ad exificcandum , & mirum in modum exiccat, ideo prohibet putredinem laser, cùm calidissimæ & siccissimæ substantiæ sit, sed quia nunc adest febris,à calidis abstinere oportet, quia calefaceretis, ideo in aëris alteratione cùm his aerem,qui attractus magis inflāmaret spiritus & corpus, & humores magis putrescerent, & esset maioris putredinis causa , & resolutionis virtutis , & mortis , & ideo aerem cum rebus frigidissimis, & siccissimis, alterare debetis, frigidis quidem propter febrem, siccis verò ad putredinem prohibendam, quæ venenum est,ideo frigida, & sicca , quæ ponere debetis in cubiculo, sunt mirti , sandali,

dali,folia,& flores ſalicis,camphora, mirabolani, & vbi habetis huiuſmodi frigida commiſcere poteritis cum re calefaciente, vt cum modico muſchi, vel ambræ, vt illa modica caliditas,citius res illas frigidas, ad cor deducat, & maiorem faciant refrigerationem,ſicut illi faciunt, qui interficere, vel ſtupefacere volentes cum veneno frigido, miſcent cum opio res calidiores,vt citius illa opiata deducantur ad cor:aperiunt enim: & ſic facilius attrahitur venenum,& ob cauſam hanc, viri calidi, & ſicci citius interficiuntur à frigido veneno,quã frigidi & humidi,præterea vt maximè exiccetur aer, & magis, quàm nũc præter ſimplicia compoſita facere poteritis, vt paſtillos cùm gummi,tragacanthi,vel gummi arabico,vel ponere ſuper carbones, vt vapores ex illis accenſis aſcendant ad cor, poteritis etiam pomum conficere, vt æger percipiat odorem, vel puluiſculos facere, & ponere in ſindone qui aſpergantur aqua roſacea; vel hos puluiſculos ponere poteritis in parua fiala,cum modico aceti, & aqua roſarum: acetum etiã ponere poteritis: vt æger ſæpè odoret, poteritis etiam omnia ſimul commiſcere, & facere vt æger lætetur, quia medici diligentiam admirabitur: laudabitur enim medicus maximè ſi remediorum copia redundabit,

dabit, ita tamen vt vnum adiuuet alterum: est autem aliud remedium quo ego sæpissimè vtor, accipio aquam rosatam cum aceto, & etiam modico gariofilorum cum sandalo, & habita olla parua facio, vt ebulliant hæc cum aceto, & faciet quidem odorẽ iocundissimum, & exsiccabit aerem, præterea maximè facit ad alterationem, vt cubicula sint posita versus boream maximè cùm viri sunt nobiles, & quandoq; aere existente claro debetis aperire fenestras, & borealẽ flatum recipere, quia frigidus, & siccus est, & contrarius calidæ, & humidæ temperaturæ aeris, à qua prouenit putredo: vbi igitur fuerit flatus boreæ, aperietis sæpè fenestras, vt aer euentetur: bonum est etiam, vt æger habeat duo cubicula simul iuncta, & quandoque maneat in vno, quandoque in altero, quia spiritus sunt maximè fœtentes, & maximè putrefacti, ex inspiratione illorum vaporum putridorum, prodeuntium à corde, ex quibus instat cubiculũ, vt sibi & astantibus noceat, ideo propter sui ipsius vtilitatem, & astantium alternis diebus mutet cubiculum, & dum infectus est vnum ad aliud transeat, postea teneatur paratum, cum suffumigiis odoratis, præterea iubere debetis, vt patiens ceruicalia habeat, nõ ex pluma sed ex foliis rosarum siccarum, mir-

ti, &

ti,& consimilium, & aspergantur folia hæc puluisculis odoratis frigidis, & siccis,vt ex camphora, sandalis, rosis, cum musco, & ambra,& iaceat sub ipsa,quoniam conferũt cordi & cerebro, præterea super inspergantur sua cubicula foliis vitium, aut salicum floribus,& foliis,sed interim caueatis ne sint aspersa, vel humectata cùm rore, aut succo aliquo, aut cum aqua & non sint sicca,sed viridia,nec permittatis vt viridia diu stent, quia si diu starent,flaccida fierent,& marcescerent. Nec laudo quod semper fiant irrigationes in domo cum aqua,nisi sit rosacea, sed raro etiam cum ista, quia omnes aquæ habent humiditatem putrescibilem, sed aer nullomodo maneat simplex, sed alteretur,vt diximus:& licet habuerit caliditatem, & humiditatem, vel fuerit putrefactus,semper tamen eodem modo alteratur, nec mutatur quid agendũ, sed modus agẽdi tantũ,nam qualitates aere putrefacto magis intenduntur quã in humido,& calido:& hæc quo ad indicatiões operãdi sumpta indicatione à causa extrinseca, id est,ab aere. Quantum ad causas efficientes intrinsecas in corpore, quæ faciunt indicationes proprias:istæ sunt genere duæ, quædam est remota,siue antecedens (vt isti dicunt) quædam proxima, & cõiuncta,de remota prius dicamus,

dicamus, postea de coniuncta sermonem faciemus, causæ remotæ (sicut etiam supra docuimus) sunt humores deprauati, qui sunt in humano corpore: non enim fit impressio ab extrinseco nisi pessime sit dispositum corpus, vt inquit Galenus in primo de differentiis feb. cap. nono, & raro imprimitur malitia hæc, in corpore bene disposito, & affecto, & bene transpirabili, & non repleto humoribus malis: tunc enim validissima debet esse causa, si debet fieri impressio in tali corpore, vbi verò corpora sunt referta malis humoribus, & plurimæ in ipsis ad sint obstructiones, impressionē de facili recipiūt, tum quia ad prohibitam transpirationem apta sunt, tum etiam quia adiuuantur ab aere putrido, si etiam sani sunt euacuantur eo modo quo docuimus, scilicet cum pharmaco ex Ruffi præceptis composito, ideo maxime prouidere debemus, vt euacuationes fiant in huiusmodi corporibus: vbi humores tales sint in venis, aliter enim fiet putredo & febris pestilens, principium autem huius rei nascitur ab eo fundamento, contraria contrariis curātur, quia hic est repletio, ergo euacuatione est curanda, at qui humores sunt euacuandi? si sanguis dominatur, debet sanguis per sectionem venæ extrahi, sic alij humores cum

medicinis determinatos humores euacuantibus, euacuabimus, sed circa hanc euacuationem est considerãdum, omnes enim euacuandũ esse sciunt, sed quomodo ignorant, & maximi errores contingunt. Attendatis ergo circa istam partẽ, quæ à causa efficiente intrinseca, sumitur: proponimus vndecim vel duodecim dubia quæ sunt discutienda: quibus discussis ad alias deueniemus difficultates vt claram, & distinctam curationẽ habeatis: sunt igitur duodecim quæstiones proponendæ, prima vtrum in febre pestilenti sit facienda phlebotomia, nam Venetiis, ita abhorrent, & ita persuasi sunt illi nobiles à medicis, vt cum proponitur phlebotomia in Febre pestilẽti ab aliquo medico, parum deest, quin eũ explodant: secunda vtrũ transacta quarta si esset mittendus sanguis liceat mitti, quia dicebat Auicenna, in primo quarti cap. de Variolis, transacta quarta forsan non erit amplius intentio sanguinis, tertia si licet in qua mẽsura, & an liceat vsque ad syncopim mittere, quarta vtrum apparentibus maculis illis quæ petechiæ dicuntur, vel anthracibus erumpentibus, corpus euacuare liceat, vel phlebotomia, vel pharmaco, & si liceat à qua parte sit mittẽdus sanguis: videtur enim quod per eam partẽ euacuari debeat, quam natura offen-

dit

dit, quoniam dicebat Hippocrates, quo natura vergit, eò ducere oportet & per conuenientia loca, scimus autem quod cutis est membrũ per quod natura trãsmittit excrementa: si ergo hoc est, videtur quod per eam partem euacuare debeamus: quintò quæritur à qua vena mittendus sit sanguis: sextò an modò sit euacuanda non expectata concoctione, vel digestione: septimò vtrum præparanda sit materia, in ægritudine ista, sicut in aliis facimus, vt si sit crassa, an debeat attenuari, si viscida incidi, si tenuis crassa fieri, an non semper sit expectandum, iuxta illud Auicennæ summa curationis febris pestilentis est exiccatio: octauò quæritur vtrum medicinæ fortes conueniant, an tantum leues: nonò vtrum clisteres conueniant in istis casibus: decimò vtrum flu ✱r alui qui sequitur febres istas sit sistendus: vndecimò vtrum cucurbitulæ sint per corpus applicandæ, & si conueniant: an scarificatæ vel non, vel vtroque modo conueniant: duodecimò quæritur vtrum conueniant adstringentia. Quantum attinet ad primum nolo immorari: quia adeò absurda est quæstio, vt non sit digna quæ medico in dubium ponatur, an conueniat phlebotomia, qui dubitarunt habent hoc motiuum ne agitetur materia,

& putredo maior fiat, at si vnquam sanguinem mittere debemus in hac febre est mittendus, quia nihil magis exiccat corpus, & rarefacit habitum corporis, & putredinem prohibet, quàm phlebotomia, & nos nulla alia re indigemus in istis, istæ consuetudines prauæ nascuntur ab imperitis medicis, & quia nobiles viderunt alterum mori non ex phlebotomia, sed ex mala cura imperiti medici, abhorrent eam, de secūda vtrum si contingat, vt ferè semper contingit, vt transacta quarta vocetur medicus, an tunc conueniat phlebotomia? Auicenna videtur dicere quod conueniat: præterea quòd non est ratio in cōtrarium: quia scitis quod putredo est in corde, vel in contentis ipsius, si in corde facile virtutes cedunt: vt experientia docet à mane ad vesperam virtutes deperdi, ideo vt non inueniatis amplius virtutem in pulsu, ergo videtur quòd non liceat: ad hanc quæstionem breuiter respondeo, quòd non debetis quærere quartum, nec septimum: vel decimum, & ridiculum est dies quærere: sed quærere debetis vtrum virtus sit constans, & morbus magnus requirat, si non constat, nec in principio conuenit, si constat, & in secunda, & in quarta etiam conuenit: & quia frequenter transacta quarta virtus cadit, ideo non est facienda

ciendæ phlebotomia: nec vniuersalem facere regulam debetis, in quarta non est amplius intentio ad eam, dummodo virtus constet, & morbus magnus sit, semper phlebotomia fieri debet: quia ista duo, scilicet magnitudo morbi & cōstantia virtutis semper indicant esse faciendam phlebotomiam, & Auicenna locutus est dubitatiue: nec semper dixit, sed trāsacta quarta fortasse non est amplius intentio ad eam, & apud Auicennam fortasse idem est, ac si diceret, quandoque non licet, quando scilicet cadit virtus quod sæpissime contingit, & hæc de secunda quæstione: tertium quæsitum erat in qua mensura facienda sit phlebotomia? aliqui dicunt esse faciendam vsque ad deliquium animi: quia extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt, vt Hippocrates in particula prima aphorismorum, aphorismo sexto: & dicunt quod ex hac quantitate sanguis extractus, eos refrigerat maxime, exiccat, & rarefacit, & ita prohibetur putredo, at si parum mittatur massa, sanguis ebullit, & non euacuatur materia, & ideo maior fit putredo: ideo dicunt isti, vel non esse euacuandum, vel copiose esse euacuandum: at nos pro solutione huius quæsiti debemus in animo tenere quod dixit diuinus Galenus in

vndecimo Therap. vbi loquitur de missione sanguinis in putridis, inquit enim vbicunque habemus indicationes in putridis febribus mittendi sanguinem, non mittamus sanguinem multum, etiam si febris illa cum putredine indicaret multum sanguinem esse euacuandum, nam non debemus tantum euacuare, quantum est indicatum à febre illa putrida: quia si posset cum sola missione sanguinis absolui febris, nec aliud esset agendum possemus euacuare tantum, quantum indicatur à febre, sicut in febre synocha sine putredine fecit Galenus, sed quoniam non tantum dispositionem præsentem curare debemus: sed etiam aliquid aliud, & quia sola sanguinis missio non curat febrem putridam: sed putredinẽ, & obstructiones remouere oportet, si in maxima cõpia sanguinẽ mittas, diminues virtutes, & cogeris corpus in tempore nutrire in quo non esset nutriendum, & ita ægrum interficias, ergo virtutem in futuro attendere debes, ideo non tanta copia euacuari debet: quia alia etiam sunt peragenda & Auicenna quarta primi cap. 20. recitans Galeni sententiam, licet enigmaticè, & obscurè dixit, & cum phlebotomas serua sanguinem tanquam thesaurum, hoc est quod dixit Galenus repone sanguinem vsque ad syncopim,

respond

respondemus inquit non licere sanguinem mittere vsque ad syncopim: quia interficeretur æger, licet ratione ægritudinis conueniret, vt in tanta copia mitteretur: vt seruemus virtutem pro putredine remouenda quæ est in corde, quæ tantũ sanguinis missione curari non potest, sed alia facere oportet, vt tollatur: ob quã causam oportet seruare sanguinem, vt sufficiat postea virtus ad concoctionem reliquorum humorum, & sic cùm tunc sint contrariæ indicationes: magnitudo scilicet morbi, & multitudo materiæ, quæ copiosam indicant sanguinis missionem, & virtus ex alia parte: quæ debilis est propter putredinem in corde existentem oppositum indicat, ideo in his contrariis indicationibus, vni attendere & alteram non negligere oportet: & propterea quod non potestis facere vnica voce, pluribus faciatis vicibus, & hoc voluit Auicenna & Galenus in methodo de missione sanguinis, dicẽs, melior est replicatio numeri, quã quãtitas: sed circa dicta ista nonnulli dubitauerunt & dixerunt se super ea auctoritate Galeni in primo de differẽtiis febriũ cap. 9. dubitare: vbi loquens de febribus pestillen. inquit in febre pestilenti corpus exiccare debemus, purgare, rarefacere, aperire, ac totum euentare, ergo confertim

euacuare debemus: isti deberent distinctionibus vti, si volunt rectè dicta Galeni intelligere: quia aliter, & sæpe errabunt: dictũ Gal. quod citant isti, verissimum est, & nos quoque idem faciendum esse diximus & dicimus: sed paulatine, & non subitò euacuandum: quia vbi corpus confertim euacuabitis, non modo rarefacietis, sed lasioré reddetis: quòd non conuenit, sed sufficit vt tantum pori fiant transpirabiles, & sic dictum meũ non repugnat Galeni dictis, vult enim Galenus: vt non fiant obstructiones, & ego idem volo vt vult: vt aperiãtur pori, & ego, vult vt corpus repletum euacuetur, & ego: sed paulatine, & satis dictũ sit de hoc. Quæritur quarto à qua vena sanguis sit mittendus, an à basilica, vel etiam à saphena, isti excellentes moderni ad quæsitum respondent, & dicũt misionem sanguinis esse faciendam primo à basilica destra: deinde à basilica sinistra: ex quibus etiam innuunt, quæ à nobis sunt dicta: scilicet misionem sanguinis esse reiterandã, & non confertim faciendam, & rationem afferunt ex Auicenna sumptam, quem tanquam ducem sequuntur, in vndecima tertij vbi de ægritudinibus cordis loquitur, in cap. de curatione: vbi dicit euacuare à basilica, destri lateris multitudinem conducit: quæ multi-

tudo vadit ad cor,& ex ea fit auersio, & euacuatio humoris peccantis, à sinistra verò basilica vapores putridi ascendentes ad cor euacuatur, si hoc est verum: non est dubium quod in febre pestilenti nihil præstabilius erit, quàm ita facere: quia vtrunque peccat, & vtraque re indigemus, vtrum modo hoc sit verum, supposito etiam quod nihil dixerit Auicenna, vidēdum est à nobis nunquid ab aliquo Græco fuerit dictum, hactenus non inueni ab antiquis Græcis hoc fuisse explicatum, & quo ad rationem nulla est, nisi forte vellet Auicenna id quod Hippocrates dixit vt seruetur κάθιξιν, & quia cuspis cordis ad sinistrū vergit, si mittatur sanguis, ex sinistra basilica per quandam deriuationem euacuabuntur spiritus, qui in sinistro cordis ventriculo continentur, rectitudinem seruando, ex anathome enim vidistis destram & sinistram basilicam æqualiter cordi vicinam esse, quoniam à vena concaua æqualiter deducuntur, & non tantum à vena concaua: sed à vena sine pari, ex qua nutriuntur octo costæ inferiores vsque ad cor, quoniam & ipsa à vena concaua emanat: esset igitur hoc verum ratione situs, auctoritates ergo tantum habemus, & eam rationem quam diximus: quia seruatur rectitudo: tuto ergo has potestis

obseruare regulas,& quomodo oportet reiterare sanguinis missioně, licet idem prorsus faceret sectio cuicunque basilicæ, si tantum vultis auctoritates sequi Auicennæ; & modernorum potestis, & sine errore illud facietis. Quæritur quinto vtrum esset in febribus expectanda concoctio, dico quod non:sed subito per sanguinis missionem, si sanguis peccet, euacuare debetis: si alij humores peccent medicamentis, illos humores peccantes euacuantibus educetis, & hoc facietis propter illa tria, circa quæ versatur medicus,primò ratione morbi,secundò subiecti,tertiò ratione naturę,ratione morbi:quia nihil aliud est ipse morbus, quàm calor putredinalis in corde existens, qui à plurima putredine pědet, & plurimis humoribus in corde putridis, hac de causa euacuare debetis, quoniam quod iam putridum est ad benignum deduci non potest, ideo non expectata concoctione euacuare debetis, quia quod tangitur à putredine illa tam magna,putridum fiet, & ideo ratione causæ efficientis hoc facere debetis:quia ad infrigidandum corpus nihil præstantius missione sanguinis: ratione tantũ subiecti quod est cor, citissimè euacuare debetis, nam cum cor patiatur putredině non debetis in re tam vrgente facere moram, ne pu-

tredo

tredo in corde confirmetur:igitur ratione nobilitatis subiecti,& ratione magnitudinis morbi subiectum tam nobile occupãs, & ratione naturæ,quæ omnium operatrix est,citò euacuare debetis tunc,cùm euacuare expedit,tùm natura fortis est, & quia virtus cedit citò in huiusmodi febribus: quoniam putredo vel est in humoribus cordis,vel in substantia ipsius,ideo concoctionem expectare non debetis ratione omniũ illorum trium: præterea auctoritates adsunt: quia vehementissimus est morbus,& dicebat Hippocrates in quarta particula aphorismorum,aphorismo decimo in valde acutis eadem die medicari expedit,differre autem malum est,rursus primo aphorismorum,aphorismo sexto morbis extremis, extrema exquisitè remedia optima sunt.Auicennæ etiam auctoritas est in cura febris pestilentis:inquit enim & incipiat cũ horum euacuatione,non dixit cùm humorum digestione,nec oppillationum apertione:sed corpus exiccabis & euacuabis,& non ab euacuatione cessabis,donec ipsum exiccaueris,ideo vos & rationem & auctoritates tantorum virorum sectantes,vbi inueneretis has febres pestilentes,tam sæuas,siue dies, siue nox fuerit tunc aduertatis, nec expectabitis horam:sed solùm videatis

an in ventriculo cruditates sint, si adsint prouidebitis, vt exeant & subito ad euacuationem accedatis, vt prudentes videamini circa vestros ægrotos. Quærebatur sextò an esset materia præparanda, vt si tenuis esset, deberet incrassari, si crassa, attenuari, an verò semper cum exiccantibus procedendũ esset: quia dicebat Auicenna, summa curationis est exiccatio: & Galenus in primo de differentiis febris, vult vt corpus exiccetur: quoniam prohibetur cum huiusmodi exiccatione magna putredo, & cũ hic sint varij humores, nam quandoq; dominatur bilis, quandoq; pituita, quandoq; melancholia, nónne curare debetis, vt concoquantur, & postea euacuetur aliquid de ipsis? vtiq; debetis & exiccare atq; præparare, postea minutionem humorum debetis, facerent scietis: tamen hæc, quæ præparant, & quæ exiccant inuenire per methodum quam habere debetis, sicut antiqui medici fecerunt, & declarauerunt, vt est videre, si per campum Arabum, Græcorum, & bonorum recentiorum discurratis, apud quos omnes potiones quas exhibent exiccare quidem, videbitis: sed etiam cum exiccatione refrigerationem habere incisionẽ, abstersionem, & corroborationem cordis, & nullum syrupum inuenietis apud eos

qui

qui sciunt curare febres istas, qui non exiccet, & qui non habeat vim incidendi, & refrigerandi, & hoc quidem propter duas rationes, tum quia afferuescit sanguis, & putrescit, augeturq; bilis, vt inquit Galenus in secundo de differentiis febrium nono, vbi de febre sanguinis loquitur, ideo debet extingui, tum etiam propter humores, quoniam materia viscida est, quæ debet incidi, ideo non debent humida exhiberi, sed frigida, & sicca: sed diceris si bilis est sicca, quomodo conueniunt sicca, & non humida? ad hoc respondeo ex Hippocrate, tertio regiminis acutorum, vbi de aceto loquitur, quod frigida, & sicca bilem extinguunt, inquit enim ibi, acetum facit degenerare bilem in pituitam, hanc rem Galenus non declarauit in commento, & qua ratione id fecerit ignoro, quia illud erat declarandum: At potest dici quid si acetum non extinguit bilem ratione siccitatis id faciet tamen ratione frigiditatis; nam quomodoq; sunt frigida, & sicca, si fuerint tenuis subiectæ, vim incidendi habent, si verò crassę, oppilandi, quia non incidunt nec penetrant, ideo elegerunt antiqui & moderni optimè frigida & sicca, cũ tenuitate substantiæ, & talia sunt acida, vt acetum, succus acetosus, & reliqua quæ omnia huiusmodi

habent

habent vim exsiccandi, quia sicca sunt, refrigerandi, quia frigida sunt, penetrandi & incidendi, quia tenuitatem habent substantię: quod acetum refrigeret clarum est ex Galeno, quia sæpissime ait acetum plus refrigerare, quàm calefaciat mel, non quia frigidius est, quàm sit mel, nõ quia frigidius est, quàm sit mel calidũ, sed quia penetrat mirificè & extensiuè per multas corporis partes extenditur, hinc est quod succus aggrestæ, licet frigidus, in secundo & vsq; ad tertium gradum fit, non tamen refrigerat sicut acetum, quia non penetrat, ita vt acetum, cum sit crassioris substãtiæ: oportet igitur, vt sint substantiæ tenuis vt penetrent, idem facit succus acetosæ, vt dicebat Galenus, in quarto de simpl. medicamentis, quod acetosa, quam oxalidem appellat, habet tãtùmmodo simplicem aciditatẽ sine aliquo cõmixto, incidit summopere, succus limonum, aranziorum, quod autem habeant maximam tenuitatem substantiæ videtur ex penetratione maxima quam intra faciunt, magis enim penetrant quàm acetum, & si vultis experiẽtiam, faciatis: accipiatis acetum etiam acerrimum, in quo ouum aut calculum ponatis, ex altera parte accipiatis succum limonum, & similiter ponatis in eo ouum, succus limonũ citius mollificabit,

& incidet ouum, quam acetum, quia citius penetrabit, nō est igitur mirū, si inuenerunt huiusmodi syrupos medici, vt syrupum, de succo acetosę, de acetositate citri, sunt enim commodissimi, quia incidunt, attenuant, & abstergunt, vt patet in ablutione manuū, & in scabie: refrigerant etiā, & sic bilem extinguunt incidunt, penetrāt, & aperiunt, licet per accidens non per se, sed vnum aliud habent præstantissimum, scilicet ille diuinus syrupus de acetositate citri, quē curtius vim abstergendi habere bene dicebat, quia cū habeat id quod habet syrupus acetosæ, resistit etiam veneno à proprietate & cor summopere corroborat. Dicimus ergo ad illā quęstionem qua quæritur an debeamus humores præparare peccātes in feb. pestilentibus. quod sic non amissa tamen exsiccatione, & in hoc differunt à reliquis febribus putridis, quoniam in aliis etiā humectationem quærimus, at in hac nihil pernitiosius, & cū de regimine virtuis agemus, ostendemus, quod isti maxime errant quādo iuscula exhibent, & panatellam, quoniam ista faciunt putredinem infinitam in corpore, debent ergo abstergi, incidi, refrigerari, quę abstergenda, incidenda, & refrigeranda sunt: sed aduertere debetis, ne vnquam discedatis ab exsiccantibus, vt Auicenna ordinat, nun-

quid

quid(dicat aliquis)conueniat sirupus acetosus?vtiq; quoniam habet easdem vires, nihilominus est quadãtenus mordax,& aliquam caliditatem habet noxiã, annexam ratione aceti,pręfero tamen sirupos de succo acetosæ,& de acetositate citri,& de succo limonum,cum quibus autem decoctis, & aquis destillatis?alias dicam,nunc tantũ dico,quod potestis accipere aquam acetosæ,& limonum destillatas,sed hanc nõ simplicem accipiatis, quoniam miram habet vim incidendi & penetrandi ad cor, ideo non transeatis vnciam vnam quos etiam poteritis reddere odoratos,vt in hunc modum. Accipe sirupi de succo acetosæ, de acetositate citri,ana vnciam vnam : aquarum de succo limonum,vnciam vnam,acetosæ vncias tres, qui aromatizari potest cum modico camphorę,& ambræ,aut musculi,vt accipientes libram vnã aquæ acetosæ,de limonibus vncias quatuor,cũ duobus granis camphoræ,sirupum facietis,qui corroborabit, absterget, refrigerabit,aperiet,& exsiccabit,hoc sit dictum vsque ad vltimam praxim pro respõsione,an sit præparanda materia.illa altera quæstio est,an dandæ sint medicinæ fortes in huiusmodi febribus,an debiles?dico quod nullo modo fortes, sed debiles dari debent,caueatis

ergo

ergo ab illis quæ electiue trahunt, quia in febribus istis adest perpetuò fluor alui humorum corruptorum, & dicebat Galenus in tertia sect. tertij epid. vbi loquitur de hac synaxi: huiusmodi rationem reddens ait quod propter multitudinẽ putredinis corrumpuntur ferè omnia in vẽtriculo, & ideo cùm sit tanta imbecillitas & putredo, non debent dari huiusmodi fortes medicinæ, quia vt dicit Galenus in tertio de temperamentis, in secundo de facult. naturalibus, vbi loquitur de facultate attrahendi quod tradere medicinas fortes, & electiuè trahentes, ventriculus eiusque propria actio destruitur sopitaq; redditur, vt cogatur per virtutem illius pharmaci imbuti trahere quod sibi non conuenit cum prius traheret quòd erat sibi simile, vnde Auicenna etiam dicebat quod medicinæ solutiuæ destruunt mineras virtutum & imbuunt ventriculum extranea qualitate, quæ ipsum imbecillum reddit, & cum ventriculus coquere nõ possit, putrefacti humores ventriculi virtutem destruunt, ideo non conueniunt huiusmodi medicinæ fortes, quia virtus vitalis debilitatur magis, quod maximum affert incommodum, quoniam in febribus pestilentibus maxima virtutis vitalis debilitas adest: præterea cum virtus illa sit, quæ agit &

operatur, medicinam quam actuat, cum in tali febre semper debilis sit, si medicina fortis exhibeatur, non poterit illam actuare, sed ab illa destruetur, si etiã in parua quantitate medicamentum forte exhibeatur illud erit malum, quia agitabit humores, & de illis parum trahet, & ideo postea maior fiet putredo, & ebullitio, ideo nec in parua, nec in magna quantitate debet medicina fortis exhiberi, quare debetis medicinas benedictas exhibere, & potius vsus reiterare, istæ autem sunt quæ mundificant, abstergunt, aperiunt, & exsiccant & à longinquo non trahũt, ideo reubarbarum, & tamarindi, quæ bilem extingunt & exsiccant, & cõueniunt, non solũ in his febribus, sed etiam in omnibus putridis administrari possunt, manna etiam conuenit, licet ad quandam leuem humiditatem declinet: conuenit etiã sirupus rosatus solutiuus mirum immodũ, quia interdum putredinem euacuat, & in febribus videbitis semper plurimam spumæ copiam, quæ indicat euacuari materias ebullientes, & putrescentes, caueatis à cassia quia ego experiẽtia vidi Venetiis 1528 quod quicunq; accipiebãt cassiam illis putredo augebatur propter nimiam ipsius humiditatem.

Reliquum est modo determinare an in

curation

curatione febris pestilentis,vti liceat pharmaco composito ex aloe,croco & myrrha, secundum Arabas ex aloe,secundũ Græcos ammoniaco timiamate, & myrrha,ita vt pro croco Græci ammoniacum ponant,& medicamentum hoc celebratur à Græcis, Arabibus, & Latinis, sed inter Græcos & Arabas,est discrepantia. Nam Paulus dicit in curatione conuenire, Auicenna verò vult in præseruatione conuenire, in curatione minime, ideo videtur esse dubium, an liceat ipso in curatione vti, si consideremus in hoc pharmaco qualitates secũdas, proculdubio in istius febris curatione conuenit, vt apparet ex ingredientibus ipsis, ingreditur enim in hoc pharmaco crocus, myrrha, aloe,vel loco croci ammoniacum, secundum Græcos: eadem tamen est intentio, siue vnum, siue alterum ponatur, si inquam qualitates secundas consideramus in huiusmodi pharmaco vtrobique conuenit,& ratio est, quia in curatione euacuare debetis quàm citius potestis humores peccantes, poros aperire, obstructiones tollere, prohibere ne humores putrescant, concoctionem adiuuare non modo materiæ peccantis, sed etiã cibi, quia in his febribus cibi putrescunt in stomacho, & sequitur fluor alui, quia cibi non concoquuntur: adiuuanda est

da est igitur concoctio, pharmacum istud omnia facit, ergo debet & potest administrari in curatione, & quod hæc omnia faciat, declaratur, habetis in primis, aloem quod mirificè, & benignissimè bilem euacuat, & pituitam, & aperit venas mesaraicas, & etiam euacuat simul, magnam præterea habet vim exsiccandi, & ita à putredine prohibet vt etiam corpora mortuorum exterius illita conseruet exsiccando, vt dicebat Auicenna, quod humiditates exsiccat extrinsecas, & innatas conseruat, habemus myrrhã & crocum, vel ammoniacum, quo ad myrrham, quia amara est aperit, abstergit, caliditatẽ habet temperatam, ideo emollit, & cordis imbecillitati conuenit, idem facit ammoniacum, emollit enim & concoquit, idem facit crocus, & quod de vno dictum est, de altero dicitur, & habent ambo odorem aromaticum, & fortè arabes non habentes ammoniacum pro eo posuerunt crocum, si autem consideratis hoc pharmacum in præseruatione solùm conuenit, quia cauere debetis in febre pestilenti à calefactione superflua corporis, nam tanta est in corpore putredo, vt calor præter naturam sit maximus, naturalis verò paruus, ideo caliditatem extraneam cauere debetis, quia colliquefacit humores, ideo

ad frig

ad frigida,& ſicca eſt recurrendum. Rhabar barum bonum calidum eſt: verum eſt, ſed non excedit primum gradũ, imò aliqui volunt vt non ſit calidum, ſed quoniam annũ eſt,& adſtringens ideo nõ multũ calefacit, propter illas partes terreſtres, nihilominus quãdo exhibemus, quia habet nimiam exſiccationem, vt inferius docebimus quomodo cauere debeatis à nimium adſtrigentibus, infuſione aquæ endiuię, acetoſæ,& conſimilium temperamus,& facimus medicinam refrigerantem,& euacuantẽ,& hoc ſatis de medicinis euacuantibus, & ita ſunt completæ ſeptem quæſtiones,& quinq; adhuc reſtant, vna eſt nunquid apparentibus maculis quas vulgò dicunt pethechias, vel anthraces tunc temporis ſi acceſſerit medicus an liceat euacuare corpus, ſiue per phlebotomiam, ſiue per pharmaciam. Moderni non dixerim omnes, ſed ſaltem maiorem partem, abhorrent prorſus euacuationẽ debere fieri apparẽtibus maculis: & argumentum eorum eſt tale, quia cum motus naturæ fit ad exteriora,& ad cutim, ſi fieret euacuatio per aluum, materia illa deduceret ad interiora,& motus fieret in contrarium: ad quid igitur (dicunt) vultis trahere materiã quæ mouetur ad cutim, ad venas cum miſſione ſanguinis, vel ad ventriculum cũ me-

 dicam

dicamento soluente, & ita sunt persuasi isti ex hac ratione solùm, vt si quis audeat loqui contra illos non dignêtur audire, & hoc est vitium illorum qui iudicare volunt, & cognoscere res absque distinctione, & hic fuit fons omnium errorum, ab ea autem temeritate vos cauere debetis. Natura tentat illum motum, verum est, sed considerare debetis quomodo tentat illum exitum, poterit enim esse iste talis impetus ad ea loca, & talis tentatio (vt ita loquar) quod erimus concordes, poterit etiam esse talis quod à vobis dissentiam, propterea motus iste, vel est naturæ regulariter operantis, vel coactus est motus naturæ operantis incaute, & quãdo est cum regula, apparet semper concoctio, quoniam virtutes naturales sunt tanquam chorus: & harmonia, attrahit primò attractiua, secundò retentiua retinet, tertiò verò concoctiua concoquit, & vbi facta est concoctio, non operantur amplius retentiua, & concoctiua, sed tunc insurgit expulsiua, & expellit id quod est expellendum: si igitur ista expulsio fuerit facta, postquam præcesſit debita retentio, & debita concoctio, cui dubium quod si tunc alui faceretis motum, quod ignari essetis medici, imò si natura benè & exquisitè operabitur, permittetis solum opus naturæ, si deficiet ad

iuuabitis

iuuabitis eam per eandem viam; quoniam natura particularis corporis à natura vniuersali; quæ per electionem agit, & nunquam errat, regulatur, quam Auicenna Cholcodeam vocat, & Petrus Pomponatius intellectum deforis aduenientem, propterea dicunt motus iste expulsiuus qui factus est regulariter, & ab vniuersali natura rectus, & verus motus non debet impediri: sed sequi ipsum debetis, & qui aliter faceret erraret maximo errore, & ratio modernorum (quantum ad hoc) est optima, motus verò naturæ coactus, quando fit à natura aggrauata à materia peccante, siue multitudine, vel mala qualitate aëris, vel putredine: cùm enim natura non potest tollerare eam multitudinem, siue fuerit plenitudo quo ad vasa, siue quo ad virtutem, tunc natura irritatur ad expellendum: quia membra vbi est materia, sensibilia sunt admodum, & cum similiter retentiua, virtus tollere non possit desinit à suo munere, concoctiua etiam abhorrens illam qualitatem, vel multitudinem in seipsam trahitur, & tunc insurgit expulsiua ad expellendum quod aggrauat præter tempus, & expellit symptomatice: in primo motu erit in vrina concoctio & tollerantia infirmi, in secundo autem totum oppositum, in

vrina enim non erit concoctio, & virtus cadet: quia natura est aggrauata, & motus est symptomaticus, non propter fortitudinem factus: sed quoniam retentiua non amplius retinet, ideo expulsiua facilè expellit, & ideo æger aggrauatur magis, nullumque sentit iuuamentum ex illa expulsione: dico quod in isto casu euacuare debetis, aliter ægrum mori permittetis, & si virtus tollerare non potest, cùm prognostico dicetis quid futurum erit, si virtus constat audacter contra morbum insurgatis, & quia hæc est repletio, & repletioni euacuatio debetur, & quoniam virtus à multitudine aggrauata est, derelinquit munus concoctionis, ideo si materiam euacuatis, insurget fortior natura suprà residuum, & concoquit ipsum: cùm autem debilis sit virtus, vt tollerare non possit per aggrauationem, vel resolutionem: quoniam vtroque modo contingit debilitas, horum inditia habebitis. Nam vbi non præcesserűt ea, quæ virtutem resoluunt, vel per paucos dies durauerit morbus, neque præcesserit euacuatio multa, tunc enim virtutis debilitas contingit, propter materiæ multitudinem, & vbi videbitis per ista signa naturam non posse tollerare multitudinem, euacuare debetis: quia statim virtutes fortes redire facietis facta euacuatione

tione, ideo rectè debetis res distinguere, & si medici in istos incidunt errores, hoc est, quia methodum ignorant, & quando isti dicunt: si euacuaueris trahes ad partem oppositam, dico quod natura euacuationem non tentat: sed hoc est, quoniam plurimum eius materiæ circa ambitum corporis est aggrauans virtutem, & natura aggrauata ad proximam expellit partem, scilicet ad cutim, cuius signum est quod subito retrocedit: quia non est portio materiæ, quæ sponte fluit: sed est à natura derelicta, sicut sudores diaphoretici, & sicut cum homines sine regula moriuntur, at ex euacuatione vestra naturam regulabitis, ex his apparet quid respondendum sit illi quæsito, quo quærit, an debeamus euacuare, nécne per eam partem quam natura tentat? dicunt aliqui euacuare nolumus nisi per cutim: quia quò natura vergit, si per conuenientia loca, eo ducere oportet, & cum cutis sit conueniens regio: quoniam inter mébra, quæ naturaliter suscipiunt excrementa, cutis est talis, ideo per eam euacuare poteritis, cum scarificationibus etiam respondeatis, quod si materia erit pauca, nec multa in venis, nec multum crassa, ita quod repletio pauca sit, licet id eueniat, posito, quod ita scit, & ideo ita expellere possit,

sit, potest tunc natura adiuuari: sed in febre pestilenti, vbi materia est multa, si cum illis maledictis cucurbitulis exterius trahere velletis, nihil esset deterius: quia subtile traheretis, & remaneret crassum, calorem minueretis, & putredinem augeretis, ideo vel cum phlebotomia, vel cum medicinis euacuantibus, euacuabitis; & ita responsum sit octauæ quæstioni in ordine, quæ quærebat vtrum esset facienda aliqua euacuatio apparentibus maculis, vel anthracibus, erat nona quæstio an liceret fieri clyster in huiusmodi febribus pestilentibus, hoc dico: quia multi moderni maximè Gulielmus in sua practica habent pro maximo auxilio: quia à corde, & à cerebro diuertitur, credo quod Gulielmus, & reliqui sequentes, vel nunquam pestilentem viderint febrem, vel vt cæci & extra se erant, dum talia scripserunt, nam inter reliqua nihil perniciosius est, quàm fluor ille qui perpetuo sequitur febrem pestilentem, & tunc nihil retinetur prorsus, & quicquid comedunt fluit, & omnia corrupta sunt, & putrida; & ideo si tunc clyster administrabitur fient intestina debiliora, & fluxus augebitur, ideo facere clyster est interficere ægrum & virtutem debilitare, vultisne ergo propter diuersionem facere clysteres?

ô vtinam

ô vtinam non essent diuersiones: Gal. in tertia sectione tertij epid. inquit perpetuum esse in febribus pestilentibus, non dixit in pestilentia: quia distinguit pestem à febre pestilenti quod fluor adsit. Erat decima quæstio an iste fluor comprimi debeat nécne: multi videntes ex fluore illo debilitari vires, ex hoc fluorem illum constringere conantur: sed id vos non faciatis: quoniam fluor ille sequitur: quoniam stomacus concoquere non potest, & plurima eorum pars putrescit, quæ comeduntur, præterea multi humores putrescentes ad ventriculum tendunt, à quibus vt se exoneret, expellit materias illas, & ideo si fluor ille retineretur, materiæ mouerentur, & cor pateretur, & interficerent, ideo adstringentia sunt euitanda, ne sequatur maior putredo in corde ex obstructionibus, maioribus causatis à materia illa retenta, periculaque enarrata sequantur, at tunc vsus clysteriorum, esset commodissimus, vbi suppressa esset aluus. Erat vndecima quæstio, an liceret vti cucurbitulis, quæ summopere necessaria est, quoniam si accedetis cum istis qui praxim exercent quandiu cucurbitulas applicare videbitis, aliquando x. xij. xx. xxx. xxxx. xxxxx. quandoque scarificatas, quandoque non, & motiuum habent:

quoniam

quoniam ad exteriora trahere oportet venenum illud intrinsecum, nec aliter persuaderi possunt, circa hoc non temere iudicare debetis : sed cum distinctionibus, vt isti cogantur dicere, quæ vos dicitis, & ratio sit illa, quæ vincat illos, rei ergo naturam considerabitis : & primò videatis, quæ sint cucurbitularum vires, & intétiones nostras super eas firmabimus, primò cucurbitulæ non scarificatæ violenter calorem ad extrinseca trahunt, & locum calefaciunt ad quem trahunt, locum verò intrinsecum à quo refrigerant scarificationes, locus cui applicatur, non tantum calescit, sed ex euacuatione sanguinis dum fit incisio ipsarum cucurbitularum, & spiritus attractione etiam refrigeratur ipse locus, ita quod locus ad quem primo calefit per sanguinis attractionem, & spiritus postea refrigeratur : quoniam spiritus & sanguis egrediuntur, sed qui patitur febrem pestilentem indiget calore innato plurimo & spiritu, bene habet calorem extrinsecum superfluum, sed naturalem paucum & semiputridum, spiritus vt semiputridos habet, ideo omni studio calorem innatum corroborare oportet, præter naturalem autem extinguere, cum cucurbitulis autem trahitis ipsum calorem & spiritus violenter existentes in profun-

do,

do, & ita concoctiones impeditis, calorem trahendo, qui potius augeri debet, & sic tunc non fiunt, quæ agenda erant; non enim calor putrescẽtem humorem vincit & motus iste contrarius est naturæ, præterea debilitatis virtutem & concoctionis loca priuatis spiritu & calore, & iste error est, qui causatur ex cucurbitulis, siue ex scarificatione: hanc solam habent vtilitatem quod calefaciunt externas partes, sed dum superfluitates tolletis cum scarificatione, refrigerabitis postea locum, & sic vtilitas erit modica, quia loco refrigerato exterius, nec interius, nec exterius, calor erit: quoniam cutis meatus magis obstruentur, & ita augebitur putredo, qua aucta non aderit postea calor naturalis, qui possit ipsam constringere & emendare, & hæc sunt incommoda ex cucurbitulis, quæ interimunt omnes qui non sunt validæ virtutis, & si qui sunt, qui euadunt, natura fortis, quæ luctatur ea est, quæ facit vt medicus honorem habeat, & postea in omnibus aliis id faciunt cum maximo suo dedecore ex infirmi morte, sed diceret aliquis, ergo dimittere debemus huiusmodi corpora intacta, & non trahere aliquid extrinsecus? minime, sed frictionibus vtendum est, & linimentis quibusdam, quale est illud quo vti-

tur

tur Aëtius,& est proportionatum cucurbitulis,sed notare debetis vnum quod primo dixit Ruffus, & postea moderni dixerunt qui nunquam à Ruffi præceptis discesserunt, quòd vbi apparent circa hypocondria tensiones, frigiditas extremorum, anhelitus frequentia, immaginationes offendentes, calorem exterius trahere debetis, propter quod verbum malè intellectum ab istis modernis, non malè ab Arabibus, in errorem inciderunt: duo dixit Ruffus, primò trahendum esse calorem, sed non dixit cum quibus, secundò dat tempus cum scilicet hypocondria tensa sunt, & extremorum frigiditas apparet, anhelitus densior & immaginationes corruptæ: ista omnia vt tertio aphorismorum habetur, sunt signa manifesta inflammationis interius incipientis; & si fuerit vrina tenuior, non permittere debetis vt inflammatio fiat maior; quia si vnquam in ægritudinibus inflammatio interior fugienda est, in his potissimum febribus cauenda est, & tunc dicebat Ruffus in tali casu exterius calorem trahere debetis, nec cum quibus, nec semper dixit, sed vbi signa apparent iam dicta, & non violenter trahere debetis exterius, quemadmodum fit cum cucurbitulis, sed sicut excogitauit Aëtius qui in huiusmodi casu

apparentibus maculis similibus morsibus culicum accipit oleum sabinum, aquam & nitrum, & ponit dosim omnium, etiam vult vt accipiamus aquæ vncias quatuor, olei sabini vncias duas, nitri drachmas duas: ego semper vtor hoc medicamento vbi volo exterius trahere apparentibus scilicet illis maculis, sed quoniam nostrum oleum commune, vt plurimum conficitur ex oliuis immaturis, ideo loco eius apponatis oleum amygdalarum amararum in eadem dosi, & decoquantur omnia, vsque ad consumptionem aquæ, & postea ex illo oleo perfundatur tota cutis: quoniam ex hoc moderatè incalescit tota cutis, fit attractio ad extra, & digeritur illa materia attracta, vaporesq; illi venenosi ad cutim eleuati exhalant, quia hoc linimentum aperit, attenuat, digerit, dissipat, pruritum quendam excitat ex quo pruritu natura ad cutim aliquid transmittere inciperet, & sic conuenientes facietis diuersiones, deinde factis frictionibus leuibus poteritis inungere corpus ex oleo melino, anethino, & huiusmodi.

Ex xij. quæstionibus à nobis propositis, satisfecimus vndecim reliqua erat duodecima an ante euacuationem, vel post vti liceret rebus abstringentibus: difficultas hæc est adhuc inter medicos, & istorum opi-

niones

niones tripliciter diuiduntur, quidam in principio tantũ res ſtipticas affectant, nonnulli volunt adſtringentia eſſe danda poſt euacuationem, quidam neque in principio, neque poſt euacuationem omnino concedunt, qui volebant ante euacuationem, & in principio vti aſtringẽtibus, & qui etiam nunc volunt, hanc habent rationem, dicunt maximè, nos præcauere debere, ne putredo accedat ad cor, cum aſtringentibus autem & exſiccantibus prohibetur, ergo aſtringentia conueniunt in principio, ideo terram ſigillatam (quam bolum armenum vocant) exhibent, radicem tormentillæ, & multa alia his ſimilia, ſecundi dicũt in principio aſtringentia eſſe remouenda, & hac vtuntur ratione, ſi in principio ſtiptica exhibeantur, obſtruentur viæ & meatus tam primarum venarum, quàm aliarũ partium, ex qua obſtructione putredo augebitur, ideo ſtiptica & aſtringentia non conueniunt præterea prohibebitur natura & medicus, ne commodè peccantes humores euacuare poſsit, ideo dupliciter peccant obſtructiones faciendo, & prohibẽdo naturam, & medicum quin rectè peccantes humores educere poſsit, ideo non debent concedi niſi facta euacuatione ad corroboranda membra, tertii verò dicunt neq; in principio neque

facta

facta euacuatione conuenire, & dicunt siue exhibeantur in principio, siue post euacuationẽ, siue in medio tempore semper eundẽ seruant effectũ, si in principio exhibeantur euacuationem prohibent, & augent putredinem, vt persuadent etiam secundi, etiam factis euacuationibus sequentur maxima incõmoda: nã factis euacuationibus debet prouocari vrina, vt residuum materiæ possit educi, leniri venter, quæ est curatio in febribus, à putredine prouenientibus, Ego verò dico quod quilibet istorum peccat, & ratio est quia nõ vtũtur distinctionibus, nec terminos intelligunt, iam sciuistis ex Galeno, & experientia docet, omne caput ignorantiæ esse ignorãtiam distinctionum, ex ea enim semper errores causantur vt primi fecerunt qui tenent in principio danda esse astringẽtia ne putredo accedat ad cor, hoc dixerunt propter ignorantiam rationis formalis febris pestilentis: iam audiuistis ideam febris pestilẽtis esse putredinem in corde, siue in contentis, siue in substantia ipsius, nec esse potest febris pestilens nisi putredo sit in corde, cum igitur apostema in corde sit præsupponunt vnum falsum, quando dicunt in principio prohibebitur putredo, sed accesit si prohibuissent putredinem, antequam adesset aliquid dixissent,

& ideo quoniam in principio iam putredo est in corde, cessat sua ratio, contra verò illos qui volunt post euacuationem licere vti astringentibus, & contra tertios, qui nolunt nullo tempore licere, dicimus quod peccarunt in hoc quoniam absolute pronuntiatur quod cum distinctionibus pronunciare deberent, debebant enim dicere quibusdam astringẽtibus vti licet, quibusdam non, & sic vtraque positio falsa est tam eorum qui post euacuationẽ, quam eorum qui nunquam licere dixerunt, cuius rei solutio est. scire debetis, astringentia quędam reperiri quæ saporem habent acerbum, vel ponticum, vt dicunt Arabes, vel astringũt, vt Græci, Arabibus cõmune est stipticum, Græcis austerum, quod autem austerum, vel acerbum est, astringendi, & constipandi vim habet, & hæc omnia quæ ita se habent fundantur in substantia terrestri crassa necessariò non victa aliquo modo à calore, propterea habent chimum malum, omnia ista astringentia acerba cruda admodum, frigidáque & sicca sunt, cum substantia crassa, ideo ratione frigidioris, & crassiæ substantiæ, vel non penetrant, vel tardissimè, non penetrant nisi in locis amplis, & præterea alia penetrare non permittunt, ad hæc sciendum est, si an conueniant iudicare

dicare vultis quod ſunt ex his acerbis & auſteris, quædam ſimpliciter talia, quædam quæ non ſimpliciter talia, ſed mixta, quæ participant de acerbitate & ſtipticitate, ſecundum vnam partem, ſecundum aliam verò partem participant de alio ſapore, quæ verò non participant aliquo alio ſapore abſolutè, & ſimpliciter aſtringentia vocantur, & ideo quæcunque ſunt acerba & amara, vel acerba, acria, aut acerba & dulcia, ſecundò permiſtionem ſaporum, habent vires permiſtas, exempli gratia ſit res amara, & acerba, ſimul ratione acerbitatis aſtringit, quatenus acuta, vel aeris, amaráque incidet & penetrabit, tum igitur aſtringentia dicamus ſimpliciter, illa erũt, vel mere acerba, vel mere auſtera, & vnam tantum facient operationem, ſi habent additamentum ratione eius effectũ faciẽt permixtũ, præterea conſiderare debetis, quod in iſtis aſtringentibus ſunt multi gradus, quædam validiſsimè aſtringant, & iſta ſubſtantiam habent craſſam, aliqua non ſunt ita validiſsima, ſed leuiter aſtringunt, tertiò ſupponere debetis aſtringentia, vt aſtringentia conuenire, ſi ſciueritis quibus indigeamus in febribus peſtilẽtibus iam ſciuiſtis quod aperiẽtibus, quoniam obſtructio erat cauſa prohibitæ euentationis, id eſt, pu

tredinis, igitur obstructiones sunt aperiendæ ne putredo augeatur: primò igitur aperientibus indigemus, & exsiccantibus, ergo quæ aperiunt & exsiccant conueniunt: pręterea indigemus rebus quæ concoctionem adiuuant, quia materiæ multæ sunt & crudæ, & materiæ crudæ indigent, vt abstergantur, & incidantur, ideo eligere debetis quæ aperiant, penetrent, exsiccent, concoquant & materiam præparent, si astringentia omnia ista facere possunt indigemus astringentibus, si verò facere non possunt ista quæ diximus, sed potius impediũt, sunt fugienda, diximus nos ea astringentia quæ absolutè talia appellantur, & frigida, & sicca in crassa substantia fundata obstruere venas in quibus adherent, ideo omnia talia erunt fugienda in febre pestilenti, quia ex his facietis obstructiones maiores, quoniam non penetrãt, neç alia penetrare permittunt, & rebellia sunt concoctioni, quia à calido concoctiones fiunt & sic afficiunt maximè, at si astringentia permixta fuerint cum contrariis substãtiis, vt cum miscetur substantia astringens cum re tenuis substantiæ & frigidæ, vt in rosa, in qua est vis astringendi, cum tenuissima substantia, vt probat Galenus in tertio de simplicibus medicamentis capit. xvj. vbi inquit,

qui

qui sit tenuis substantiæ, vt in rosa in qua dulcedo,& amaritudo repetitur,& ista moderata astrictio cum tenui substantia non tantum non impedit penetrationem, sed adiuuat, quoniam tenuis substantia penetrat, vis autē illa astringēs moderata comprimendo moderatè facit, vt maior fiat expulsio & exsiccatio, & pro hoc videndo accipiatis, vt dicit Galenus corium & illiniatis oleo rosaceo citius penetrabit corium ipsum & tumefaciet, quam faciat aliud oleum commune ratione illius leuis astrictionis: vnde videre potestis, quàm temere sit dictum. Nulla astringentia in febre pestilenti conuenire, ideo rhabarbarum cum habeat vim astringendi, est etiam in sua substantia tenuis amaritudo quæ penetrat & abstergit,& summopere obstructiones aperit, quia modica adstrictio, cum tenuitate substantiæ ad penetrationem facit, si verò vis astringendi non solùm adiungatur cum tenui substantia, sed etiam illa tenuis substantia sit calida, non solùm non prohibet penetrationem, quinimò ex ea tenuitate calida, ita conuenirent inuicem, vt non tantum pharmacum illud aperiat, sed etiam penetret & concoquat, propter caliditatem quam habet, & quia astringit facit vt calor immoretur, & meliorem fa-

ciat concoctionem, præterea emollit etiam vt Galenus inquit, in sextò de simplicibus medicamentis cap. de croco, & ita habetis quomodo quãdoque imò semper licet vti astringentibus, si eligantur quæ mixta sunt cum tenui substantia, vt in rosa, vel calida, vt in rhabarbaro, myrrha, croco, aloe, at si ea eligantur quæ absolute astringentia sunt, talia semper fugienda, istis visis. Restat videre vtrum possimus vti bolo armeno, & quoniam imaginantur multam astrictionem esse in ipso, applicare nesciũt quæ debent exhiberi, & inquiunt, licet bolus armenus noceat, & nobis non placeat ratione suæ astrictionis, habet tamen proprietatem occultam quæ veneno occurrit pestilentis febris, vt maius iuuamentum, dicunt illi, ex qualitate illa occulta veneno resistendi quam habet nocumentum ex astrictione, præterea Hippocratis & Galeni auctoritates adducunt, in tertiò de reg. acut. loquentem de oxymelite: inquiunt enim non inuenitur medicina, quæ aliqua ex parte non noceat, & ita aptant res suas, nec eius sententiæ recordantur quam Galenus in tertiò de prognost. expulsu affert contra Erasistratum disputans, vbi ait, qui volunt ostendere se aliquid docere cum tamen nihil doceant ad duo confugiunt, ad

propr

proprietates occultas, & ad nomina ignota, vos verò rationales estis, non ad illas proprietates occultas occurrere debetis, nec obscuris vti nominibus: ad difficultatem, igitur respondeo, an bolo Armeno vti debemus, dico quod possumus, nō quia in illa sit qualitas occulta resistens veneno sed manifesta: quod testatur Galenus in quintò de simpl. medicament. vbi lōgo discursu illius boli armeni virtutem probat, & inquit omnibus conuenire quæcunq; sunt putrida, humida sicut sunt vlcera putrida, & omnes putredines interius & exterius, & postquam dixit mirabilem habere vim exsiccandi, subiungit, in magna peste quæ nostra peragrauit tēpestate similis ei quam Tucydides descripsit nihil cōueniētius erat, quam bolus Armenus, & omnes qui celeriter ex eo bibebant curabantur, quoniam validissimè exsiccat, & quoniam in febre pestilenti summa curationis est exsiccatio ideo præstantissimum remedium erit, ex hac ratione conuenit asthmaticis, sputo sanguinis, vlceribus oris putrescentibus, catarrhis quod à capite ad pectus defluunt, & vlceribus pulmonis, qui autem bolus armenus sit astringens, & vnde id habuerit (ignorant) si ad auctoritates recurrere volunt, non habent quo fugiant, si ad experientiam

 falsam

falsam esse ostendam si ad modum substantiæ, ostendam non habere insignem astrictionem, sed eam dumtaxat quam volumus, cuius signum est, qui in asthmate datur, si maximam astringendi vim haberet, eo modo asthmaticis conueniret: vultis ratione videre quod non astringit, sed quod validissimè exsiccat, accipiatis bolũ armenum nostrum, & super linguã ponatis, adhærebit linguæ, hoc non faciunt reliqua astringentia validissima, nam si accipiatis acatiam gallam vstam, aut non vstam, alumen non facient hoc, quoniam tantum habent vim exsiccãdi, bolus verò armenus, cũ statim linguæ humiditates trahat, cúmque sit viscidus tunc valide adhæret, vt discedere nolit, si astringens esset, vtique caderet & humiditatem nõ attraheret, ideo statim adhæret linguæ ratione suæ maximè siccitatis, præterea modum suæ substantiæ videatis nostrum bolum armenum accipiatis & teratis ipsum vsque ad vltimã contritionem conteri poterit, astringentia verò non poterunt conteri, vltima contritione, præterea vnctuositatem habet, vnctuosa autem astringentia non sunt & hanc ob caussam deridet Galenus Dioscoride qui dixerit vrsi adipẽ astringere, inquit ipse fortè id dixit, quia conuenit dissenterie, si verò vult

quod

quod id faciat ratione suæ substantiæ, errat, quia omnia vnctuosa cum fundentur in substantia calida aërea non astringunt: non habent ergo per se authoritates quod insigniter astringat, bene leuem astrictionem habet, quæ potius ad maiorem penetrationem facit, hic vnum deerat, nam ego tetigi, nos non habere bolum armenũ, quare ergo tot verba consumpsisti? Ego bolum armenum nostrum non dixerim idem esse cum eo de quo Gal. de simpl. medicamen. sextò mentionem facit, sed bene easdem habere virtutes, & esse eiusdem generis, & Gal. VI. de simpl. med. non artem historiæ profitetur, sed credit Dioscoridi, nec Gal. curat scire quid sit, sed tantummodò quam virtutem habeat, pingit igitur Dioscor. hanc terrã maximè esse exsiccationis, quoniã Gal. ex Armenia interconfinia inter Capadotiam & Armeniã asportari, inquit in capite de rubrica Synopica, & ait asportari ex Capadotia: Plinius tres posuit species, Galenus duas, vnam lutei coloris, & hanc Galen. describit, alteram coloris epatis de qua Dioscorid. meminit, & Theophrastus, quod autem sit eiusdem virtutis, inquit Dioscor. habet rubrica hæc synopica vim exiccandi cum modica astrictione, quia (dicit) opplet & infarcit, & habet vim empla-

 sticam,

sticam, & quæ ita sunt non magnam vim astringendi habent, sed modicam: in proposito autem cum de bolo Armeno non faciat mentionem Dioscor. sed de rubrica synopica, quæ asportatur ex Capadocia, sed Gale. de bolo Armeno, qui & ipse exportatur ex eodemmet loco, & cum easdem virtutes habeat, credo quod sit idem, quia virtutem, scilicet vim exiccandi habet, & linguæ adeo adhæret vt ipsam in paruo tempore totam exiccet, præterea in asthmate, in sputo sanguinis mirum in modum conuenit, non quia constringat, sed quoniam sine læsione exiccat, fluxus sistit, vlcera exiccat, & pectus corroborat, & non exasperat, quod signum euidens est, quod non astringit valide, & conuenit in principio, in medio, & in fine, non quia qualitatem occultam habeat, sed quia validissimè exiccat, relinquitur modo vt videamus an conueniat syrupus, de acetositate citri, dicunt isti & maximè in hac ciuitate non conuenire, & ratio eorum est, quia ea, quæ astringunt non conueniunt, syrupus ille astringit, ergo non conuenit: iam vidistis quid sit iudicandũ de huiusmodi astringentibus, ita quod acida & astringentia differunt, quoniam astringentia in substantia terrestri frigida fundantur, acida verò in tenui substantia, ideo facillimè

cillimè penetrant, si modo istis concedatur, quod syrupus iste aliquam leuem astrictionem habeat, quoniam & quæ tenuem habent substantiã cum modica astrictione penetrationẽ adiuuant, ideo leuis hæc astrictio faciet ad maiorẽ penetrationẽ, dico secundò quod non habet astrictionem: quoniam si volumus videre veritatem huius rei ex gustu hoc fiet indicium, nam quæcũque habent aciditatem solùm, habent prorsus sine astrictione, si gustui referatur, idque commodissimè comprobabitur experientia, si omphacium, scilicet succus aggrestæ, & succus citri offerãtur gustui, ex aggresta percipietis vna cum aciditate vim astringendi, sed ex succo citri mordicationẽ tantùm, præterea ponatis succum aggrestæ in vitro, in alio succum citri, & lapillum, vel ouum ponatis in vtroque succo, succus de acetositate citri emolliet ouum sicut cerã, & tandem incidet illud, aggrestæ verò succus nihil eorum faciet, quia succus citri tenuissimè substãtiæ est, ideo penetrat, & incidit, aggresta verò propter partes terrestres non potest id facere, ideo licet aggresta sit frigidior, quam acetum, magis tamẽ refrigerat acetum, quam aggresta propter substantiæ subtilitatem.

Proposuimus superius tria esse genera & capita

capita à quibus sumebantur indicationes curandi, quæ fundamenta non tantùm sunt in his febribus, sed communia in reliquis curationibus etiam erant, primum erat hoc vt specularemini morbi naturam, secundum erat subiectum, scilicet corpus humanum quod est præter naturam dispositum, intelligimusq́; non tantùm corpus humanum considerandum esse, sed annexa omnia alterantia, & immutantia, vt aer, cœli status, regio, cōsuetudo, ætas cum reliquis annexis tertium erat facultates regentes corpus humanum: ista tria indicāt ille quinq;, quid agendum, quantum, quando, quomodo, & vbi, ostendimus singula istorum diuersimode considerata distinguere has conditiones, diximus quomodo à morbi natura, & eramus in his indicationibus inueniendis, & in ista natura morbi rectè considerandа quoniam ea rectè cognita, quid agendum facillime indicabitur, & in ea diximus eandem methodum seruari debere, quæ in indaganda natura vniuscuiusq; rei materialis seruatur, ea autem est contemplatio, & omnium causarum consideratio, tum intrinsecarum, tum extrinsecarum, inter quas quasdā efficientes diximus, & quomodo ab eis indicationes sumantur ostendimus, discurrimus etiam per extrinsecas caus

causas vt per aerem, deinde intrinsecas inter quas, quædam remotæ, quædam proximæ erāt, ab intrinsecis remotis incepimus, & ipsas esse humores diximus, & contenta, & ea omnia expleuimus, propterea, ne quid nobis deesset duodecim proposuimus quæstiones, & eas expleuimus, simulq; satisfecimus causis efficientibus intrinsecis remotis, à quibus indicationes curandi sumebantur seu euacuandi, reliqua erat causa proxima, & cōiuncta inter quam & morbum nihil cadit medium, quæ consideranda est, & hæc est putredo: quoniam calorem præter naturam efficit in corde, qui febris est, & concurrit, neq; materialiter, neq; formaliter: sed actiuè & effectiuè, igitur ista est causa proxima, quæ remoueri debet: indicationes ergo remouendi putredinem ab aliquo initio sumere debemus, sed quodnam erit initium, nisi rei natura, à qua nunquam discedere debetis? natura igitur rei, quam remouere, vel conseruare vultis, erit initium, quoniā nullus est tam rudis quin videat, si vult rectè agere circa aliquam rē, quod eius naturā perscrutari debet, vt sciat quid agendum circa ipsum, quantū, & quādo: igitur debemus putredinis naturam cōsiderare si volumus habere indicationes quomodo putredo tollatur: cum igitur ex

quat

quarto meteor. sciatis quod putredo fit tanquàm à causa efficiente à calore extraneo, sicut per oppositum fit conseruatio à calore innato conseruante humidum, in quo est, ideo casua efficiens putredinis est calor extraneus, subiectum est humidum cõtinens, vel continens rem, quæ putrescit, & ex tali corruptione sequitur iste effectus, qui est putredo, quæ est via ad exiccationem; quia omnia quæ putrescunt tandem exiccantur, & hæc putredinis est natura, si eam in suis causis consideratis, & quia scitis à calore extraneo fieri, scire debetis eius diuersitatem, quoniam multis modis introducitur putredo in re putrescibili, aliquando calor accedit exterius, qui attrahit calorem innatum in re putrescibili existentem, & dum calor extrahitur, secum trahit humidum, & facit rem putrescere, vt in magnis contingit caloribus, quando fructus & carnes putrescunt, aliquando calor putrescens interius oritur modo quia extrinseca fit occasio, & magna est differentia si putrediné remouere vultis, an putredo intrinsecus nascatur, vel exterius, quando calor extraneus corrumpitur, vel est ita potens vt non tantùm calorem trahat innatum rei, quæ putrescit, sed propter summam efficaciam exiccat, & arefacit humidum suo

dum sine putredine proprie dicta, quæ fit cum humidum paulatim trahitur cũ quadam ebullitione,& resoluitur,& fœtet tunc res putrescens, fit illa putredo cum coinquinatione & fœtore, & cum vermibus,& aliis huiusmodi:appellatur autem putredo illa,quæ à vehementi fit calore,ex qua repentina sequitur exiccatio, Græce vansis, id est exiccatio,sicut cum fructus exiccantur,& sicut fit in mumiis,hoc dicere volui, vt bene intelligatis auctoritates Galeni, quoniam dixi ego quod non fit febris pestilens nisi ab aeris caliditate adiuncta plurima humiditate,imò in febribus pestilentibus esse debet humiditas aeris: tamen calidum præualere debet,isti afferunt Galeni auctoritates primo de differentiis feb. vbi inquit,quandoq; à maximo aeris æstu fieri febrem pestilentem,sicut contingit in ea magna pestilentia Thucydidis,vbi maximam ponit caliditatem absq; eo quod de humiditate aliqua mentionem fecerit.Dico quod Galenus intellexit de caliditate humiditati coniuncta,nõ de simplici caliditate, nec propter hoc somnium adducas ad improbãdum sententiã meam,quod autẽ fuerit caliditas plurimæ humiditati adiuncta ostendam,primo per curationẽ factam ab Hippo.Athenis & ab Acrone Agrigentino

in Sicilia eo tempore dum sæuiret febris ea pestilens, correxit Hippocrates, Galenus, & Aetius vt supra aerem odoratis calidis & siccis, sed proculdubio si calida fuisset intemperies sine humiditate: sed cum siccitate, tunc curatio facta per contrarium non fuisset, nec correxissent aerem, ergo fuit intemperies humida ex quo exiccatione indiguit, præterea quod illa aeris caliditas cũ plurima fuerit humiditate, videatis Galen. nono de simpl. med. vbi de bolo Armeno loquitur, inquit quod suo tempore pestilentia fuit sicut Thucydidis, sed suo tempore propter plurimã humiditatem, quoniam inquit ibi pluuiæ erant putrefacientes humiditates ergo talis etiam fuit eo tẽpore Thucydidis, tum propter curationem factam ab Hippocrate, tum propter auctoritates Galeni, præterea in tertio eiusdem semper videbitis Galen. decies repetentem quod nulla febris pestilens fit absq; plurima humiditate, igitur omnis febris pestilens fit propter plurimam humiditatẽ existentem in aere, bene fiunt aliæ ægritudines Epidemicæ, sed non febres pestilentes, & quia aliquis dicere posset, forte illa pestilentia, quam curauit Hippocrates: non fuit ea quam descripsit Thucydides, dico, quod ea fuit quoniam vt Soranus recitat floruit

Hippoc

Hippocrates tempore, quo bellum Peloponesiacum factum fuit, & ea ætate floruit Thucydides, quia descripsit bellum illud, cui etiam dixit se interfuisse. Pausanias pręterea in rebus Atticis, inquit de Appollinis templo, quomodo Appollonum Anaxiatanum appellat conditum eo tempore quo liberauit Hippocrates Athenas à peste, idẽ refert: quando ergo habetis à Galeno à caliditate factam fuisse pestem intelligatis de caliditate cum humiditate simul, & quod sit hoc verum legatis Thucydidem qui in textu: eam compellat caliditatem suffocatiuam propter plurimam humiditatẽ existentem in illo aere, & hæc satis de extrinseca causa.

Vt perficiamus quod polliciti sumus in his febribus pestilentibus: vbi iam studuerimus putredinem à corpore aufferre, euacuando humores putridos, & corpus transpirabile reddẽdo, prout rei natura in omnibus agẽdum docet, post euacuationem corroborantibus, & exiccantibus vtemur, sicut etiam moderni optimè fecerunt, quod in febribus putridis trochiscos scripserunt de Rosis, de rhabarbaro de absynthio qui habent vim exiccandi, & corroborandi, & dicemus in febribus putridis, ideo vbi remouebitur putredo subito ad exiccantia deueniend

M

niendum est vt corpus exiccetur & corroboretur,& inter hæc potissimum est theriaca & mithridatum,quoniam exiccant & corroborant, & maxime resistunt veneno, & hæc satis ad tollendam causam coniunctam feb.pestil.indicationes modo, quæ à causa formali sumuntur & calore putredinali existente in corde, quæ vera est ratio formalis,quæ & ipsa requirit proprias indicationes curandi videndæ sunt,vbi ergo putredinalis calor adest,tollendus est,& ita huiusmodi formalis rationis cōceptus vniuersalis,facit vniuersalem conceptum indicationum:sed quomodo tollēdus est?oportet inuenire methodum recte operādi.Methodus autem tollendi calorem istum erit cognoscendo naturam caloris putredinalis,quantum ad calorem febrilem,& talis est vna indicatio vniuersalis, sumitur ergo aer,vt refrigeretur,& humectetur,& cū ita sit,ergo talibus indigemus : quia contraria contrariis curantur,sed in hoc considerare debetis caloris putredinalis naturam esse, vt habeat putredinem sibi annexam,& ita habet causam sine qua non & cum nō possimus curare aliquando affectum,nisi causam sine qua non remoueamus, ideo ita non poterimus remouere calorem putredinalem nisi exiccantibus vtamur propter

huius

huiusmodi annexam putredinem, quatenus calor est, refrigerantibus vtimur, quatenus annexam humiditatem habet exiccantibus: vti debemus, ideo frigida & sicca conueniunt, quantum ad particularia instrumenta habuistis syrupos, & quæcunq; in potu & cibo exhibentur, & refrigerantia & exiccantia sunt, & quoniam propter ariditatem linguæ & siccitatem actu frigida, & sicca accipere non possunt, ideo actu frigida & humida erunt, potentia verò frigidissima & sicca, igitur si ptisanam exhibebitis ipsam decoquetis in aqua mirthi vel acetosæ, vbi sint frusta limonum, & maxime interior pars, quæ acetosa est, quod sic habebit vim exiccandi quo ad potentiam, postea actu humida erunt, nec actu calida exhibeatis, sed tepidam, vel frigidam maxime in æstate, in potu verò aquam acetosam, mulsam, limonis, & endiuiæ exhibere poteritis, & apponere modicũ aquæ rosaceæ in potibus, quoniam habet vim exiccandi & refrigerandi, & mirum in modum confortat cor, & spiritus corroborat, quæ verò quantitas cibi sit exhibenda, quando loquemur de virtute vnum verbum dicemus, sed quoniam moderni circa alterationem, quæ fit cum suis oppositis non parum hallucinantur quatuor

ſunt videnda in quibus errant,primum eſt de exhibenda aqua frigida,quia iſti medici admonent quod potus aquæ frigidæ vſq; ad ſanitatẽ eſt exhibendus,admonent enim vt non parum,ſed in maxima quantitate, & copia exhibeatur,& omnes ex tali potu interficiunt,qui veram habent febrem peſtilentem cũ putredine in corde,eſt tamen Auicẽna,Paulus,Aetius,Raſis,& ruffus,qui prius inquiunt aquam eſſe dandam,& tanto magis ab errore caueatis,quanto defenſores magnos habere videntur,& ille Nicolaus Florentinus dixit de quodam ciue Florentino tempore ſuo, cum medici exhibuerunt aquam frigidam in febre peſtilenti de more,quod ſtatim ex potu tali incidit in difficultatem anhelitus,& ſuffocabatur,& fuit ille vocatus vix curari potuit,tamen rationem non reddit,ſed ad canones recurrit vniuerſales, & inquit id contigiſſe,quia vir ille habebat ventriculum debilem,& hoc dixit,quia adeo credebat Auicennæ,vt ſi quempiam vidiſſet interiiſſe ex potu aquæ frigidæ, dixiſſet id eueniſſe ex ventriculi imbecillitate. Dico ego pro concluſione quod in febre peſtilenti vera quãdo putredo eſt in corde,ſiue in cõtentis, ſiue in ſubſtantia cordis,in nullo caſu conuenit,nec in principio,nec in augmento neç in ſtat

in statu,nec in declinatione,stante ægritudine pauca,nec multa,& ratio est sicut dicebat Galenus in primo, de simpl.med.vbi cap.xxx.de sitis causa loquitur,quia aqua omnium humida est quæ sunt in natura, & ad ea quæ humectanda sunt,nihil præstantius aqua,& quia nihil deterius est in hac febre,(vt docuimus)quàm humectare, ideo non conuenit, quoniam humectando putredinem auget,maximè cũ multa habeamus quę sine humectatione refrigerant: quare autem Ruffus id dixerit, & reliqui quod exhibenda est aqua in maxima copia,hoc est quod maxime admiror,quoniã moderni non aduerterunt verba Ruffi,dixit primo quod si fuerit febris ardens & loquitur de febribus vagantibus & maximè si apparuerit æstus circa hypocondria,tũc exhibenda aqua frigida non in modica quantitate,quia tũc augetur febris,sed vsq; ad satietatem,ait autẽ non in modica quãtitate sit exhibenda,reddit rationem Gale. in tertio de ratione victus in acutis,quoniã conuertitur in bilem.vbi igitur fuerit febris causon,& casus positus à Ruffo maxime conueniret aqua frigida factà concoctione,sed nulla febris pestilens est causus, nec magnum habet calorem dicebat Gale. in tertio de prognosticis ex pulsu:imò vi-

detur quod non sit febris nec potest esse ardens, quia putredo est in corde, & calor modicus, vbicunq; igitur inuenietis veram febrem pestilentem, si dabitis aquam frigidã semper interficeretis ægrum, quia difficultas est, an sit exhibendum vinum, nonnulli enim ita aggrediuntur vinum, vt nolint febrem pestilẽtem curare, sine vino, aliter statim dicunt, morientur ægri, quia statim resoluuntur, imò etiam propinatur maluaticum, aliqui abhorrent vinum & aquam exhibent, vtriq; malè faciunt, & cum vino & aqua interficere poteritis, sed quãdo sit exhibenda aqua, & quando vinum, non modo in his febribus verum etiam in omnibus aliis, audiatis. vident isti Hippocratem non abhorrere vinum etiam in acutis, & Galen. distinguit, sed vnum dicit hic, vnũ alibi, nõ possunt deinde scholares resolutionem, & veritatem scire, certũ est quod nihil est detestabilius in corpore humano febre correpto, quam exhibere vinum, vbicunq; sunt quatuor, vel quinque casus, primus est vbi materia faciens morbũ sit cruda, secundus est quãdo apparet delirij signũ etiam minimum, tertius est quãdo febris est iuncta cũ maximo capitis dolore, quartus est, quando fuerit aliqua inflãmatio in viscere, vt in hepate, pleuritide, phrenitide, renibus, pulmonib

monibus, vētriculo, vel intestinis, & vinum ebibitum in pleuritide interficit, non quia inimicum sit pleuritidi, sed quia inimicum sit omnibus inflammationibus internis, omnia hæc habetis à Galeno, in primo ad Glauconem, in cap. vbi curat febres continuas cum accidentibus, vbi remouebitis istas conditiones vinum non est prohibendum, sed exhibendum, & si non exhibebitis ægritudines producetis, sed quod vinum est exhibendum, non omne, sed quale descripsit Gal. in tertio de morbis acutis vbi de vino loquitur, & inquit vinum aquosum non dulce est illud quod febricitantibus conuenit, tale maximè conuenit, cur autem conferat vinum in febribus remotis illis conditionibus, est quia vinum facit penetrare propter tenuitatem substantiæ, & propter moderatam caliditatem, quæ cum humiditate iuncta est, ideo apparentibus cōcoctionis signis vinum exhibebitis, quia vrinam prouocabitis, obstructiones aperietis, sudoresq; inducetis, & sic materiam iam concoctam è corpore educetis, calorē iam squallidum restaurabitis, concoctiones augebitis, ideo apparentibus signis concoctionis, nihil salubrius erit quā exhibere vinum, & etiam in inflammationibus internis, sicut fecit Hippocrates in pleuritide, quod appa

rentibus signis concoctionis exhibuit vinum vt vires restauraret, sputumq; facilitaret, sed si modo exhibeatur vt supra contrarium erit, nam primo natura materiam peccantē concoquere non potest, quia adeo mala est, & tam mala qualitate referta, vt non vinci possit, imò calor innatus à materia vincitur, ideo paulatim & non confertim materiam aggreditur, quia aliter suffocaretur, sicut facit ignis cum multa ligna sibi imponuntur, flamma non apparet excitata, nec dilatatur, sed in se continetur, vt materiam proximam agitet, & vires acquirat eundo, donec totam vincat, ita etiam si vinum in principio exhibeatur nondū idoneum est ad concoquēdum materiam, ideo febrilem augebit calorem, non distributio fiet propter obstructiones plurimas, & hac eadem ratione neq; inflammationibus internis vinum in principio est exhibendum, nam dum inflammatio cruda est perseuerat fluctio, stante verò fluxione ad membrum nobile magis ex vino augebitis fluxiones quia in fluxione semper sunt membra mandantia, membra recipientia humores & viæ per quas huiusmodi humores debent fluere, ex quibus fit vt membra mandantia magis mandent, recipientia magis recipiant, humoresque magis fiant inutiles,

les, & ad fluxiones paratiores, viæ quoque magis aperiuntur, latæque fiunt, & sic omittendum est vinum epitima pro corde in febribus pestilentibus. Accipe boli armeni orientalis, drachmam vnam, aquæ rosaceæ vncias tres, aceti semiunciam, misce suffumigium. Accipe sandalorum, gariofilorum, ana semidrachmam, aquæ rosaceæ vncias tres: aceti vncias duas, vini maluatici parum misce, puluis ponēdus in ferculis. Accipe rosarum rubearum, boli armeni, ana drachmam vnam, scrupulos duos, ambræ musci, ana grana quatuor: misce syrupus. Accipe syrupi de succo acetosæ, de acetositate citri, ana drachmas sex, decoctionis infrascriptæ vncias quatuor. Accipe rosarum rubearum manipulum medium, seminum contusorum, drachmas duas, radicis tormentillæ sesqui drachmam, doronici drachmas duas, Zedoariæ drachmas duas, sandalorum sesquidrachmam, aquæ acetosæ lib. duas: bulliat aqua ad consumptionem tertiæ partis & seruetur ad minus pro quatuor syrupis.

Dubitationes aliæ duæ supersunt quarũ vna est an ius pulli sit exhibēdum, in hac febre pestilentiali quia medici sunt qui exhibent, sed quare dent, nesciunt asignare rationem, circa quæsitum illud vt per conclu-

sionem habeatis resolutionem, primum videre oportet, quid facere possit ius pulli & quas vires habeat, postea an ius pulli cum his determinatis viribus cōueniat in febribus pestilētibus: iam sciuistis pestilētem febrē à maxima oriri putredine, & maxima indigere exsiccatione, si postea sciueritis tēperaturā iuris pulli, etiā me tacente scietis, quid iudicandum sit, intelligo de iure pulli iuuenis non antiqui nec galli, quia tale ius vim habet solutiuam & lenitiuam, & potius huiusmodi ius est medicamētum quam cibus, ius pulli habet hanc proprietatem, vt maximè humores omnes corporis contemperet: intelligimus humores corporis contemperari, id est, cum qualitas excedens in humoribus retunditur aliquo medicamento: deducitur enim ad temperaturam, quia remouetur quod excedit, igitur ius pulli contemperat, quod ostendam per inductionem in omnibus humoribus, de bile, quod contemperet eam patet, quia in iure pulli est vis humectandi substantifice, quoniam ab Arist. quarto meteorum habetis quod elixatio trahit à re elixata humidum substantificum, & permanet in iure elixante, & ideo sicciora sunt interiora, exteriora verò humidiora propter, scilicet aduentitiam humiditatem aquæ, quæ ingreditur per poros

carnis,

carnis, humiditas verò ea est substantifica qua homines nutriuntur, qui bibunt huiusmodi ius, primo igitur habet quod humectet humiditate substãtifica, & etiam aduẽtitia, quia habet humiditatẽ aquæ, & humiditatẽ substãtificam pulli, & sic ex illis duabus humiditatibus, maximè contemperat bilem, cõtemperat etiam humorem melanchohcũ: quia humectat intelligo de vtraq; humectatione, habet præterea moderatam caliditatẽ acquisitã ab eo humore pulli in quo est moderata caliditas ideo cum efficiatur moderate calidum, & humidum duplici humiditate melancholicum humorem, qui frigidus & siccus est retundit, retũdit etiam pituitam propter tenuitatem substantiæ, quæ eius crassitudinem penetrat, vrinam prouocat, corpus humectat, propter facilẽ penetrationem, & ita humorẽ crassum contẽperat, quia dum penetrat partes eius, tollit compactionẽ; & cum pituitosus humor suo lentore adhæreat parietibus, ius pulli abluendo, & abstergendo deponit ipsum, vnde videmus quod ex iuris assumptione plurima pituita educitur, ideo videtur cibus, & potus commodissimus, similiter est medicamentum ad retundendum qualitatem existentẽ in humoribus, Moderni etiã omnes dicunt ius pulli cõtemperare omnes

humor

humores ſed rationem non aſsignant, ſed aſſumpſerunt illud primò à Dioſcor. ſecundò à Galeno, ſed in Dioſcoride error eſt, & Marcellus ſolus locum emendauit, & tam aperte reſtaurauit, vt ſi nihil aliud feciſſet plurimum fecerit, deerat tota iſta pars. Daturque eſculentum ius pulli quidem ad emendanda in homine temperamenti ſui vitia, & in ardoribus ſtomachi ſimpliciter confectum, primus fuit Dioſcorides qui hoc dixit, ſecundus fuit Galenus, ſed videtur eſſe mendum in vndecimo de ſimplici. medicament. in capite de Gallinis, dicit in textu ius gallinæ ἐπικρατικῆς δυνάμεως, ille qui vertit, inquit ius gallinæ ſiſtit ventrem, quia credebat verbum illud ἐπικρατικῆς ab ἐπικρατέω prouenire, quod eſt detineo, ideo vertit detentiuæ virtutis eſt, ſed prouenire non poteſt ab ἐπικρατέω, hoc adiectiuum ἐπικρατικῆς, bene legitur ἐπικρατικῆς, δυνάμεως, ab ἐπὶ & κεράννυμι deriuatum ſit hoc compoſitum ἐπικεράννυμι hoc eſt contempero ideo hoc adiectiuum ἐπικρατικῆς ab ἐπικεράννυμι, ideſt contemperantis virtutis, & in hoc bonus ille vir Curtius cum non aduertiſſet codicem græcum innuit ius pulli ſiſtere ventrem, & ita habetis quod ius pulli contemperandi gratia datur, & rationem audiuiſtis, cum ſciatis

ius pulli habere vim contemperandi humores, & vim humectandi: vtrum modo conueniat in febre pestilenti dico quod nullo modo conuenit, in febre pestilenti, sed bene in putridis aliis commodissime exhibetur, quia licet contemperet humores non est principalis intentio humorum dominium, sed putredo maxima est principaliter attendenda, ex qua habemus motum præcipitem & accidentia sæua, ideo Auicenna clamabat curationis summam esse exsiccationem, si quandoq; coacti essetis, quia nihil esset commodum pro nutrimento, & æger appeteret huiusmodi ius pulli, exhibeatis alteratum, & poteritis miscere frusta limonum, citrorum acetosorum, & myrtos cum modica aqua rosacea, imò carnes etiam decoquere debetis in aqua acetosæ, quia sic habebitis iura quæ habebunt vim exiccandi & nutriendi. Vltima quæstio est vtrum vti possimus extrinsecis alterantibus, & linimentis circa cor quæ refrigerent. in hac re intricantur isti curantes has febres, nonnulli apponunt, nonnulli non, & dicunt isti si apponantur linimenta, circa cor, vel erunt frigida actu, vel potentia erunt talia, & quodcunque fuerint semper constipabunt, & prohibebunt euentationem cordis, & magis naturam, & vapores intus

intus præcipitabunt, & sic magis cordis calor augebitur. si calida apponentur, inde putredo magis fiet, hac ratione persuasi isti viri nnnquam apponunt aliquid exterius, sed parcatur, isti valde vtuntur confusa ratione sicut de rebus astringentibus diximus: id est dicendum de his, nam si res multum frigidæ actu, potentia applicarentur astringentesque multum, omnia iam dicta incommoda sequerētur: sed quoniam nonnulla sunt non ita frigida, aut actu, aut potentia, quæ transitum non impediunt, sed sunt moderate talia, ideo illa debent adhiberi: quia penetrationem adiuuat modica astrictio, & talia erunt succus limonum, aqua rosata, aqua acetosa, quia hæc habent frigiditatem cum tenuitate substantiæ, & penetrant, & citissime refrigerant, & citius quam quæ per os exhibentur, quoniam quæ per os exhibentur, primo ad ventriculum deueniunt, post ad hepar, deinde per venam cauam transeunt ad cor, sed tunc multum de frigiditate amiserũt: quoniam primo occurrerunt illis membris inflammatis antequam ad cor peruenire potuerunt, & ideo nollem à refrigerantibus exterius discedere; quæ quo ad frigiditatem actualem non sunt frigida, sed temperata in caliditate, & frigiditate, quod autem

tem quo ad frigiditatem in potentia sint cum tenuitate substantiæ, semper admisceatur aliquid calidi potentia, modicum tamen vt producat illa frigida citius ad cor, vt si exempli gratia aquam acetosam, limonum, rosaceamque apparetis, cum his simul modicum vini maluatici admiscebitis, vt illa pauca quantitas penetrationem adiuuet, si verò applicabitis vnguenta, vt rosateum Mesue cum speciebus tẽperatis margaritarum, & sandalorum apponetis modicum croci, ad eandem intentionem. Et hæc satis sint quantum attinet ad naturam morbi, quando verò debeamus operari sumitur à natura morbi, & à concoctione & à cruditate, certum enim est quod motus morbi est velox, & cum momento temporis natura totius morbi permutatur, & quod alia sumitur indicatio ab ea, quæ sumitur vbi motus morbi nõ est ita præceps: quia sicut diximus: vbi de euacuatione loquebamur in febre pestilenti sumpta indicatione à motu statim euacuare debetis: quia talis febris motum dat præcipitem, & à mane ad vesperas cadit virtus, & hoc dixit Hippocrates in valde acutis statim medicari expedit, differre enim malum est: quia si concoctionem expectabitis, non dabitur amplius occasio: indicationes etiam à

conco

concoctione, & à cruditate aduertẽdæ sunt, nam vbi motus præceps ibi tunc non est quieta materia, quare tunc non est expectanda concoctio, sed solùm expectanda est cum quieta est nec moueri debet: quia vbi quieta est materia, motus ipsius tardus est, & non acutus, & tunc concoctiones tempore fiunt, nec magna est mutatio de vna hora ad aliam, & quia Galenus dicebat super eo aphorismo concocta medicari, & mouere nõ cruda, quod materia dicitur furiosa cum mouetur de vno loco ad alium, vt à cerebro ad pectus, à pectore ad pedes, ideo dixerunt aliqui quod materia furiosa non debet dici nisi moueatur, vt ibi ait Galenus, at dico ego quod Gal. intellexit de motu vt quieti opponitur non de materia, quæ mouetur de loco ad locum, quia materia in eodem loco permanens non minus turgens erit ac si moueretur de loco ad locum, sicut turget quandoque equus propter libidinem in eodem loco permanens, dentibus enim fremit, calcitrat, hinnitusq; plurimos facit, & loco stare nescit, sic etiam materia in eodẽ loco permanens ebullit in venis maxima ebullitione, sicut cum aqua ebullit in fundo lebetis facit ampullas, ita fit in venis, ideo statim occurrere oportet: quia materia in motu est, & turget, vnum aliud circa mor-

bi natu

bi naturam omisimus scitu necessarium, videlicet, subiectum, in quo est morbus, longè enim differt subiectũ vniuersale morbi quod esse diximus Socratẽ, Platonẽ ægrotum, & particulare morbi subiectum proprium consideradũm, quod est membrũ in quo est morbus, nunquam est subiectum in morbi natura: quoniam diuersificat morbi naturam, sed denominare facit totum: non enim dicimus sicut facimus in subiecto particulari, Socratem apoplecticum, pleuriticum, sed febrientẽ: non febre alia, vel alia, ideò dicebã quòd morbi natura diuersificatur à causis efficientibus, & indicationes ostendimus à causa formali: vltimo erat subiectum, quod diuersitatem facit naturæ morbi, in casu isto subiectum est cor, igitur cõsiderare debetis quod in ipso est putredo, & morbi naturã considerare, & scire eius nobilitatẽ, situm, & temperamentum: & cum sit calidæ, & siccæ temperaturæ, scitis non multum esse laborandum vt refrigeretur: quia non multum tolerat frigiditatem, satis etiam localiter remedia propter situm applicare: & quia nobilissimum membrũ est, statim occurrere debetis, de his copiosissimè dicemus, cùm de putridis loquemur, secundùm principale caput, quod à nobis quærendum erat circa huiusmodi cura-

N tionem,

tionem, erat subiectum, quod ægrotat, scilicet corpus humanum; quod quidem à nobis considerandum est, cuius temperaturæ sit, cuius naturæ in vniuersali, an calidum & humidum, & præterea non tantum vniuersalem temperaturam, sed particularem etiam, an cerebrum vitiosum habeat, stomachum imbecillem, an hepar, an verò membra habeat valida, & æqualia, debemus præterea in huiusmodi corpore non tantum has particulares naturas, sed etiam vniuersales considerare, quæ varias faciunt indicationes: scilicet cuius ætatis sit illud corpus ægrum: quia aliter curabitis senem, aliter iuuenem, & aliter puerum, mores etiam considerabitis: quia aliter messorem, & assuetum comedere rapas & legumina, aliter delicatum, aliter eum qui maximò vtitur exercitio, aliter qui in otio vixerit curabitis, hæc omnia aduertenda sunt, & si peccabitis in his interficietis ęgros vestros, præterea reliqua annexa considerare debetis, regionem, scilicet in qua habitat an calida vel frigida sit: quia aliter in Germania, aliter in Aethiopia, & quod de regionibus idem de anni temporibus, & constitutionibus dicendum: ista sunt considerand a circa secundum caput: quę autem consideranda sunr circa tertium caput, sunt

virtut

virtutes, multum enim refert si rectè mederi vultis scire cuius roboris sit corpus, cuius (vt ratio certissima habeatur) videbitis tertia loca, quæ possident, animalis enim in cerebro apparet, naturalis initium habet in hepate, sed æqualiter in toto est, vitalis autem in corde, si videbitis virtutes animalis, quæ à cerebro depēdent, (non tamen sunt in ipso, nec propter ipsum) esse adeo impeditas, vt totum corpus priuatum sit sensu & motu, vel si videbitis animales virtutes, quæ sunt in cerebro, & propter ipsum esse malè affectas, quæ sunt imaginatio, discursus, & memoria: necessariò erit vitium in cerebro, ideo illi succurrendum est, si etiam naturales virtutes fuerint affectæ, adeò vt corpus actiones bonas non edat, vt quia non attrahat, retineat, concoquat, vel nō expellat, dicere debetis vitium esse in hepate, ideo illi occurre debetis: similiter ea quæ omnium regina est, cuius sedes est in corde, & cuius munus est, vt toti corpori vitam pręstet, quam Galenus septimo de placitis Hippocratis & Platonis animam appellat, vel proximū animæ instrumentum, & vbi defecerit calor iste & virtus illa fuerit resoluta, necessariò omnes aliæ virtutes, & vita dissoluātur, ideo illico occurrendum, restaurandáq; omni conatu

nostro, restaurabitur auté vt Galenus duodecimo therap. docet, vbi ostendit causas resolutionis huius virtutis tres esse, vel quia spiritus & calor deficit, vel humores optimi & sanguis, vel membrorum solidorum defectu, quia nimis exarescunt, & propterea quodcunque fuerit horum vitiorum, per oppositum occurrendum erit, quemadmodum docuimus in methodo nostra vniuersali in parte refectiua, & quemadmodum cum de putridis sermonem habebimus, in quibus quod reliquum erit, tum pro curatione harum febrium indicatione sumpta, tum pro putridarum curatione, longis verbis expediemus, id quod à nobis consulto factum est, ne eadem bis repetamus, & hæc satis de febribus pestilentibus, &c.

DE FEBRIBVS PVtridis, & primo de Tertiana.

RELIQVAE VERO FEBRES NONNVLLAE EX INFLAMMATIONIBVS, NONNVLLAE, &c. Iste est tractatus Galeni, qui iam esse incipit de febribus putridis, & vt connexionem cum præcedenti sermone habeatis, qui erat de febribus ephemeris, meminisse vos oportet

tet eorum, quæ dicebamus in principio, diximus enim Galenum in hoc toto libro diuisiuam seruare methodum quemadmodum ipse in procemio testatur se facturum, præcepto Musithei. cum igitur methodum seruaturus esset diuisiuam, à principio diuidere cœpit, ita tamen vt occultissimas faceret diuisiones: dum diceret, febrium quædam sunt simplices, quædam non, intelligendo simplices febres, prout sunt simplices simplicitate naturæ, id est in propria natura febrium, id est sine aliqua additione, non simplices verò, quæ aliquam additionem habent, & quia diuisio hæc vtilis admodum est, eam declarauimus, & diximus febres esse simplices simplicitate naturæ, quæ ita habent calorem istum versum ad igneum purum, vt prorsus sit sine aliquo additamento, sed auctus sit secundum qualitatem solam, vt cum quis appropinquatur soli vel igni, & huiusmodi sunt omnes ephemeræ, aut hecticæ febres simplices, non simplices autem hecticæ sunt, quando aliquid extrinsecum commiscetur, vt quando vapores putridi miscentur cum humoribus cordis, ita vt ipsi humores cordis putrescant, vel etiam substantia ipsius cordis, & tunc fit febris hectica pestilens, si verò admiscentur va-

pores putridi cum humoribus cordis solùm, & non putrescant ipsi humores cordis, fit vera febris putrida, qua diuisione facta, cum de primò membro loquutus esset, scilicet de febribus simplicibus, quæ ephemeræ dicebantur, de hecticis tacuit simplicibus: quoniam cognitis ephemeris, statim hecticas cognoscere possumus: quoniam non differũt nisi ratione termini terminantis, idem enim calor sine additione aliqua cum terminatur ad spiritus, ephemeram facit, cum autem ad cor hecticam, quod autem habeant eandem naturam, ostendit Galenus in nono & decimo therap. qui postquã curauit ephemeras statim curat hecticas, eodem prorsus scopo: quia non differunt nisi secundum maiorem, vel minorem gradum caliditatis, & ideo Galenus studens breuitati, dum de ephemeris pertractasset, prætermisit hecticas simplices, simplicitate naturæ: quia eadem erat natura vtriusque, alias etiam hecticas non simplices prætermisit, quia putridarum materiam sapiunt, & quoniam simul curaturus erat putridas, & hecticas non puras docebit curare, vt ostendemus, cum igitur Galen. primum membrum diuisionis declarauit, nunc secundum membrum aggreditur non simplicium febrium

simp

ſimplicitate naturæ, ſed per addictionem putredinis, vel vaporum putridorum, & hoc pacto incipit, ALIAE VERO FEBRES NONNVLLAE EX INFLAMMATIONIBVS, NONNVLLAE EX HVMORIBVS ACCENDVNTVR. facit Galen. ſecundi membri diuiſionem donec tandem deueniat ad ſpecies ſpecialiſsimas, & indiuiduas, quoniam illæ ſunt quæ curantur, non genera, nec curare poſſumus niſi à generibus primis diuidendo deueniamus ad ſpecies ſpecialiſsimas, ita fecit Galenus. accipit differentiam quæ maximè generalis eſt, primò adhærens generi, & diuiſionem facit, & inquit febrium compoſitarum compoſitione naturæ, quædam ſunt accidẽtia aliquorum morborum, quędam non ſunt accidentia, ſed ſunt morbi per ſe, hæc diuiſio febris eſt maximè vniuerſalis. Quædam accidentia aliorum morborum dicuntur. ſunt febres quæ inflammationes ſequuntur internas, quæ non denominantur proprio vocabulo, ſed à morbo quem ſequũtur, appellamus enim febrẽ quæ pleureſim ſequitur inflammationis nomine, & nõ proprio vocabulo: & pleuritim dicimus: & ſic de aliis omnibus, & quod hoc ſit verũ patet, quia non curantur huiuſmodi febres, niſi prius curemus inflamma-

 tionem,

tionem, quia curata inflammatione curatur febris, & istæ febres curantur curatione primi morbi, quoniam accidentia sunt, febres verò sunt morbi per se, non accidentia, quæ pendent ex humorum putredine, aliæ accidentibus carent, aliæ non. Quantũ ad primam diuisionem febrium attinet, scilicet quæ sunt accidentia, se tractaturũ promittit in secũdo libro, vbi de inflammationibus loquetur, & de febribus sequentibus inflammationem, & sic primum relinquit membrum, in secundo libro pertractandum, secundum genus promittit se pertractaturum in hoc primo libro, & diuidit hoc genus febriũ ad species specialissimas, subdiuidit modo hoc secundum membrũ, & inquit, QVAE VERO AB HVMORVM PVTREDINE ACCENDVNTVR FEBRES, ET EO IPSO VOCANTVR NOMINE, NON AVTEM MORBORVM ACCIDENTIA, &c. Antequam veniamus ad diuisionem huius generis, nonnulla prius summè necessaria ad ea, quæ dicturi sumus, oportet declarare. primum est, quod natura, seu generis differentia non æqualiter diffunditur in tribus illis generibus, secundum, vtrum omnes febres sint putridæ, tum quia id antiqui volebant, tum quia Galen. in pri-

mo de diff. febr. ex antiquorum opinione dixit omnes febres præter ephemeras esse putridas, & subdit, hoc videtur esse ex mente Athenei cui maxima ex parte assentio vt credam omnes febres esse putridas nisi eas quæ ephemeræ vocantur, si hoc verum est quomodo fecisset Gal. quoddam ephemerarum genus, quoddam hecticarum, & quoddam putridarum? proponit Gal. quæstionem, nec eam soluit, ideo oportet vt nos eam soluamus. tertiò videndum erit quæ sit idea, & formalis ratio febrium putridarum, præterea an sit tantummodo triplex genus putridarũ, videlicet febris, quæ fit ex putredine bilis, pituitæ, & humoris melancholici, an verò quartum detur genus, vtrum scilicet detur febris ex sanguinis putredine, nec dubitamus an putrescat sanguis, quia omnes sciunt sanguinem putrescere, & ex ea sanguinis putredine fieri febrem, sed quærimus an putrescente sanguine, sit quarta idea febris distincta ab illis tribus, secundum sui naturam, in qua quidem quęstione dissoluemus frigidissima Auicennæ argumenta, & si putrescit, quærimus an posit in venis putrescere, & febrem facere, & quomodo intelligatur quod sanguis putrescat; vltimò quæremus, si contingat quod sanguis extra venas putrescat, quod

genus febris faciat, QVANTNM AD PRIMVM QVOD NATVRA generis non æqualiter descendat in tribus generibus subalternis, scire debetis, quod Galen. distinguit illa tria genera à subiecto termi nante, & ita facit, quædam febris terminatur spiritibus, quædam in humoribus, & putrida nominatur, hæc conditio non est æqualiter in omnibus, quoniam caliditas, in spiritibus terminata, siue simplex, siue composita fuerit, modo terminetur ad spiritus, ephemeram facit: similiter caliditas si terminatur in cordis substantia, siue simplex, siue composita sit semper hecticam facit, quoniam sufficit ista conditio, vt caliditas præter naturam sit terminata in substantia cordis: in humoribus verò nō est eadem ratio, ideo diximus non æqualiter diffundi generis naturam in subalternis generibus, si enim terminatur calor in humoribus non semper putrida fiet, quia synocha sine putredine ex sanguinis ebullitione fit, & febris est media inter ephemeras & putridas, quia nondum putrescit sanguis: non sufficit ergo quod calor præter naturam terminetur in humoribus, vt ponantur in calefacto esse, sed oportet vt illi humores, & vapores putridi ascendant ad cor, quia aliter nunquam erit febris putrida, & si millies

millies humores cordis, vel corporis ponantur in calefacto esse, & non putrescant, non erit febris putrida, nec valet consequentia, caliditas est in humoribus, ergo putrida febris est, sed oportet vt putrescant humores, & vapores ascendant ad cor, & hæc scienda erant, quoniam sine horum cognitione, ideam febrium putridarum nescietis, & hæc satis quo ad primam quæstionem, secũdum quod quærebamus erat, VTRVM OMNES FEBRES essent putridæ, in hoc videtur esse maxima difficultas, primò quia omnes febres sint putridæ, vt antiqui plurimi tenebant, ET RATIO SVA ERAT hæc, quia nulla ægritudo prouenit à qualitate simplici, nullus enim est morbus calidus & frigidus, nec potest tãtus calor accedere quin alius accedat, quod ægritudinem augeat, seu faciat, bene potest impressionem causare, & ab eo comprimi in aliqua parte, vt adurat humores, vel salsos, vel acres efficiat, vel colliquet & faciat vt præcipitent ad aliquam partem, vel obstructionem faciant, ideoque ęgritudines sequantur, ideo caliditas nunquam erit ægritudo, sed bene potest esse ęgritudinis causa. opinio ista pertractatur, ab eo authore, qui imprimitur, simul cum Hippocrate, licet nõ sit Hippocrates,

qui

qui inscribitur de prisca doctrina medica: hanc opinionem Galen.recitat in primo de differen.feb.cap.quinto.nec soluit, sed inquit,credo omnes febres fieri ex humorum putredine,præter ephemeras, vnde est aduertendum,primo qua ratione antiqui in hanc sententiam deuenerunt, neq; est credendum,quod hanc opinionem sine ratione tenuerint,& Galenus videns huiusmodi opinionem rationi consonam contradicere noluit,quia nec imaginari potest,vt sine putredine fiat febris,quia certum est quod non est febris,nisi naturalis calor ad igneũ vertatur,modo si hoc est de diffinitione putredinis,nónne putrescunt res,cum earum naturalis calor ad igneum mutatur.& sicut naturalis calor conseruat subiectum,ita calor præter naturã,naturam destruit,causa enim putredinis est calor præter naturam accensus in humido substantifico qui vbi accensus fuerit in humido radicali spiritus nónne putrescunt?similiter calor naturalis in humoribus conuersus ad igneam naturam,nónne est necessarium, vt putrescant humores, quia non habent calorem conseruantem:similiter vbi calor naturalis in solidis fiat igneus,nónne sequitur necessario putredo?& ista fuit opinio Athenei, & omnium qui sequuti sunt eum,Galenus

istam

iſtam difficultatem fecit dicens quod in omnibus calor igneus fieri poteſt,& putredinem facere,ſed vbi in ſpiritibus accendatur non eſt ita præter naturam ,nec tantā facit moram,vt poſsit putredinem facere, quia calor igneus non eſt ita rebellis factus naturæ,quando reſiſtentiam habet ad illam ignitatem acquiſitam,& propterea nō durat niſi per diem,& ideo in ſolis febribus ephemeris fit febris,abſq; eo quod fiat putredo,& dat exemplū Galen.de calore igneo ſine putredine, ſicut cum lapis,vel ferrum candeſcit,habet lapis, vel ferrum caliditatem præter naturam,non tamen putreſcūt, quia non diu durat caliditas illa in ferro, at ſi permaneret diu lapis in fornace, vel ferrum, putreſcerēt,& corrumperentur,ſed difficultatem Galenus auget,ſed nō ſoluit, & malè fecit,quia dixit ſe tenere omnes febres eſſe putridas,pręter ephemeram,& dixit,imò ex humorum putredine cauſari,ſi omnes febres fiunt ex humorum putredine,præter ephemeram, ad quid diſtinxiſſet febres hecticas ſimplices toto genere, propter ſubiectum terminans à putridis, & ephemeris?ego Galeni maieſtatem admirandam excuſandamq; eſſe crediderim, nec verba ſua difficultatem habent, ſi rectè perpendantur.inquit Galen.omnes febres

bres fiunt ex putredine præter ephemeras: ista propositio ita prolata, verissima est, propterea vos scietis tria esse febrium genera, quoddam in spiritus, aliud in substantia cordis, aliud in humoribus: ephemeræ proculdubio sunt extra putredinem, remouētur & putridæ, quātum ad hecticas, nónne scitis quasdam esse simplices, quasdam non simplices? de non simplicibus clarum est, quod ex putredine sunt, quia sunt ex putredine humorum existentium in corde, vel in substantia cordis, sic est dicendum de illis quæ sunt ex pulmone vlcerato: de simplicibus autem etiam dico quod magna ex parte fiunt ex humorum putredine, & nunquam forte videbitis, vel saltem rarissime fieri incipiendo, hanc tamen posuit Galen. quia licet ferè nunquam contingat, potest tamen contingere, & vbi contingit talis hectica febris simplex non perseuerat per xv. dies, quia putrida febris miscetur, quoniā vbi calor in substantia cordis factus est igneus, quomodo possunt ab eo boni humores in corpore generari? & cum praui humores generentur quomodo possunt conseruari, quin putrefiant? itaque bono iam animo dicere potestis, omnes fere febres præter ephemeras esse putridas, & addit, illud ferè propter paucissimas illas hecti-

eas simplices, quæ fiunt incipiendo, quæ nisi obstetissent, absolute pronunciasset, omnes febres esse putridas, & ideo cum diuidit Galen. febres in tria genera, optima est diuisio, quia esse putridum, vel non putridum non tollit hecticarum genus, quia diximus hecticas fieri dummodo terminetur calor in substantia cordis, siue sit putredo, siue non, ideo nulla est contradictio in Galeno.

Declaratis quibusdam dubitationibus motis in diuisione febrium putridarum, superest modo ALIA DVBITATIO, vtrũ detur febris ex putredine sanguinis, quæ quæstio est discutienda, quoniam plurimum faciet ad rectam febrium cognitionem, ita tamen eam tractabimus, vt non ponamus eam sicuti Moderni, qui intricantur in huiusmodi nugis, sed id tantùm dicemus, quod nobis videbitur veritati consonum, & difficultates soluemus, quæ occurrere possunt circa huiusmodi quæstionem: scire ergo debetis quod quando quærimus, an fieri posit febris ex putredine sanguinis, dubitatio hæc nõ debet intelligi prout verba sonant, quoniam nulli dubium est, quod sanguis putrescit, ex qua putredine fit febris, & nullus vnquam in hoc dubitauit, sed dubitatio est, an putrescente sanguine fiat

ne fiat noua idea & forma, noua febrium putridarum præter illas tres positas à Galeno, ita quod nec sit quotidiana, nec tertiana, nec quartana, nec mixta ex istis, sed sit vnum temperatum genus. Alia dubitatio si sanguis putrescit, quomodo putrescit, & Moderni in hoc intricati sunt, quia nesciũt quomodo putrescat, secundo quæremus an sanguis putrescat in venis, & faciat febrem, sicut alij humores existentes in venis: tertio quæritur, vtrum cum sanguis emanat extra venas & ibi putrescit, febrem faciat, & si faciat quod genus febrium faciat. CIRCA PRIMAM PARTEM RESPONDEO AD QVAESITVM, postea difficultates remouebo, cum quæritur an quartum genus febrium fiat ex putredine sanguis, respondeo quod nullum sit nouum genus, & quod non sunt, nisi tria illa. AD SECVNDVM CVM QVAERITVR, QVOMODO PVTRESCAT SANGVIS, aduertatis quæcunque dicturi sumus, quãdo reliquæ difficultates ex declaratione ista remouebuntur, & cum opinionem nostram dixerimus, volo vt recurratis ad loca Galeni, & funditus ea perpendatis: quia videbitis vera esse quæcunque diximus. Quando sanguis putrescit facit primo ebullitionẽ, antequàm putrescat, & ratio est: quoniam

ſanguis eſt naturalis res & maximè à natura requiſitus humor familiariſsimus non putreſcit niſi prius receſſerit à ſua naturali diſpoſitione & temperie, & accidat illi quid præter naturam, & fiat, vel amarus, vel ſalſus, vel acris, vel ebulliat, quando habet aliquas qualitates præter naturam, ſi igitur fuerit factus acrior & mordacior ſe ipſo, vt putreſcat, dum putreſcere incipit pars eius tenuior & acrior magis parata, dum putreſcit fit ſe ipſa acrior, & mordacior, & ſubtilior, & calidior, & vertitur ad naturam bilis putridæ, & ideo facit typum bilis, ſi verò fuerit ſanguis ſe ipſo redditus craſsior & terreſtrior putreſcit, ſed putredo ſua cum in parte terreſtri ad humoris naturam vergit melãcholici putrefacti, & ideo accidentia, & formam ſeruat humoris melancholici putrefacti, ſi fuerit ſanguis temperatus, ita quod non excedat nec in tenuitate, nec in craſsitie, nec in acrimonia, nunquam putreſcet, niſi fortaſſe ſit in tãta quãtitate vt ſubito ſuffocet, quod autem pars ſanguinis ſubtilior putreſcens ad naturam bilis vergat, & ipſius typum faciat, & quod putreſcens pars craſsior ſanguinis ad melancholiæ naturam vergat, apparet ex his quæ quotidie contingunt in humanis corporibus, nam vbi ſanguis ad membranam

costas succingentem erumpit, & eam facit inflammationem, quæ pleuritis dicitur: quia pars subtilior sanguinis ea est, quæ ad locum tendit, & ea quæ putrescit: quia crassa non penetraret membranam, fiunt febres exacerbantes de tertio in terrium, si verò sanguis fuerit crasſior & erumpat ad aliquem locum & faciat inflammationem vbi putrefiat ad melancholiæ naturam vergit, & ideo melancholicæ faciet accidentia, nam tunc anthraces carbunculique prouueniunt, & inquit Galenus libro decimo tertio therap. & primo de differentiis febrium, & primo ad Glauconem libro, quod non fiunt, nisi à sanguine crasſo putrefacto, scilicet æstate vt Galenus admonet nos in secundo de differentiis febrium, cum dico humorem crasſum putrefieri, & vergere ad naturam melancholiæ, non dico esse humorem melancholicum, sed in quodam confinio constituitur, & quia frequenter putrescit pars tenuior, ideo frequenter fiunt inflammationes, raro anthraces, & carbunculi: quia raro pars crasſior putrefit: his ita positis apparet quomodo putrescat sanguis, & quod non putrescit, dum purus est, apparet etiam ex dictis, quod non datur quartum genus febrium putridarum, dum putrescit sanguis: quia vbi pars eius tenuior

nuior putrescit ad naturam bilis vergit, & exacerbat de tertio in tertium, quando autem eius pars crasſior ad naturam melancholiæ vergit, exacerbat de quarto in quartum, & sic non oportet quartam ponere ideam febrium putridarum. His ita visis ad secundam quæstionis partem descendamus, apparet quomodo soluenda sint frigida argumenta Auicennæ. Auicenna contra Galenum loquitur parum modeste, ideo nos parum modeste contra ipsum oportet loqui, tribus argumentis instat cõtra Galenum. Primum est, tu dicis ô Galene, dum putrescit sanguis partem eius tenuiorem fieri bilem, & ita febrem fieri biliosam, contra, dum putrescit pars crasſior per te fit melancholia tenuior colera, ergo non minus potest fieri febris melancholica, quam colerica, & ita duæ fient febres, colerica, quia subtilior pars putrescit, melancholica quia crasſior pars putrescit, cõsequens falsum est, ergo id ex quo sequitur. Secundo arguit, dicis, ô Galene quod sanguis, dũ putrescit necessario pars eius tenuior, fit bilis crasſior melancholia iste est finis putredinis: nos verò loquimur de motu putredinis antequam acquiratur ille terminus: nam si dum putrescit non sit adhuc versus in bilem, tũc dicas mihi ô Ga-

 lene

lene in isto motu alterationis, quæ febris erit? non colerica, quia non dum est facta colera, non melancholica, quia non dum est facta melancholia, ergo erit alia distincta ab istis. Tertio arguit, tu dicis ô Galene ex sanguine ipso putrefacto fieri bilem, & melancholiam, & ex bile facta ex putredine sanguinis fieri feb. colericam, & ex crassiori parte sanguinis fieri melancholicam febrē, cōtra non est necessarium, vt id quod fit ex putredine, putridium sit, igitur bilis illa aut melancholia non est necessarium, vt sit putrida, igitur non fit febris colerica, aut melancholica ex putredine sanguinis. His tribus argumentis instat contra Galenum male intellectum, & ex dictis omnia sunt soluta, nam vt vidistis, dixit Galenus, quando putrescit subtilior pars sanguinis, vergit ad naturam bilis, & dixit, quod non fiat vera bilis, quia dum pars sanguinis fit calidior, & tenuior, in illo motu putredinis fiunt accidentia bilis, ideo diximus, quod sapit ipsius naturam, tu autem ô Auicenna arguis, ergo necesse est vt fiant duæ febres, non est ita, quia ex dispositione sanguinis modo crassa, modo tenui potest putrescere. Ad secundum dico in eo motu, dum putrescit sanguis non est facta bilis, ergo non debet esse febris biliosa, dico

quod

quod etsi non sit facta bilis, febris tamē biliosa erit, quia in eo motu vergit sanguis putrescens ad naturam bilis. Ad tertiū non dicit Galenus quod fiat bilis prius, & postea putrescat, & fiat febris, quæ colerica dicitur: sed in motu dum tenuior pars putrescit, fit febris ex putredine sanguinis, & quia sapit illa pars naturam bilis, ideo accidentia similia bili apparent, quod autem sit differentia inter febrem, quæ fit ex vera bile, & inter eam, quæ ex putredine sanguinis, videatis Galenum in secundo de differentiis febrium cap. 9. vbi inquit cū putrescit sanguis biliosus in bubone, & in aliqua alia corporis parte remissiores fiunt, calor minor est, nec ita mordax, sicut cum feruescit bilis, similem tamē accessionem, & typum habet, sicut & febris tertiana ex bile putrescente, & sic patet quomodo male Auicenna intellexit Galenum.

Quærebatur secundo, an in venis putrescat sanguis, sicut putrescit bilis & pituita, quia quandoque pituita in venis putrescit, & fit febris continua, quandoq; humor melancholicus, quandoque bilis, ex quibus similiter fiunt febres continuæ, sicut igitur contingit de his tribus humoribus, quod secūdum formam propriam putrescentes in venis faciant continuam feb.

an etiam ſanguis ſub forma eius putreſcat? Ad iſtam quæſtionem reſpondemus, & dicimus ſanguinem nullo pacto putreſcere in venis ſicut reliqui tres humores: quia crederetis rem contra Galenum, & contra rationem, quia non eſt eadem ratio de ſanguine ſicut de aliis humoribus: quia vbi redũdat bilis, pituita, vel melãcholia, & excedit temperaturam propriam corporis, ſi redundat ſecundum gradum remiſſum, percipiunt homines grauitates, & ſpõtaneas laſſitudines, & dum magis augetur, alterum duorum fit, vel excernitur à virtute expulſiua forti ab interioribus ad exteriora, & fiunt febres interpollatæ, ſi verò multiplicatur intra venas, & virtus imbecilla fuerit in expellendo, remanet intra venas, & cum regulari non poſsit à natura, vt oportet maximè ſi quid extrinſecus adueniat meatus obſtruens, vel multitudo poros claudens, vt prohibeatur euentatio, tunc putreſcit talis humor, ſiue bilis fuerit, ſiue melancholia, ſiue pituita, ſecũdum totam ſubſtantiam, & febrem facit continuam: in ſanguine autem non contingit hoc, quoniam ſanguis dum benignus eſt, ibi eſt ſedes ſpiritus & animæ, dum aliqua pars tenuior eſt, vel craſsior, natura ſuperat eam partem, pars reliqua in ſe colligitur, nec

permittit

permittit vt putrescat, nisi in febribus pestilentibus propter maximas occasiones, in quibus solum potest putrescere sanguis qua sanguis est, in reliquis verò febribus vbi non est tanta putredo semper expellitur excrementum, & permittit natura tenuiorem partem putrescere, & fiunt synochæ febres: crassam verò sibi seruat: tertium quod quærebatur erat, an cum sanguis extra venas erumpit, si putrescit prout necessarium est, vt Aphorismorum sexto, Aphorismo vigesimo, an fiat aliud genus febrium. Notetis quod sanguis extra venas erumpens potest intelligi duobus modis vt inquit Galen. super dicto Aphorismo: vno modo erumpere potest, vt per poros, vel meatus vix sensiles, vel plane insensiles deueniat ad aliquam partem corporis & putrescat, sicut in bubonibus, & inflammationibus, vel per vasa sensilia erumpere potest, vt cum erumpit ad ventriculum, vel ad pectoris cauitatem, quantum ad primum quam febrem faciat, siquis percunctabitur cum putrescit sanguis in inflammationibus. Galenus respondet in secundo de differentiis febr. capite nono, & in secundo de crisi vigesimo vbi de febre loquitur ab inflāmationibus, inquit ibi putrescit quid sanguinis, sed febres facit habētes pa-

roxiſmos tertianarios, & hoc eſt quoniam cum tenuior pars ſanguinis tranſit per poros vix inſenſibiles, vt ſemper contingit in omnibus fluxionibus, & tenuior pars putreſcit ibi, & ad bilis naturam vergit, & facit motus tertianos, & accidentia bilis, ſi verò quæratur cum maxima erumpit copia ad pulmonem, vel ad ventriculum, & putreſcat, quam febrem faciat, reſpondebimus quod ſi fuerit multa copia ſanguinis & in membris principalibus, vt ventriculo, & pulmone, niſi à virtute valida, & à membro educatur non faciet febrem, ſed congelabitur, & faciet ſyncopas & mortem, vt belle dicebat Galenus in ſecũda ſectione de fracturis, dicit enim ibi cùm ſanguis cõfertim erumpit niſi virtus fuerit validiſsima, non ſequitur putredo, ſed mors: ſi verò fuerit multus, & extra membra principalia, & ſubito erumpens pars illa ad quam erumpit, fiet eſtiomena vt dicunt iſti: ſecundum Græcos ad gangrenam deueniet primo, ſecundo autem ad ſphaceliſmum deueniet, & membrum neceſſario corrumpetur ad quod fluxit ſanguis, ſi fuerit paucus ſanguis, & erumpat ad membra prope principalia, vt ad pulmonem, tunc deducet ad pthiſin, & hecticam febrem faciet: quoniam putredo ratione vicinitatis membri

in substantia cordis figitur &c.

Ex quæstionibus propositis restat videre, quæ sit forma, & idea febrium putridarum, & circa huiusmodi quæstionem scire debetis primo ideam feb. vniuersalem qua febres sunt, vt in vniuersali methodo diximus esse calorem innatum in corde, vel in contentis ad igneam naturam versum, ita quod vbicunque calor in corde præter naturam factus fuerit: febris erit, ideo characterismus omnium febriū qua febres sunt, est calor præter naturam in corde factus, ideæ verò primorum generum subalternorum diuersæ sunt species febrium, si enim fuerint ephemeræ simplices, quoniam de his sermo non est, ideas habebunt tales, vt calor sit in spiritibus cordis, & talis, vt sit sine additione alicuius substantiæ: at idea febrium putridarum, diuersa prorsus est: quia hæ calorem habēt in corde versum ad igneam naturam: sed non secundum qualitatem: sed cum additione alicuius substantiæ vaporum putridorum ad cor ascendentium. hoc declarauit Galenus super eo aphorismo septimæ particulæ, vbi Hippocrates: habent in textu in bubonibus omnes febres præter diarias, malum. distinguit Galenus, nam in bubonibus putrescit materia, & vapores ad cor mittuntur, & ponunt humores

cordis in calefacto esse, cum illi vapores misceantur cum humoribus cordis, & sic vera idea febrium putridarum est, vt vapores putridi cum humoribus cordis misceantur, non tamen vt putrescant ipsi humores cordis, quia si putrescerent fieret febris pestilens, quia eius characterismus, & idea est, vt putredo sit in humoribus cordis vel in substantia cordis, ideo propter hanc duplicem ideam, duplex est etiam febrium pestilentium genus, nam quædã hecticæ sunt, quædam putridæ, putridæ dicuntur pestilentes: quia in humoribus cordis calorem putredinalem habent, hectica verò pestilens vocatur cum in cordis substãtia calorem habet, & istud est quartum genus febrium nõ quidem proprie: quia reducuntur ad proprias, & ad hecticas characterismo febrium putridarum declaratur. Nunc diuisionem facere oportet ipsarũ, sicut Galenus facit hoc modo, febrium putridarum quędam sunt accidentia, quędam morbi per se: accidẽtia sunt febres illæ putridæ, quæ inflãmationes consequuntur, quæ verò sunt ab humorum putredine, & non ab inflammationibus dependent, hæ vere morbi per se dicũtur, primum membrum dicit Gal. se tractaturum in secundo libro, vbi de inflammationibus aget, secundum membrum in hoc primo libro,

post

post subdiuidit secūdum membrum, & ait, febriū quędā sunt morbi per se, quædam accidentibus carent, quædam verò vna cum accidentibus negotium exhibent: quæ sunt cum accidentibus prætermittit, & de eis se tractaturū in secundo libro promittit, quādo dicit, quæ verò cum accidentibus non æque simplicem exigunt curationem, & accipit membrum febrium quæ accidentibus carent, & subdiuidit illud dicens, febrium quæ sunt sine accidentibus, quædam sunt continuæ, quædam interpollatæ, continuas diuidit suo loco in mites, & acutos motus, in præcipites & tardos motus, dimisso primo membro accipit aliud membrum febrium quæ interpollatæ sunt, atque sine accidentibus, & inquit febrium interpollatarū (vt iam deueniat ad species indiuiduas) quædam faciunt exacerbationē suam quotidie, & quotidianæ dicuntur, quædam de tertio in tertium, & tertianæ à latinis vocantur, à Græcis τριταῖοι, quædam de quarto, in quartū, & quartanæ à latinis, à Græcis appellantur τεταρταῖοι, ex quibus diuisionibus satis constat quantum oportunè seruauerit Gal. Mnesithei præceptum, quemadmodū in procemio testatur, qui iubet nunquam nos debere in diuisionibus desistere, donec ad indiuiduas species deuenerimus, & ideo

ideo cum deuenerit ad quotidianam, ad tertianam,& ad quartanã, non amplius diuidit,sed pertractat de ipsis,& incipit documenta tradere, quomodo tres istæ species indiuiduæ cognoscendæ sint,& vbi perfecerit de signis tractatum,tradideritq; per methodum, omnem artem quomodo posſit exquisitè cognosci, docet eadem methodo seriatim quomodo curandæ sint: istud igitur membrum febrium interpollatarũ putridarum, quædam sunt quotidianæ, quædam tertianæ,quædam quartanæ,est pertractandum, & accedens Gal. ad cognitionem signorũ simul indiuiduas species distinguit, & primo vniuersale dat præceptum, deinde ad particularia descendit, ita quod eius intentio est in hoc loco docere quo pacto cognoscere valeamus omnes indiuiduas species febrium interpollatarum, & alteram ab altera distinguere, ideo inquit, primo studere debetis, vt si fieri posſit, in primo statim die quamcũnq; febrem cognoscatis, quæ vobis occurrat,& in hoc mentes vestras exercere debetis, & non secundam diem expectare, vel tertiam, vel quartam, quod si primo die id assequi non posſitis eritis excusati, sed conemini saltem secunda die eius speciem cognoscere, at si nec in die illo poteritis saltẽ in tertia die, si verò in quar-
ta

ta die, vobis manifestabitur febris species, turpe, & indecorum erit, quoniam paucæ admodum sunt febres, quæ ad exactam sui cognitionem, quartam diem desiderent, sed per discursus noscenda est, ratio cur in secũda die speciem febris cognoscere debetis, & quare excusat eos qui in secunda, & in tertia non cognoscunt eam, & quare turpe esse dicat quartam expectare diem: scire debetis, prout declarat Galenus in secundo de crisi, quod febres aliæ simplices, aliæ compositæ sunt, vbi verò simplex febris sit, inquit ipse secunda die cognosci debet, non ex paroxysmo, sed ex forma propria, sicut pomum, & mespilum ex propria forma cognoscimus, & bonum equum ex propria figura cognoscimus, ita & simplicem febrem ex figura sua cognoscere debent, quia vulgare & fallax est ex paroxysmis simplicem febrem cognoscere, nam qui non cognoscit ex figura propria, quomodo cognoscet ex alia via, ideo si ex arteriarum motu, & forma caloris propria, primo die simplicem febrem non cognoscetis, non erit excusatio, nec eritis boni medici, ita quod iam regula vniuersalis est, vbi febris simplex est secunda dies non est expectanda, sed inquit Gal. excusandi sunt illi, si in prima die non cognoscunt febris speciẽ, sed secundam

cundam expectent diem, quoniam simul duæ coniunguntur febres, vt si sæmitertianæ erunt vna die cognosci non poterunt, quoniam vna die febris interpollata est cum suis frigoribus, secunda die est sine typo, ideo nisi secundam diem expectabimus non cognoscemus amphymerinam, quia duæ sunt febres, si verò simul tres sunt febres, medicus excusari potest, si nec primo, nec secundo eas cognoscat, sed tertia dies est expectanda, & licet quandoque febres ad sui cognitionem exactam, quartam diem desiderent, quia tamen ferè nunquam contingit vt quatuor complicentur febres, cum tantum tria sint febrium genera, ideo in quarta nō debet expectare homo ille. QVIBVS VERO NOTIS FEBRIS SPECIES DEPREHENDI POSSIT, QVAM BREVISSIME FIERI POSSIT TIBI EXPLICABO: NAM DE ISTIS OMNIBVS ALIBI DIFFVSIVS ATQVE MANIFESTIVS DISPVTATVM EST, in hac parte, quoniam aliquis dicere potuisset, ò, Galene, doce me, quomodo ex signis propriis cognoscere potero, & febris speciem deprehendere, hoc promittit se facturum, sed breuissimè, tunc quia summum philosophum alloquitur, tum quia alibi rem istam diffusius

fusius pertractauit, vt in secundo de crisi, in primo de diff. feb. in libro de typis, & in libris magnæ therapeuticæ. QVAE IGITVR CVM RIGORE INVADVNT EX EARVM NVMERO ESSE QVAE CIRCVITV QVODAM REPETVNT, DIXERIS in hac parte: summam Gal. breuitatem videre potestis, quia duplicem insinuat diuisionem occultè tamen, prius dixerat febrium quasdam interpollatas esse, & diuiserat primum membrum, nunc capit secundum membrum, & inquit febres interpollatæ quæ cum rigore inuadunt illę sunt, quæ paraxysmum, & circuitum habent, sed antequam istam partem pertractemus videndæ sunt, nonnullæ difficultates febrium interpollatarum, quæ principium & finem habent, vt singula quæque quæ à Galeno dicuntur exactissimè cognoscetis, & primo vidēdum est, quæ sit causa tam efficiens, quam materialis inuasionis & paroxysmi, secundo est videndum, quia diuersimode inuadunt, aliquando, scilicet cum sola inæqualitate, aliquando cum horripilatione, aliquādo cum frigore, aliquādo cum rigore, tertio videndū est, quæ sit ratio circuituum & paroxysmorum, & quæ sit causa

periodi

periodicationis, in qua re Moderni quidem multa abſurda dicunt, quarto quare aliqua febris, tertio quoque die, aliqua quotidie, aliqua quarto quoque die inuadit, quinto de breuitatis, & longitudinis paroxyſmorum cauſis agemus, & quare vnus ſit breuis, alius ſit longus: ſexto videndum vtrum materiæ, quæ mouentur moueantur putridæ nécne, & an in loco ad quem mouentur putreſcant. CIRCA primam partem in qua quærebamus, quæ eſſet cauſa tam materialis, quam efficiens inuaſionis & paroxyſmi, circa hoc nemini dubium eſt, quod materialis cauſa eſt, aliqua materia quæ putreſcit in aliqua corporis parte, ſed hoc nihil eſt ſcire, niſi ſciatis vlterius dicere, ſcire igitur debetis poſſe materiam duobus modis aggregari, in loco vt putreſcat, vt declarat Gal. in ſecundo de dif. feb. & iſti duo modi aliquando ſimul conuenire poſſunt, primus cum in aliqua parte corporis robuſti ſiue propter calorem naturalem membri, aut propter materiam propriam, quia latas habent venas, vel propter ſitum, quia eſt in loco, vt facile ad illum humores decumbant, in eo aggregantur humores multi, non ſolum ex ſe, ſed quia aliunde defluũt, & licet pars illa valida ſit, vel propter materiam multam aggregatam, vel propter mordac

mordacitatē, virtus insurgit ad expellendū, & quoniam à natura insitum est, vt fortiores partes ad imbecilliores expellant, vt declarat Gal. in secundò de facultatibus naturalibus, deffuxio perseuerat, dum deuenerit ad partē imbecillisimā, quę à se propellere non posit, ibi figitur, & hoc modo fit ophthalmia, quæ fermè exacerbationes suas facit, de tertiò in tertium, & quædam membra huius naturæ sunt, vt excrementa per proprietatem suam aggregent, sicut ventriculus habet aggregare pituitam, hepar bilem, lien verò humorem melancholicum, quæ membra vbi à proprio humore sunt aggrauata illum expellunt ad debiliores partes, & cum illæ partes sunt debiles valdè non possunt ad alias partes transmittere, ideo ibi figitur, & putrescit, & accenduntur febres quæ exacerbant, vel quotidie, si fuerit pituita, vel de tertio in tertium si fuerit bilis, vel de quarto in quartum si fuerit melancholia. ista igitur est vna materialis causa, quare periodi fiāt, & est materia quæ expellitur ab his tribus membris, ad alia debilissima, in quibus putrescit. SECVNDVS MODVS quo aggregatur materia est cum membrum non mandat, sed quia membrum in quo putrescit materia est vitiatū, vel quia calor complexionalis attra-

hit quod non debet, vel quia alimentũ proprium non conficit, vel vasa à frigiditate obstructa sunt, vt non possint euentari ita vt calor innatus suffocetur, & alimentum proprium non posset concoquere, & propterea cum excrementa non possit excernere, quotidie imbecillius redditur, vnde materiam aggregat malam quæ cum iam ad tantam molem deuenerit, vt amplius regulari non possit, à natura putrescit, & fit febris, & hæ sunt materiales causæ febris. Causa verò efficiens febris est ipsa putredo, quæ iam aduenit illi materiæ aggregatæ: CAVSA verò putredinis est prohibitio euentationis, quia vbi calor prohibetur euentari, igneus redditur, & proprium absumsit humidum: CAVSAE VERO prohibentes euentationes sunt triplices, vel cum meatus cutis obstruuntur, vt excrementa excerni non possint, vel cum venæ internæ infarciuntur, vt libere transire non possit sanguis, vel cum tanta est humorum multitudo, vt vacuitates obstruat, vel occupet, ex quibus inuasio & exacerbatio inuadit, siue aliunde transmittatur materia, siue ibi aggregetur, siue vtrunque fiat, & ita materialem inuasionis causam, & efficientem habetis: Est modo quærendum quare in principiis istorum paroxysm

xysmorum, dum materia putrescit diuersimodè inuadat, & quandoque in corpore quandam inæqualitatem faciant, & quid percipitur, quo nec planè frigesit corpus, nec incalescit, sed est quædam inæqualitas, vel anomalia, retrahitur tunc quoddamtenus calor, & fit quædam annotatio compressa quæ inæqualitas appellatur, & iste est primus modus inuasionis, & gradus, & fit exacerbatio cum minori alteratione, sequitur secundò horror seu horripilatio, quæ est quædam maior inæqualitas, & fit tūc cutis, veluti cutis anserum depilatorum, & quidem manifestus percipitur motus, non tamen vt sentiatur frigus, sed est veluti principium frigoris, & hoc secundum symptoma, horripilatio dicitur, tertium symptoma sequitur, cum iam membra rigent, sicuti cum quis ambulat, quartum & vltimum est, cum frigus sentitur, sed istud frigus est cum concussione totius corporis, & symptoma hoc rigor vocatur, isti sunt motus qui in paroxysmorū principiis contingunt. Modo videre oportet cur contingant, & cur inæqualitas in vna, horror in alia & rigor adsit: vt ista sciatis, quædam supponere debetis ad luciditatem dicendorū, & primo quod FRIGIDITAS IN HVMANO COR-

PORE DVPLEX ESSE potest, prima est caloris priuatio, vbicunque calor partem aliquam derelinquit, & cum quis statim assumpto cibo frigescit, non est quia aduenial frigus extrinsecus, quoniã & si sit in cubiculo calido, & propè ignem sentit frigus: sed est quoniam calor retrahitur ad intrinseca; & membra extrinseca priuata calore remanent. Alia est positiua, scilicet frigoris accessus, id est, cum extrinsecus accedit frigus calorem proprium opprimẽs, sicut cum quis in aëre ambulat frigido: secundo supponere debetis quod semper contrarium fugit suum contrarium, vt manifeste est videre in igne, vbi aër est frigidus, flamma in seipsam contrahitur, & si frigus ita validum erit vt flammam extinguere possit extinguitur.

Tertiũ modo suppositum est, quod virtus regitiua nostri corporis cum valida est resistit nocumentis, & facilè, cum debilis est minimè resistit, quoniam à fortiori obiecto occupatur, vt dicebat Galen. x. therap. virtuti forti nihil resistit, imbecillæ verò succumbit. His suppositis rectè cognoscetis causam, cur aliquãdo inæqualitas, aliquando horripilatio, aliquando frigus, aliquando rigor, in paroxysmorum principiis adueniat: vbicunque igitur humor putrescere debet,

debet, siue in putredinis loco genitus est, siue defluxus à membro mandante ita se habuerit, vt quo ad qualitates primas non habeat qualitatem excedentẽ, vt exempli gratia phlegma dulce quod non habet qualitates excedẽtes, sed est forte tendens ad sanguinis naturam, præterea quoad qualitates secundas, nec acrimoniam, nec salsedinem, siue amarorem habeat, neque erosionẽ aliquam, præterea, quod tarde moueatur, vbi hæc omnia cõcurrent necessariò siue in putredinis loco generetur, siue aliũde defluat, aliqua insignis mutatio in principio paroxysmi non sequitur, quia frigiditatis causa, tam priuatiua, quam positiua non adest, quæ frigus validum causet, nec violenter trahitur calor, cum contrarium ipsius non fiat validum, nec etiam impetuose materia mouetur, ideo calor deterreri non debet, quia inimicum fortem non habet, qualitatem scilicet aliquam mordicantem, quæ virtutem membrorũ faciat aufugere: cum igitur ista pituita ad locum putredinis deueniet, nec qualitate, nec quãtitate excedet, sequitur tunc inæqualitas in mẽbris, si verò pituita frigida non est, sed quædam pituita, quæ ad vitij naturam tendit, vel mordacitatem habeat, vt in tertianis nothis, & sit in magna copia, & impetuosè, & con-

fertim moueatur, tunc secundum sequitur symptoma, id est horror quoniam iam calor innatus horret: quia potentem inimicum habet, & quo ad qualitates primas, & quo ad secundas, & materiam multam, quæ confertim mouetur, & ideo contrahitur, & retrocedit, si modo huiusmodi humor magis mordacem habeat qualitatem, & sit frigiditatis validæ, & sit multus, & subito moueatur, & musculorum virtutem inueniat, non ita fortem, vt resistere ac ipsum vincere posit, tunc validum frigus sequitur: quia ad cor concentratur ad qualitates primas, & quo ad secundas, & quod aufugiens suum contrarium satis potentem, & quo ad quantitatem, & quo ad motum subitum materiæ, si verò humor, qui ad membra transfunditur non tantum sit multus, sed subtilis, & confertim motus, calidus, acris, & erodens, tunc sequitur rigor: quia calor naturalis à qualitate mala illa, & humorum copia deterretur, & violenter retrahitur, & cum calidus, & tenuis sit imbibitur in musculis, & sua mordacitate stimulat, & pungit; natura autem in musculis existens insurgit omni conatu ad expellendum, & ideo maxima fit concussio membrorum, secundum igitur quod est, vel maior, vel minor copia materiæ,

teriæ, quæ putrescere debet secũdum quod confertim, & tarde mouetur, & secundum quod mordax magis, vel minus, aut frigidus magis, & minus, & secundum quod musculorum virtus valida, vel imbecillis erit, motus isti fient maiores, vel minores, est modo videndum cur in quartana in principio frigus sit debile, in successu postea validum fiat: Dico quod ratio huius est quoniam humor melancholicus crassus, & terrestris est, ideo non cum valido frigore in principio materia existente cruda inuadere potest, quoniam validum frigus à multa, & frigida fit materia, sed vbi in successu attenuatur, & viæ præparantur, & apparentibus signis concoctionis natura fortior fit, tunc maior copia expellitur, quoniam apertæ iam sunt viæ, tenuior redditus est humor, qui confertim mouetur ad musculos, & sic frigus augetur: videndum modo est cur paroxysmus redeat, postquam iam consumpta est materia, quæ faciebat accessionem, videretur enim quod absumpta materia amplius idẽ effectus redire non deberet. Dico, quod redit: quia eædem causæ perseuerant in corpore generantes easdem superfluitates: quia membrum mundans, & membrum recipiens idem est in temperatura, idem est alimentũ, idem cor-

pus,qualitas eadem ſemper eſt,igitur idem erit effectus, quia materia faciens periodos non eſt in quadam cella vinaria collecta, ſed continue generatur, & ideo ſi fieret febris pituitoſa quotidiana,& habet (vt fere ſemper contingit,) membrum mandans ventriculum, in quo multa pituita generatur, quæ ad eas partes, & febrem facit,dum idem manet membrum mandans, & membra recipientia ſunt diſpoſita, quæ ſemper diſponuntur magis,quoniam in eo membro in quo materia putreſcit, ſemper aliquid fœculentum manet, ex præcedenti putredine illius humoris, & quia remanet ibi calor, præter naturam redit idem effectus: quia denuo generatur alia materia, imò vel maior fit, donec cura boni medici, vel naturæ corrigatur, & non amplius pituita generetur, deinde membra recipientia corrigantur, & natura ad expellendum fuliginem illam parietibus membrorum inſidentem, tanquam fuliginem in camino, non inſurgat,& quouſque ſigna concoctionis non appareant,& illius ſedimenti quod parietibus hæret, ideo in declinationibus febriū vrina clara apparet cum ſedimento albo, leni, æquali, quoniam humores ab innato calore dominantur, & hæc non reſpiciētes iſti boni medici, vbi occurrunt

runt

runt febribus interpollatis, nō cessant cum suis maledictis euacuationibus procedere, donec ægros ad hydropem, vel ad mortem deducant, in his febribus, non debetis esse ita soliciti ad euacuandum bene factis euacuationibus, in principio materiam à membro recipiente euacuare debetis, sed vbi febris perseuerat, non debetis amplius euacuare, sed prouidere ne generetur noua materia, quod fiet corrigendo malam temperaturam membri mandantis, & corroborando membrum recipiens, & si pituitosa erit febris debetis corroborare ipsum ventriculum, vt diuine admodum dicebat Auicenna transacta decima quarta corroborantia ventriculi consultatis, & trociscos de absinthio, de rosis, & huiusmodi commendat, quoniam minera huius febris amphimerinæ, est in ventriculo, ideo post euacuationem corroborandus est, quam rem non aduertentes medici, cum suis maledictis medicinis adeo calorē & vires ægrorum debilitant, vt ipsos sæpe deducant ad humores ventris, vel pedum, vel ad cacexian, vt vix deinde possint curari, & hæc dicta sint obiter. Quærendum quarto est cur quartanæ suos habeant periodos de quartò in quartū, tertianæ de tertiò in tertium, & sic de quotidianis, quia istæ febres

redeunt suis horis, ac si horologium haberent, & memorarentur: circa has causas multi multa dixerũt. Astrologi volunt munus esse syderum: Medici humoribus attribuunt, & quicquid sit de syderibus, & cœlo non est præsentis speculationis, & cœlum quomodo regat ista particularia non est à medico quærendum, quia medicus paroxysmorum causas quęrere debet. Alexander secundò problematũ problemate octauo causam istorum periodorum ait esse humores, nec mirum est cur quotidiana quotidie inuadat: quoniam pituita est humor multus, & præter sanguinem copiosior est aliis humoribus, præterea cum generetur in ventriculo quotidie tanta copia pituitæ pro ratione alimenti, non est mirum si quotidie etiam propter eius copiam moueatur: secundò non est mirum si bilis tantum mouetur de tertiò in tertium: quia bilis fit in secunda concoctione quæ est pars spumosa sanguinis, & est pauca respectu pituitæ, multa verò respectu melancholiæ, quæ est fex sanguinis, & minor est bili, ideò quia pituita generatur quotidie, & in maxima copia, quotidie etiam facit periodos, bilis autem quia minor est pituita & melancholia copiosior medio modo se habet, & facit suos paroxysmos alternis diebus,

bus,melancholia vero quia tãto minor est bile,quanto minor bilis est pituita, ideo in quarto solum dum redundat mouetur, & hæc fundantur super fundamento heri posito, quia vbi copia humoris est aggregata in membro mandante, vt amplius tollerari non possit, ab ipso expellitur, & putrescit: & ideo vbi maior copia bilis generatur, quam conueniat, paroxismi tertianæ febris quotidie fient, & bis & ter fiet in die secundum multitudinem bilis: similiter quartanæ inuadent singulis diebus, vbi tanta erit multitudo melancohliæ, vt natura cogatur quotidie eam expellere, ideo paroxysmos attendere non debetis, quoniam licet proprium sit bilis cum non multum abundat de tertio in tertium inuadere, & melãcholiæ cum non multa est de quarto in quartum paroxysmos facere, tamen cum multa copia adest quotidie inuadunt, & fit quartana continua, & cum dicimus bilem de tertio in tertium, & melancholiã de quarto in quartum: moueri verum est dummodo non multum excedant, semper tamen separata habebunt accidentia, quæ præ oculis vestris habere debetis, vt ex illis, humores peccantes cognoscere possitis, & non attendere paroxysmos solum, quoniam errabitis sæpe, & hæc satis quo ad paroxysmo

morum reditum. Cur autem aliquando longi, aliquando breues sint paroxysmi, causæ ad tria reducuntur fundamenta, vel scilicet ad materiam, quæ putrescit, vel ad corporis dispositionem an sit raræ, vel densæ texturæ, vel ad virtutem regentem corpus, vbicunque materia fuerit crassa & multa, ac frigida, paroxysmi longiores erunt; quia difficile talis materia absumitur, quoniam est concoctionis rebellis, si pauca fuerit materia tenuis; subtilis cito assumetur: respectu virtutis, & paroxismi fient breuiores, cum fuerit valida virtus, quia facilius concoquit quam debilis, & si corpus erit raræ texturæ, & transpirabile, citius & facilius concoquetur, & absumetur materia: quia vapores putridi exhalare potuerunt, contrarium eueniet, si causæ fuerint contrariæ, & secundum quod harum trium causarum plures ex illis vincent, erunt breuiores paroxysmi, vel minores, His visis iam tempus est vt ad caput de signis accedamus.

De signis tertianæ simplicis.

VVLT Galenus primo intuitu tradere omnia signa quibus primo intuitu tertianas

nas febres cognoſcere poſsimus, & tradit methodum, at nos cum docuerimus vniuerſalem methodũ in principio, niſi modo doceremus quomodo illa vniuerſalis methodus coniungi debeat cum particularibus eſſet indecorum, docuimus in ea methodo, quomodo ſunt tres fontes à quibus ſigna haurire debetis, primus fons, eſt operationes læſæ, quas conſiderare & videre debetis, ſi morbum cognoſcere vultis, quoniam morbus eſt diſpoſitio, præter naturam operationes impediens. & primo circa animales diſcurrere debetis, & interrogare an quidquã immutatũ ſit & an læſæ ſint, tã hæ quæ ſunt in cerebro, quàm ille quæ ab ipſo procedunt, deinde ad vitales accedere, debetis conſiderare an ille quæ in corde, & propter cor ſunt, ſint læſæ, vel illæ quæ ab ipſo corde dependent, tertio ad virtutem naturalem accedendum eſt, & videndum an ſit immutata, vel attractiua, retentiua, concoctiua, vel expulſiua, & vbi ſic faceretis & coniicietis in aliquibus, vel in pluribus eſſe vitium, oportet poſtea vt videatis an ſint corruptæ, vel diminutæ, vel abolitæ cum his tribus modis actio quæque poſsit lædi, vt ex Gal. habetur in libro de diff. ſimpl. ex his enim ſcietis & partem affectam, & qua affectione laboret; ſi enim operationes corruptæ

erunt

erunt, dispositionem esse calidam scietis, si diminutæ vel ablatæ, scietis ibi morbum esse frigidum, ideo ex læsionis modo scietis & cognoscetis affectionis speciem: secundus fons est, excrementa, & exeuntia ipsa, & hæc etiam videbitis, vt si sputa, excrementa alui, & vrinæ & sudores sint immutati, vt an fœtida egerit, vel multa, vel pauca.

Sed quoniam in præcedentibus dimisimus vnam quæstionem leuem, scilicet, nunquid humores quicunque fluunt de vna parte ad aliam, vt putrescant & febres faciant, an putridi exeant, an vero cum ad locum putredinis deuenerint, putrescant ibi, ideo nunc à nobis est dissoluenda: certum est, quod dum fluunt humores non sunt putridi, quia si ita esset quandoque fluerent, febres facerent, quia stante eadem causa, sequeretur idem effectus: sed propter ipsorũ multitudinem expellunt, quia acriorem habent qualitatem, quã natura cum tollerare non possit, expellunt ad locum putredinis, & exacerbationem faciunt: & hæc pro quæstione omissa satis sint, dicebamus superius signorum fontes esse tres, & primus erant operationes læsæ, quæ erant spectandæ, & quo ad animales, & quo ad vitales, & quo ad naturales, & an corruptæ, vel diminutæ,

vel ablatę essent. Dicebamus secundū fontē esse exremēta ipsa mutata, quę erāt spectāda, an in colore, an in sapore; an vel in qualitate, vel in substantia, vel in cōtentis essent immutata, vel si vrina, vel excremētum alui esset tenue, crassum, nigrum, viride, salsum, amarū: tertius fons sunt accidentia, quæ exterius apparent, quę circa qualitatem, quantitatem, & motum apparent, in qualitate vt cutis colore mutata, vel lucida, vel rubea, pallida, ruffa, si aspera, aut lenis sit facta, si calida aut frigida magis quàm soleat, quid autē huiusmodi facultates significēt, in corporibus dicemus, in quantitate vt si membrum sit maius, vel minus redditum, aut totum corpus protuberans, vt in cacexia, aut diminutum sit, vt in tabescētibus circa motū, vt si aliquid in corpore moueatur, quod moueri non deberet, vt rugitus ab astātibus percipi in ventriculo inferiori: præterea circa actionem & pasionem, vt si facilius vel difficilius ad patiendum sit reditum, & hos vniuersales considerando fontes ad particularia facillime descendetis. Quomodò autē in tertiana fiat quā curare intendimus nūc datur tēpus, vt doceamus. Sumus in tertiana febre quam curare intendimus semper à natura rei, primo sumemus exordium, & hoc vobis perpetuo erit faciendum, quia cognita

gnita rei natura statim accidentia manifestè patebunt, quoniam, vt bene dixerunt Logici, medium vt cognoscatur, passiones sint in subiecto: est definitio non passionis, sed subiecti, quoniam vbi habetis subiecti definitionem rectè perspectam, statim & accidentia habetis: volumus igitur tertianam per sua signa cognoscere, eam in sua natura consideremus, quæ verò est natura tertianæ? est vna ex interpollatis, vt vidistis, & quomodo fit? ex bilis putredine oritur, bilis autem cuius temperamenti est, iam scitis ex primo, & secundo de temperamētis, quod humor biliosus inter omnes humores feruentissimus est, mordacissimus, fluxibilisque admodū est, in sua natura etiā mordet, & absq; eo quod putrescat: hæc omnia habet, quod si postea ebullitio addatur, & vltra ebullitionem etiam putrescat, fit longe magis feruens, igneus, in constās, & mordacissimus, cognita natura istius rei, statim apparebunt omnia accidentia quæ in huiusmodi tertiana consequi possunt, & incipiamus seriatim, nonne meministis, cum de causis rigoris loqueremur, nos dixisse fieri cum humor multus, acris, subtilis, confertim erumpit de vna parte, ad aliam partem musculosam, cuius ratione primo sequitur, dum impetuose fluit, quod calor

calor innatus priuatiue retrahitur ad cor fugiens suum contrarium, & sic fiet frigus & rigor, quia vero bilis est res calida, ideo statim post vaporem inflammabitur, & statim ad fumum deueniet, & etiam ad declinationem, quia subtilis est, & facile euaporat talis humor, quare dicebat Galen. longitudinem tertianæ simplicis esse duodecim horarum, nec pertransire posse in principio, & circa augmentum paroxysmi euomunt bilem, vel egerunt, quia materia est obediens fluxioni & facile mouetur, in fine fit sudor, quia vbi iam concocta est materia paroxysmi, propter fortitudinem virtutis expellitur, & vrina erit flaua, quia humor qui putrescit flauus est, fluida & tenuis, quia bilis est fluida & tenuis, & sedimentum de quo curandum sit, non habebit, quia sedimenta sunt ex materia crassa, dum concoquitur, hæc autem non concoquitur, quia ad benignum reduci non potest, ideo tota expellitur, quia tota excrementum est, & hęc signa sumūtur à natura rei, & sunt sumpta ab exeuntibus mutatis, qui signorum fons erat secundus, à tertio fonte sumuntur signa, qui fons sumebatur ab accidentibus, & hoc etiam sumitur à natura rei, quia cum bilis sit humor calidus & siccus feruens, & acris dum putrescit fit feruentis-

ſimus, ideo calidiſsimus, & mordaciſsimus apparet calor ad tactum, à primo fonte ſumuntur etiam ſigna qui fons ſumitur ex operationibus læſis, & hæc etiam habentur à natura rei quæ operationes erant tres, animales, vitales, & naturaels, quæ tripliciter poſſunt lædi, vel enim poſſunt corrumpi, vel diminui, vel auferri: quantum igitur ad operationes læſas naturales maximam ſitim habet, quia ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, & cum maxime ſit feruor, & ſiccitas in ventriculo ideo appetit potũ, abhominantur autem cibum, quia vt Gal. & Ariſtot. ſecundo de anima, fames eſt appetitus & calidi, & ſicci, in ventriculo autem cum ſit caliditas, & ſiccitas multa, ideo non appetit cibum, quantum ad operationes animales habent maximum dolorem capitis, vigilias, aliquando alienationes, vbi cerebrum eſt debile, habent quidem dolorem capitis, quia vt ſcitis ex Ariſtotele primo, ſecundo, & tertio meteororũ vapores calidi, & ſicci petũt partes ſuperiores, & ideo cum humor bilioſus ſit calidus, & ſiccus valde, tranſmittit vapores calidos & ſiccos ad caput qui membranam cerebri inuadentes, cauſant dolorem capitis, ſed facile exoleſcit, quia humor tenuis eſt, vigiliæ fiunt maxime, quia ſicut ſomnus, primo

pro-

prouenit ab humiditate, secundario à frigiditate: ita vigilia primo peruenit à siccitate, secundario à caliditate: ideo vapores illi cum sint calidi & sicci, vtræque vigiliarum causæ sunt, alienationem autem habent, quia isti vapores perturbant spiritus ipsos animales intrinsecus, & ipsos mouent, ideo corruptæ fiunt imaginationes: quantum vero ad operationes vitales habent pulsus velocissimos, frequentissimos, ac vehementissimos, quoniam maximam euentandi necessitatem habent: quia iam diximus tres esse causas quæ pulsum immutant, prima causa erat in virtute mutatio, secunda in instrumento, tertia in necessitate & vsu, ideo cum vapores illi putridi feruentissimi admisceantur cum vaporibus cordis augent necessitatem euẽtandi, & ideo tũc pulsus efficiuntur maiores & frequentissimi, stante virtute valida & instrumento disposito, benéque apto ad motũ, & quia si quandoque contingat, vt virtus sit valida, instrumentúmque sit inobediens, & sit necessitas magna euentandi, tunc quod non potest magnitudine, & vna dilatatione supplere, supplet frequentia: at quia tertiana durat tantum per duodecim horas, & interponunt multum temporis, in quo nõ febriunt, ideo non potest esse debilis virtus, ideo in ter-

tiana pulsus sunt maximi velocissimi, & frequentissimi, & sic videtis quomodo ex ipsa natura rei sumantur omnia signa, vltimum signum ponit Gal. & est quod nulla in pulsu apparet inæqualitas, præter eam inæqualitatem febrilem, hoc dicit Galenus, in textu: sed scio vos hæc non intelligere, ideo quo ad declarationem huius debetis notare, quid sit inæqualitas in genere, inæqualitas in pulsu est, cum nunc vnomodo, postea aliomodo mouetur, & post breuem motum aliter mouetur, vbi igitur ordo in pulsu non seruatur, inæqualis dicitur, & hæc de nomine inæqualitatis in pulsu. Supposito igitur quid sit inæqualitas, scire debetis etiam quod duplex inæqualitas esse potest, altera in vna pulsatione, altera in pluribus.

His suppositis, sciendum quod pulsus integer ex duobus conficitur motibus, & ex duabus quietibus, & inæqualitas integratur in vna pulsatione, quia vel systole tarda est, vel dyastole magna est, & hoc ex parte motus, ex parte vero quietis, cum quies dyastole est rara, sed quies systole est frequens, vel econtra, vel quando in vno motu puta in dilatione velociter incipit motus, postea tardè terminatur, vel econtra: inæqualitatem autem in pluribus pulsationibus

bus appellamus, cum vna pulsatio velox est altera tarda, altera frequens, altera rara, & hæc omnia habetis à Galeno in secundo de causis pulsuum, & hæc de inæqualitatis nomine, sed quoniam inæqualitas est signum inseparabile à putridis, & nos circa illas versamur, ideo quæ sunt necessaria ad huiusmodi inæqualitatem audiatis: scire debetis tres esse causas, quæ in pulsu diuersitatem faciunt, prima est necessitas quæ nihil aliud est nisi vtilitas, quę ex euentatione habetur, scitis enim quod calor in corde existens magnus est, ideo continua euentatione indiget; quia aliter suffocaret animal, & secundum quod necessitas est maior vel minor euētandi, etiā maior apparet mutatio, & dilatatio, & cōstrictio pulsus pectoris & arteriarū, secūda causa est virtus mouēs quę est causa efficiens: vsus vero, siue necessitas est causa finalis, & si hæc facultas vitalis mutabitur, mutabitur etiam pulsus, quia & si sit maxima necessitas euētandi, & tamen virtus debilis sit, debilis fiet motus, & sic fiet mutatio in pulsu, tertia causa est instrumētum quod si sit malè affectum & non aptum vt moueatur, etiam si virtus fuerit fortis, & necessitas euentandi maxima tamen non fiet pulsus, qualis deberet fieri, & sic semper, vel ab vna causa, vel à duabus, vel ab omni-

bus fiet mutatio in pulsu, his ita suppositis dicimus nunquam à mutatione necessitatis fieri inæqualitatem systematicam, scilicet inæqualitatem collectiuam plurium pulsationum, loquar secundum sensum, & ratio est, quia systematica inæqualitas, ab alia causa fieri non potest nisi vbicunque mutatio cadit ex improuiso in pulsu, sed augeri non potest necessitas ex improuiso, quæ perceptibilis sit, igitur ex ea inæqualitas systematica fieri non potest: exempli gratia quispiam in feruente sole moueatur, siue eodem motu, siue eadem mensura moueatur, siue non, necessitas augebitur, & maiorem, velocioremque faciet pulsum, quia in tam pauco tempore calor variari & immutari non potest, & si variatur non perceptibiliter variatur, & sic non fit inæqualitas perceptibilis, quoniam necessitas in tempore mouetur: restat igitur vt ista inæqualitas systematica ab aliis duabus causis oriatur, scilicet à virtutis imbecillitate, & ab instrumento, & quamuis Galenus, tres inæqualitatis causas fecerit, primam virtutis imbecillitatem, secundam instrumenti inobedientiam, & tertiam inæqualitatem in corde, tamen ista causa tertia reducitur ad virtutis imbecillitatem, sed quæ est ista virtutis imbecillitas, quæ inæqualitatem

litatem facit: dico quod est illa virtus imbecillis non propter resolutionem, quia illa facit æqualitatem, sed est illa quæ est imbecillis propter suffocationem: quia vos scitis virtutem esse imbecillem dupliciter, vel propter resolutionem sicut senex octuaginta annorum, vel propter suffocationem, vt cum natura aggrauatur à multitudine humorum, sicut est baiulus, qui licet ex se fortis sit, tamen oppressus aliquo pondere, redditur debilis: sic est de virtute à multitudine humorum oppressa, dicitur imbecilla non in se, sed quia oppressa est: imbecillitas igitur propter resolutionem non facit inæqualitatem systematicam, sed quæ propter suffocationem, & quod hoc verum sit, accipiatis senem qui ambulet, & baiulum oppressum aliquo pondere, senex ambulabit lento gradu à principio vsque ad finem, baiulus & ipse à principio lento gradu ambulabit propter onus, tamen quia oneratum se videt ad fortiorem insurgit motum, & impetuose mouetur, quoniam ad finem accedere vellet, vt onus deponeret, quia videt quod illud onus non facit per se, & iterum insurgit, & velociter ambulat, ita est de virtute oppressa ab aliquo intrinseco humore, cum humores infarti sint in venis, fiunt pulsus inæquales

modo tardi, modo veloces, secunda causa est inobedientia instrumenti ad motum, quæ inobedientia potest esse à multis causis, vt cum arteria efficitur dura, vel cum frigescit, & congelatur, vel exiccatur multum, vel quando illi acidit aliquid in medio quod repleat, & infarciat, vel cum ad intra arteriam sunt humores crudi, vel cum ab extrinseco comprimitur, vt cum inflammatio, vel scyrrhus est prope ipsam, impediretur à motu, & sic fieret inæqualitas systmatica, & licet virtus fortis esset, & necessitas aucta, & tamen instrumentum non esset bene dispositum, sequitur inæqualitas, quoniam virtus tentat motum, & vult mouere, quia necessitas vrget, sed non potest, quia impeditur, & in principio suffert vnam iniuriam, secundam & tertiam non tollerat, sed insurgit, & magnum facit conatum vrgéte necessitate, sed cum videt irritos conatus suos postea quiescit, & sic fit tunc huiusmodi inæqualitas, & hæc de secunda causa, de tertia causa, quæ cordis inæqualitas est, non loquimur, quia reducitur ad virtutis imbecillitatem, & hæc de inæqualitate systematica, hæc de inæqualitate in pluribus pulsationibus satisfint, inæqualitas modo in vna pulsatione, vel potest esse comparando dyastolem systolæ,

vel

vel econtra, vt si contingat dilatationē esse magnam, contractionem verò paruam, vel potest esse in vno tantum motu, cum scilicet in principio mouetur dyastole velociter, in medio motus, tarde, in fine alio modo & sic de systole dicendum, circa hanc inæqualitatem dyastoles ratio me cogit dicere hos esse pulsus, sed quomodo sensu metiri possit inæqualitas inter dyastolem, & systolem nescio videre cum Galenus asseruerit se ignorasse systolem per viginti annos, sed post vigesimum primum annum se didicisse, quod an verum sit, credo potius quod mentiatur cum Græcus fuerit, imò magna pars medicorum falsum esse credebant, quoniam non percipiebant vibrationem arteriæ, & credebant, non habere constrictionis motum: postea diligentiores per anotomiam viuorum facti perceperunt eam, ego tamen fateor me non cognoscere hanc inęqualitatem, cum ergo non cognoscamus systolem, quomodo comparabimus eam cum dyastole? Dico hoc solum ratione perpendi posse: cum enim virtus mouetur, & dilatare arterias incipiat, & in medio aliquid sit quod eam comprimat, cessat in medio, demum cum extreme dilatatur fortiorque fit, & motus redditur fortior, sed iam ad rem nostram redeamus,

 Duab

Duabus his inæqualitatibus declaratis, & quod vna sensu deprehenditur, secunda verò ratione tantum, cum dixerit Galenus inæqualitatem febrilem in pulsu apparere de qua intellexit? Dico quod de ea intellexit, quæ in vno tantum motu est, & vnius est pulsationis, quæ duplex, vel est inæqualitas inter systolem & dyastolem, vt apparet in febre putrida in qua in principio paroxysmi systole fit maior, velocior, & frequentior, dyastole verò fit tardior, rarior, & minor, & ratio est, quia in principio calor naturalis retrahitur, & partes extrinsecæ refrigerantur, & plurimi vapores putridi perueniunt ad cor, & inflammant ipsum, plurimique vapores fuliginosi in ipso retinentur, ideo non tantum attractione indiget, quantum expulsione illorum vaporum fuliginosorum in corde contentorum, ideo oportet vt virtus insurgat omni conatu ad expellendum, ideo systolæ maiores, frequentiores, velocioresque sunt, quam dyastolæ, sed in statu totum oppositum contingit: quia tunc systolæ minuuntur, & dyastolæ augentur, quia tunc calor in corde augetur, & vapores illi fuliginosi maxima ex parte inaniti, ideo maiori indiget cor euentatione, quam expulsione illorum vaporum fuliginosorum: in augmento autem

tem quia sapit naturam principij, & status, ideo dyastole, & systole medio modo se habent, hæc docet ratio, sed sensu credo non posse cognosci, & hæc erant declaranda in capite de febre tertiana.

Caput de signis febris quartanæ.

IAM Vidistis Galeni ordinem, vult enim de his tribus generibus febris putridæ interpollatæ agere, scilicet de tertiana, quartana, & quotidiana, & cum de signis tertianæ febris pertractauerit, & nos inde signorum methodum dederimus à natura rei incipiendo, ita in hoc capite faciamus, & non erit difficile exercere vos in vniuersali methodo, & in signorum fontibus, de quibus nunc nihil dicemus, quoniam cum de febre tertiana ageremus de his satis superq; diximus.

Quoniam in principio præcedentis capitis diximus (in quo de tertianæ signis tractabamus) quod vos ad vniuersalem signorum methodum recurrere debetis, & semper præ oculis illos tres fontes habere: & etiam diximus vnum aliud esse aduertendum quod quidem est necessarium, & ad inuenienda signa plurimum facit, & postea in discursu fuimus obliti, ideo

cum

cum necessarium admodum sit hoc annexum scire, antequam ad signorum quartanæ caput me transferam, primo de hoc dicam, oportet igitur intrinsecis signis inuentis, quæ ab illis tribus fontibus sumebãtur, omnium etiam illarum causarum extrinsecarum alterantium meminisse, exempli gratia cum in tertiana omnia illa signa ex natura bilis putrescentis considerabitis, perpendere etiam ista extrinseca, & considerare debetis cuius temperaturæ sit patiens febrem tertianam, an fuerit calidæ & siccæ temperaturæ, an fuerit iuuenis, & non excesserit trigesimum annum, an sit tempus æstatis, si in regione calida, si multum in laboribus se exercuerit, si bibit potentia vina, & cibaria calidissima comedat: vbi omnia ista conueniunt, & adsunt signa sequentia rei naturam, per omnia signa manifestissima habebitis virum illum pati tertianam: deueniamus modo ad inuenienda signa intrinseca in quartana febre, & incipiamus à natura rei, & per veram methodum sicut fecimus in tertiana febre: sed quia forte non intellexistis quid esset à natura rei incipere, & ideo audiatis, hic adest febris, & quartanam esse suspicamini, quid facere debetis, vt possitis vere cognoscere, an sit quartana febris? humores ipsam facientes considera-

re, &

re, & quæ ſit natura eius humoris, quia illa habita facile patebunt ea quæ cõſequi poſſunt, cum putreſcit ille humor melancholicus ex quo iam diximus heri febrẽ quartanam fieri: quo igitur ad qualitates primas ſcitis frigidum & ſiccum eſſe, quo ad ſubſtantiam craſſum, & terreſtrem fœculentum, & ſaporem habere acidum, qui ſemper frigiditatem atteſtatur, vbi ſcitis hæc, & quod nunquam generatur data paritate in tanta quantitate ſicut cæteri humores, dico data paritate, quia ſi ponatis hominem in quo melancholicus humor abundet, & alium in quo bilis redundat, in vtroque ſemper erit in minori copia quam reliqui humores: quia peſsimus eſt humor, & naturæ inimicus: quia vita in calido, & humido conſiſtit: ſed iſte humor eſt frigidus, & ſiccus, ergo naturæ inimicus, ex his modo facile eſt videre ex natura rei, quæ accidentia conſequi poſsint, vbi putreſcat, & primo à motu incipiamus cum humor ad putredinem accedere incipit, quia frigidus, & ſiccus, & terreſtris non ſolùm actu, ſed potentia, ideo frigus maximum inducit: quia non tantum ibi adeſt frigiditas poſitiua, ſed etiam priuatiua, & quanto magis ad ſtatum deuenit febris iſta, tanto magis apparet maius frigus, & ratio eſt,

quia

quia succedente tempore fit aliqua præparatio, & humoris concoctio, & viæ magis dilatantur propter continuum motum, & expulsionem humoris, ideo fit maior expulsio, & maior & longior frigiditas propter copiam materiæ, & crassitiem ipsius, quia difficile inflammatur, vt si rem solidam ponatis ad ignem longe maius tempus requiret, vt ignescat quam palea, cum autem inflammatus est iste humor, non durat per multum temporis, sed cito consumitur, & raro quatuordecim horas pertransit, nec multum in longitudine excedit paroxysmũ tertianæ, quia licet iste humor frigidus, & siccus sit, & difficillime suscipiat flammam, inflammatus tamen plane totus ignescit, & propter siccitatẽ quam habet cito consumitur, præterea ab hac eadẽ natura sequitur, q^d^ causetur maximus dolor, in dorso, quia cum sit humor frigidus & siccus, post adustionem factam efficitur mordax: quia res, quæ aduritur licet frigida, & sicca sit redditur mordax, & amara, ideo vapores eleuantur à materia illa adusta mordaces, qui venas paruas existentes in dorso ascendunt ad cor, & rursus per arterias, quæ à corde procedunt, descendunt & spondilibus dorsi neruisque læsionem communicant, & ita dolent spondiles, ac si dilacerarentur, & hoc

quantum

quantum ad primam inuasionem paroxysmi circa suum motum, superest modo, vt videamus signa, quæ sumuntur ab operationibus læsis, quæ sunt primus fons signorum, & ab excrementis mutatis, quæ sunt secundus fons signorum, & ab accidentibus, quæ sunt tertius fons signorum: quantum ad facultates attinet ab animalibus incipiamus, & primo ab illis, quæ sunt in ipso cerebro, illi tristātur, timent, suspicantur, iracundi fiunt, non propter cordis caliditatem: sed quia suspicantur ne quid mali fiat illis, & hæc illis accidunt propter spiritus turbulentos, & tenebrosos cerebrum petentes. Quantum ad somnum, & vigiliam attinet, magis inclinati sunt ad somnum quam ad vigiliam: & ratio est, quoniam qui habent huiusmodi humorem putrescentem, pituita redundant, ex qua multi vapores eleuantur ad caput qui inducunt somnum, non multum tamē quia vapores melancolichos habent humores secum qui vigilias inducere possunt; nec sunt ita somnolēti, sicuti quotidianarij, nec ita vigiles sicuti tertianarij. Quantum attinet ad motiuas operationes, non sunt ita immobiles sicuti quotidianarij, nec ita vegetes sicut tertianarij, qui in vno loco permanere nō possunt: quia caliditatē, & siccitatē maximam

in mem

in membris habent qui quotidianã patiuntur, ſunt admodum pigri, quia humorem frigidum, & humidum habent, qui verò quartanam patiuntur medio modo ſe habent, quia ratione qua humor ille eſt ſiccus conuenit cum bile, ratione qua frigidus conuenit cum pituita, & ſic non eſt mirum ſi in motiuis operationibus medio modo ſe habent, cum quotidianariis & tertianariis,& hæc omnia morbi naturam ſequũtur, quo ad virtutes vitales, & arteriæ motum, & cordis,iſti habent pulſus paruos,ſed non adeo paruos quin conuenientem habeant magnitudinem, ſed tardos, & raros, & tantam raritatem habent, vt nulla ſit febris, quæ tantum raritatis in pulſu habeat, ſicut iſta, inæqualitatem habent maiorem, quam tertianarij, minorẽ,quam quotidianarij, & quæ ſunt horum cauſæ? naturam rei, vt eſt præceptum noſtrum oportet videre, humor iſte(vt diximus,eſt frigidus, & ſiccus, vnde antequam putreſcat, in principio priuatiuè & poſitiuè refrigerat(vt diximus)caliditatem cordis,ideo pulſus fit paruus,cum non adſit multa neceſsitas euentationis,nam non poteſt dici quod virtus ſit, ita debilis, quod mouere non poſsit, quia durat tãtum febris per vnum diem, & poſtea quieſcit homo liber per duos dies à febre,

bre, vnde nō poteſt virtus in tam breui tem pore debilitari, non eſt etiam inſtrumentum ita impeditum propter vapores frigidos, & ſiccos, ſicut eſt impeditum propter humores craſſos & viſcoſos, vt de quotidiana dicemus, vt moueri non poſsit, reſtat ergo cum cauſæ immutātes pulſum ſint tres, neceſsitas euentandi, virtus, & inſtrumentū quod cum non ſit ratione inſtrumenti, nec ratione virtutis, quod ſit ratione euētandi, pulſus, magnitudinem ſatis inſignem habet cōparatus pulſui quotidianę: non tamē abſolute magnus dici poteſt, ſit tardus, quia velocitate non indiget, quia neceſsitati ſupplet illa parua magnitudo: rari ſunt comparati ad omnes inæqualitates, & ratio eſt, quia vos ſcietis, nos dixiſſe inæqualitatem vnius pulſationis, de qua intelligit Gal. fieri quoties in inſtrumento eſt aliquid quod perfectā prohibeat dilatationē, & in omni febre putrida in arteriis ſunt multi vapores & in venis, qui inculcātur, & infarciuntur in ipſis, & dum arteria mouetur impeditur, ideo ſemper inæqualitas eſt, vt ſi vos per loca aliqua inambulare deberetis, & haberetis impedimēta ſemper aliquantulum ceſſaretis, & ſic motus eſſet inæqualis, ita etiā cum arteria ad dilatationē mouetur, quanto magis vel minus fuerit vaporibus refer-

ta, tanto magis, vel minus erit impedimentum, & cum in quartana plures sint vapores, quam in tertiana, pauciores quam in quotidiana, ideo inæqualitas, in quartana media erit inter inæqualitatem tertianæ, & quotidianæ, & hæc omnia à natura rei habetis, natura melãcholiæ est frigida, & sicca, & quantum ad siccitatem ipsius vapores non sunt crassi, quantum verò ad frigiditatem crassos habet vapores, ideo medij sunt inter vapores bilis & pituitæ, propterea etiam faciunt inæqualitatem mediam inter inæqualitatem tertianæ, & inæqualitatem quotidianæ, Discurramus modo per signa quæ à facultatibus naturalibus læsis sumũtur: humor iste frigidus, & siccus, cum sit, necessarium est vt ventriculum afficiant cum huiusmodi mala qualitate sua frigida, ideo patientes eructant acida, quia humor putrefactus acidus est, multum comedere appetunt, quia humor frigidus, & siccus est, necnon acidus, & aciditate sua stimulat ventriculum, & facit quandam mendosam famem, in processu autem cessat illa fames, quia dum cibaria non concoquantur ob frigiditatem multi humores pituitosi aggregantur, qui nauseariam faciunt satietatem, non multũ sitiunt propter pituitam in ventriculo genitam, quæ frigida est & humida,

in

in augmento autem cum humor ſiccus crematus ſit, tunc libẽter biberent:& hæc ſunt de appetitu & cõcoctione dicẽda, & omnes qui habent redundantiam humoris melancholici, redundant & pituitę, quia cruditatibus & ructibus abundant, ideo bene dicębat Ariſtoteles quod melancholici à coitu plurimũ iuuantur, quia cum plurimum flatum habeant:& ſemen ſpumoſum ſit, ideo ille flatus emittitur, & hæc ſunt accidentia quæ ab actionibus læſis ſumuntur, qui primus eſt fons ſignorum, modo conſideremus ſecundum fontem ſignorum, qui ex excrementis ipſis habetur, iſti qui quartanam patiuntur non multum egerunt, ſed aluum aſtrictam habent, cuius rei duæ ſunt cauſæ, prima eſt quia priuãtur bile, quæ ordinata eſt à natura, vt per porũ felleũ ad inteſtina deſcendat ad ſtimulandũ & excitandũ inteſtina ad excretionẽ: ſecunda eſt cauſa, quia iſti pituita redundãt, quæ fecibus adhæret, & veluti humus retinet illas cuius ſignũ eſt, quod cum feces exeunt induratæ ſunt, & cũ pituita permiſtæ, quantum ad excrementa per vrinam: quæ ſit vrina in his febribus natura rei docet, humor terreſtris, fœculẽtus, craſſus, qui vix cõcoqui poteſt: igitur neceſſario in principio crudus eſt, ideo per vrinã non bene excernitur, igitur in principio

erit vrina alba, subtilis postea, si quiescere permittatis in fundo residebit quid cineritium nigrum, paucum tamen, sed temporis processu ita multiplicabitur, vt vrina reddatur nigra, quia incipit tunc libere exire, quia iam natura tunc segregauit malum à bono, & viæ aptæ sunt magis, ideo in fine omnia facilè succedunt cum victoria naturæ, quantum ad excretionem per sudorem: quoniam Galen. dixit sine distinctione sudores sequi febres quartanas, si illud absolutè intelligeretis contra rationem & experientiam esset, nam plurimos videbitis, qui non sudant: Alij non in principio, etenim raro videbitis nisi in venis sint humores & admodũ repleti patientes quartanam sudare, sed in augmento, statu, & declinatione sudant, & tunc optimum est, per viam signi & causæ, quia expellitur materia quæ erat causa febris quartanæ, ratio autem cur in principio non sudant est, quia cum humor ille frigidus & siccus, & crassus valde sit, non potest tantum subtiliari, vt per poros cutis transeat, secundo etiã quia viæ sunt obstructæ, tertiò qui quartanam patiuntur, vt plurimum ad somnũ declinant, & sunt frigidæ & siccæ temperaturæ, in tempore frigido, & sicco, & in regionibus frigidis & siccis, quę omnia impediunt

pediunt sudorem, in fine postea sudāt, quia iam humor attenuatus est, & viæ sunt apertæ: ideo dicit Galenus quod quaternarij sudant, sed non omnes, sed si fuerint iuuenes & repleti, & in augmento & statu, vel in declinatione, & hæc quantum ad excrementa mutata, qui est secundus fons signorum, tertius fons signorum, sunt accidentia extrinsecus apparentia, vt circa duritiem & mollitiem in carne, circa frigiditatem calorem, & colorem. Quantum ad calorem (vt à primis qualitatibus incipiamus) dicimus quod calor non magnus est intensiue quia humor frigidus, & crassus admodum est, tamen mordacitatem habet, quia proprium est putridæ febris, vt calorem habeat mordacem, si tamen ad tertianam comparetur non est acris sed si comparetur ad quotidianam acris est, quoniam humor iste medius est inter bilem & pituitam: modo annexa consideranda sunt, & primo videnda sunt, & primò videndum est, quæ sit regio an sit frigida & sicca, an aër turbulentus, an autumnus, an constipatio, in qua plurimæ quartanæ fieri consueuerunt, vtrum ætas ad senium vergat, an temperaturæ calidæ & siccæ, à principio fuerit, an fuerit perpessus labores & molesta animi accidentia, an vsus fuerit cibariis

aggregantibus istos humores melancholicos, vt vinis turbidis, crassis, potētibus, quia vbi omnia ista fuerint aggregata, maximè faciunt febrem quartanam.

Caput de signis quotidianæ febris.

IN signis quotidianæ febris indagandis, non debetis ab alio principio exordiri nisi ab eo à quo exorsi sumus, in tertiana & quartana, scilicet à natura rei, vbi enim humoris naturam recte nouerimus, omnia signa inueniemus, scitis febrē hanc ex putredine pituitæ generari, quæ nō vnius naturæ est, sed multiplex, omne autem multiplex prius diuidendū cum sit quam diffiniendū, ideo primò diuidemus ipsam, quia ex varia natura humoris putrescentis varia contingunt accidentia, quæ signa appellātur cum nobis aliquid significent: pituita ergo quædam dulcis, quædam insipida, quædam salsa, quædam acida, quātum ad modum substantiæ, quædam crassa, quædam tenuis.

Credo autem vos meminisse ea quæ supposuimus, & erat quod vbi in principio mouetur materia de loco ad locum ab internis partibus venarum ad extrinsecas quod varij contingunt inuasionum modi secūdum quod humor est multus, vel paucus, vel mord

mordax, vel benignus, vel secundum quod cum magno impetu, vel debiliter mouetur natura, si enim multa sit materia, & cũ impetu moueatur, magna fit caloris retractio, & sic cum hæc acris, mordax, & erodens fuerit, tunc membrorũ maxima concussio fiet, si verò materia fuerit mitis, & debiliter moueatur, fiet tantum inæqualitas. His ita suppositis, dico quod si pituita quæ ab interioribus venis, & partibus tendit ad exteriora sit dulcis, ipsa proximè ad sanguinis naturam accedit, & positus sub calida, quam frigida, nec mordax nec amara est, propterea non mordicat, nec aduersa est naturæ, & non facit mutationem, nisi multitudinis ratione, & tardissimè mouetur, quoniam natura non facit vltimnm conatum ad expulsionem propter humoris benignitatem, ideo vbi talis materia putrescit, tantum modo fit inæqualitas, non frigus, neque horror in principio paroxysmorũ, cum enim non habeat aliquam qualitatem mordicantem, non sequitur nisi inæqualitas, si verò acida fuerit, cũ frigida sit talis pituita, & præter frigiditatem, mordacitatem habeat, nec sit admodum crassa, sed subtilis, quia vt alias audiuistis aciditas fundatur in tenui substãtia, ideo cum putrescit fit frigus maximũ, cum quadã etiam cõcussione

vt ferè accedat ad rigoris naturam, ſicut in tertiana: ſi verò ſalſa ſit pituita, quæ fit ex putredine, non ex admixtione bilis, vt voluit Auicenna,& aliàs probabimus,quia ex permixtione rei amaræ cum dulci, ſeu re inſipida nunquam fiet ſapor ſalſus, ſed amarus vt experientia quotidiana apparet,quia ſapor amarus cum inſipido admiſcetur, vel in maiori portione, vel in minori nūquam fiet ſapor ſalſus,ſed vel amarus, vel ſubamarus, & vltra experientiam etiam rationi repugnat ex amaro fieri ſalſum, quoniã amarus maiorẽ gradum aduſtionis habet, quã ſalſum,nam omne ſalſum poteſt fieri amarum ſi vlterius aduratur, ſed amarum fieri ſalſum impoſsibile eſt,quia non poteſt amplius ad cruditatem redire amarum,ſalſum autem in comparatione ad amarum crudũ dici poteſt,fit ergo ſalſedo ex putredine, & ex ſubtilium partium reſolutione & terreſtrium aduſtione, tunc vbi putreſcit talis materia, fiunt paroxyſmi qui cum rigore & concuſsione inuadunt,& potius apparent ſigna, quæ diximus de tertiana, quam de quartana, & quod hoc ſit verum,præter rationem, eſt Hippocratis & Galeni authoritas in tertiò de ratione victus in morbis acutis,qui diſtinxit duas febris cauſas,quarum vna ab humore pituitoſo intra venas

putre

putrescentes fit, altera erat à putredine pituitæ salsæ: eodem modo curat vtrasque, & ita de tribus pituitæ speciebus hactenus diximus, de dulci, acida, & salsa. Restat insipida, hæc si putrescit facit febrem quotidianam, de qua loquitur Galenus in præsenti capite, sed ista in modo substantiæ habet differentias multas, si enim fuerit crassa frigida & viscida valde, & ea fuerit quam Praxagoras (teste Galeno,) vitream appellauit, diuersas faciet inuasiones & febres etiã diuersas, ab ista quotidiana, de qua hodie loquimur, faciet illas, scilicet febres quæ lippiriæ, & epialæ, & typhodes dicuntur: in quibus febribus semper esse videbitis frigus, vna cum calore, & per totum paroxysmum, quoniã nõ ex toto putrescit humor, sed partes habet calori & inflãmationi rebelles, & nũc de his febribus nõ loquemur, quoniam febres quotidianæ, de quibus hodie dicturi sumus, nõ sunt illæ quę à putredine huiusmodi humoris pituitosi vitrei pendẽt, similiter de ea quæ à putredine salsæ pituitæ fit nunc non dicemus, sed de illis loquemur, vbi de febribus mixtis sermonẽ habebimus, his igitur remotis nunc de illis quotidianis pertractabimus, quæ cõtingũt à putredine pituitæ insipidæ, frigidæ, humidæ non vitreę, sed quæ media est inter crassitud

ſitudinem & tenuitatẽ. His ſuppoſitis, ſpeculemur omnia ſigna, quæ has ſequuntur febres ſecundũ propoſitam methodũ, ſcilicet à natura rei, iam tres eſſe ſignorum fontes ſciuiſtis, primus erat actiones læſæ, ſecundus excrementa mutata, tertius accidentia quæ extrinſecus apparent in qualitate, quantitate, & motu: ab illis ſumenda ſunt ſigna, primò motum conſideremus, quomodo in principio inuadat paroxyſmus: iam vidiſtis ex fundamentis iactis, quod huiuſmodi febres incipiunt cum maximo frigore propter multitudinem, frigiditatem, humiditatem, & craſsitiem huius humoris, & ratio eſt, quia dum humor multus, & frigidus confertim ab intimis partibus venarum ad externas mouetur: non ſolùm cauſat frigiditatẽ poſitiuam, ſed etiam priuatiuam: quia calor innatus ad interiora retrahitur fugiens ſuum contrariũ ſicut flamma facit, appoſitis multis lignis confertim, & aëre ipſum frigido ambiente. quod ſi etiam fuerit illa pituita quodammodo acida, & mordax fiet non modo frigus, ſed etiã membra ad excuſsionem excitabuntur, ſupponatis ergo quod vbicunque erit vera quotidiana ſimplex ex putredine pituitæ inſipidę cum maximò frigore inuadet, & ex eo ſigno ſolũmodo cognoſcetis eam eſſe ſi non adeſſet

adesset aliud, præterea quid sequitur, ex na tura rei sequitur, quod frigus erit longum: quia frigidus, & humidus est humor, & multum rebellis calori, & putredini, & multus & crassus, propter hæc non tantũ principium paroxysmi erit longum: sed etiam totus paroxysmus, & etiam huius ratio est: quia plerunque huiusmodi febres sequuntur temperaturam frigidam, & humidam in tempore frigido, & humido, & in corpore vbi sunt plurimę obstructiones, & quoniam corpora talia frigida sunt, angustarum etiam viarum sunt, & meatuum, quid mirum igitur est si difficillimè permeat, & difficulter resoluatur propterea vix febres istæ habent interuallum, & durãt per viginti quatuor horas, & semper paroxysmus secundus, inuenit primum circa declinationem, & ratio est: quia materia est rebellis resolutioni, tum ratione crassitudinis, & multitudinis, tum ratione frigiditatis & humiditatis materiæ, & etiam corporum patientium talem febrem, quæ obstructa sunt ex humorum visciditate, & hæc signa sumuntur à principio, id est à motu: reliqua modo sumuntur ab illis tribus fontibus, & primo incipiamus ab actionibus animalibus læsis, & quantum ad animales, rei natura indicat, quę debeãt esse

læsæ,

læsæ,humor frigidus est,humidus & crassus,igitur vapores etiã frigidi,humidi,crassi ab illo ad caput eleuãtur,ex quibus quãtum ad interiores virtutes,scilicet ad imaginationem, discursum,& memoriam,isti qui has febres patiuntur,efficiuntur segnes, obliuiosi,& non bene imaginantur,non recte discurrunt,& licet acutissimi essent ingenij,stupidi,& obliuiosi admodum redduntur. Quantum verò ad sensitiuas virtutes exteriores, omnes redduntur imbecilles, quandoq; nubeculæ apparent ante oculos obuersantes propter vaporum pituitosorum multitudinem,sonitos auribus percipiunt,non bene olfaciunt, omnia insipida videntur,sicuti his qui tertianam amara,& his qui quartanam patiuntur acida,& ita omnes virtutes cognoscitiuæ exteriores sunt immutatæ propter humorem frigidũ: & humidum operationes omnes obtundentem,etiam quo ad virtutes interiores,& exteriores,quo ad somnum,isti sunt ad somnum procliues maxime in paroxysmorum principio,nonnullos videbitis qui excitari non possunt dum stimulãtur ratione illius vaporis frigidi, & humidi caput petentis, quoniam vt scitis humiditas per se causa est somni, frigiditas verò est causa per se somni non naturalis,cum igitur frigiditas, & hu

& humiditas conueniant,non est mirum si soporem maximum habent. Quo ad motum redduntur tardi,propter multitudinẽ vaporum, qui per musculos deferuntur,nã motum diminui sciuistis à frigiditate, vel cum materia,vel sine materia,& hæc de animalibus actionibus.

Quo ad operationes vitales hic maxima habetis inditia, & quoniam iam sciuistis, quod operationes vitales,quædam sunt in corde,quædam ab ipso corde. Quantum ad illas quæ fiunt in corde,vos videbitis patiẽtes hanc febrem quotidianam segnes,neq; curare ea agere,quæ essent agenda,propter vapores frigidos,& humidos cor petentes, & etiam ad iram tardiores redduntur propter humoris frigiditatem & humiditatem cordis calorem obtundentem. Quãtum ad operationes vitales quæ sunt in ipso corde isti habent pulsum paruum,tardum,& rarum,& in tanta paruitate erit,vt huic febri non sit comparandus pulsus in paruitate,& hoc signũ est pathognomonicum,huius febris,& tarditas non est ita magna,sed ad quandam frequentiã tendit,si quartanæ cõparetur,minor tamen est velocitas quã tarditas,& horum videndæ sunt rationes. Quãtum ad paruitatem debetis scire,quemadmodum pulsus mutatio præcipue in mutation

tione causæ contentiuæ pulsus consistit,& vbi mutatur pulsus necessario fit mutatio alicuius illorum trium,vel omnium:necessario igitur in quotidiana pulsus est paruus, quia virtus mouens minorata est,tum propter multitudinem vaporum ad cor ascendentium,tum propter frigiditatem, & humiditatem humoris à quibus virtutem diminui contingit,& per consequens pulsum reddi paruum,præterea est paruus,quia instrumenta non obediunt motui duabus de causis,tum quia repleta sunt multa materia contenta in corpore ipsorum,tum quia vt instrumentum dilatetur indiget temperatura inter duritiem,& mollitiem,nam vbi est multum durum dilatari non potest,& etiã vbi nimis arteria est humida languescit,cõcidit in seipsa,& sic moueri non potest,& ideo fit pulsus paruus,& non magnus,præterea etiam pulsus est paruus,quia necessitas euentationis,quæ finis est pulsationis nõ adest, remoto autem fine actionis, causa etiam remouetur,in febre autem quotidiana,cum sint humores frigidi & humidi & crassi replentes corpus,arterias,hepar,corpus frigidum, & humidum reddunt,ideo merito pulsus redditur paruus,cum nulla sit necessitas euentationis adducta:& dicitur pulsus esse paruus in hac febre non absolute,

ſolute,ſed in reſpectu ad alias febres. Quã-tum ad velocitatem attinet proculdubio maiorem quam quartana velocitatem habere deberet,& non æqualitatem cum ipſa, quod autem velocitatem habere deberet, ratio eſt,quia cum dilatari non poſsit quã-tum neceſſe ſit,quoniam virtus aggrauata eſt,& inſtrumentum inobediens,illa parua euentatio expellere non poteſt,ideo deberet eſſe velocior ad quartanam comparatus,& non æqualis in velocitate ipſa,non eſt tan-tum velox,quoniam velocitas requirit fortitudinem virtutis,ad intenſionem motus, vt in breui tempore fiat tranſitus multi ſpacij,hic autem virtus debilis eſt,ideo nõ poteſt fieri velox motus licet indigeamus eo, ſed quoniam euentationis neceſsitas expleri non poteſt,neq; cum magnitudine,neq; cum velocitate ob defectum reliquarum trium cauſarum pulſus contentiuarum,neceſſario requiritur,vt recurratur ad frequẽ-tiam,quæ attenditur penes quietem, ſicut velocitas penes motum,& quia pulſus componitur ex duobus moribus contrariis, & duabus quietibus,ſi quies fuerit longa rarus dicetur motus, ſi breue ſpatium inter motum & motum,dicetur frequens.

Et quoniã explicauimus ſigna feb.quotidianæ,quæ ab operationibus animalibus,

& vit

& vitalibus per methodum ſumuntur:reſtat modo vt de his, quæ ab actionibus naturalibus læſis ſumuntur dicamus, & primum ſignorum fontem expleamus, & ad alios deueniamus, diſcurrendo à natura rei, pituitæ naturã conſiderando, videamus naturales affectus, qui ab humore frigido, humido, craſſo, & viſcoſo, procedere poſſunt, primo apparebit, vbicunq; vos actiones naturales conſiderabitis, circa ipſum appetitum abhominatio cibi, & ratio eſt, quia materia iſta frigida, & humida eſt in ventriculo generata, deinde etiam quia vapores à putredinis loco ad has partes aſcendũt, qui ventriculum laxant, & licet ratione humoris cibum appetere deberent, quia eſt appetitus calidi, & ſicci, non appetunt tamẽ quia ventriculi ſenſus obtunditur, nam non fit fames, niſi adſit triſtis ſenſatio in ore ventriculi, ideo cum obtundatur ſenſus ille ventriculi, deſtruitur fames, parum etiã ſitiunt: quia ſitis nihil aliud eſt quàm appetitus frigidi, & humidi: quid mirum ſi non ſitiunt plurimum nauſeant, & aliquando pituitam euomunt, male cõcoquunt, tum quia adeſt humor frigidus, & humidus obtundens innatum calorem, à quo concoctiones omnes fiunt, tum etiã quia huiuſmodi humor admiſcetur cũ alimẽto, & ideo non poteſt alimen

mentum cũ non sit sincerum confici à calore naturali, præterea male cõtinetur cibus: quia dum relaxatus est ventriculus, nõ amplectitur cibũ, prout oportet, ideo sequuntur rugitus, vt inquit Galenus in secũdo de causis symptomatum: & hæc quo ad tres virtutes naturales, appetitiuam, scilicet, cõcoctiuam, & cõtentiuã, de quarta verò, scilicet de expulsiua dicemus vbi de secundo fonte loquemur: quoniã illa continetur in excrementis mutatis, & sic primũ signorum fontem habetis, qui circa omnes actiones versatur. Quantũ ad secundum fontem, scilicet ad excrementa, quæ egeruntur morbi naturam indicant, primo igitur isti parum egerunt, tum quia plurimũ habent pituitæ in intestinis superioribus, & in inferioribus, quę cum viscida sit, & crassa, vt dicebat Galenus in quarto de tuenda sanitate, vbi de humorum crudorũ curatione loquitur, dicebat ibi, omnis pituita cuiuscunq; generis sit semper viscida est & crassa, ideo cum visciditatem, & crassitiem in intestinis habeat est veluti glutẽ continens feces, nec eas libere exire permittit. Alia est causa quoniam huiusmodi pituita bilis acrimoniam obtundit, quæ ordinata est à natura, vt per porum felleum ad intestina descendat, & irritet virtutem, & sine febre, & in multa

S quan

quantitate,& ratio est quia cum non bene concoquatur cibus in ventriculo,nec contineatur quantum oportet,dimittitur antequam sit bene concoctus,& tunc ab hepate non bene attrahitur,tum quia non est bene confectus,tum quia maxima ex parte venę meseraicæ sunt obstructæ,ideo qui quotidianam patiuntur semper hypochondriorum tensioné habent,cum igitur non contineatur chylus,ad intestina descendit,& cũ fecibus permiscetur,& ita liquida erunt sine fœtore, nisi putredo in ipso ventriculo adueniat,nam tunc liquida erunt & cũ fœtore:quia in intestinis,& ventriculo putruit materia. Quantum ad excrementa,quæ per vrinam fiunt in principio vrinas habent tenues,albas,quoniã humor ille viscidus est & crassus,& propter crassitié,viscíditatemq;, cruditatéq; nõ facile per vrinas excernitur, ideo tenuis apparet in principio vrina cruda,& alba,alba quidem quoniã si quid exit à venis potius pituitosum est quam biliosum,flauescit autem vrina ex huiusmodi biliosо humore:sed quia pituita est illa,quæ putrescit, non autem bilis,ideo à bile non tingitur,igitur alba apparet, tum propter bilis tingentis priuationem, tum propter pituitosi humoris præsentiam, qui albus est,& tenuis est vrina,quia nihil crassi permiscetur

miſcetur cum ea, quia in principio non dum materia eſt concocta,& ad expulſionem parata,nec viæ adhuc ſunt apertæ:in proceſſu autem temporis craſſa fit, quia attenuatur ille humor,& à natura per vias iam apertas expellitur,poteſt tamen etiam in principio apparere craſſa ſi patiens huiuſmodi febrem fuerit puer,vel iuuenis calidæ & ſiccæ temperaturæ, quia iſti cum habeant vias latas, expulſiuam,fortem,& plurimum caloris,poſſunt etiam in principio mingere vrinas craſſas, & expellere humorem peccantem,poſſunt etiam eſſe vrinæ rubeæ,ſed hoc non ſemper ſequi naturam rei videtur, diceret aliquis, cum ipſa pituita, quæ putreſcit,ſit alba,craſſa, frigida, & humida, iſte autem color rubeus prouenit à ſanguine, vel à bile quorum neutrum dominatur,qua ergo methodo erit hoc ſciendum?multa fiunt per accidens,quæ non fiunt per ſe,cur autem procedente tempore appareat vrina rubea,ratio eſt in promptu,quæ ſumpta eſt à natura rei,vbi plurima eſt pituita,multæ fiunt obſtructiones, & meatus etiam fellis obſtruitur, & cum non poſsit bilis ad inteſtina permeare,ad venas regurgitat,& diſtribuitur per eas,& per vrinas excernitur, & cum vim abſtergendi habeat ratione

amaritudinis,& attenuandi ratione acrimoniæ ex se vrinam prouocat,abstergit à parietibus,primum & deducit veluti vehiculum,& stimulat partem pituitæ,& cōmiscetur cum bile,& sic fit vrina crassa propter pituitam multam,rubea propter admistionem bilis.Quātum ad sudorem,paucus,vel nullus apparet in principio sudor,nisi adsit multitudo maxima humoris pituitosi in corpore,vt virtus non posit continere,quia tunc poterunt fieri sudores,in statu autem vbi virtus erit valida,maxime faciet sudores.Quantum ad excretiones per nares,vt plurimum abundant isti pituita,coriza,& mucco propter plurimos vapores ascendentes ad caput,& ista sunt signa,quæ sumuntur à secundo fonte ab excremētis ipsis mutatis, vltimus fons sunt ea accidentia,quæ exterius apparent,& primo color cutis est inspiciendus,& isti habent colorem album, quia vt dicebat Galenus quarto de tuenda san.cutis color talis est, qualis est humor dominans.Quo ad calorem , calor primo videtur segnis ad tactum quoniā permiscetur cum plurimo vapore humido obtundente mordacitetem caloris febrilis, vbi postea permanserit manus,maiorem percipit caliditatē,& talis percipitur calor,qualem perciperetis si manum in aqua feruente pon

te poneretis,& hæc quo ad accidentia,quæ in qualitate apparent. Quantum ad quanti tatem attinet videbitis talia corpora subtumida,vt videantur cacectica,quia plurima pituita continetur inter cutim & carnem,& etiam vapores præterea circa faciẽ & oculos habent quandam tumescentiam ob vaporum multitudinem crassorum, in palpebris contentorum,qui ob soliditatẽm illarum partium difflare nõ possunt:& hæc sunt signa quibus primo intuitu febrẽ quotidianam cognoscere posſitis. Hactenus de febribus simplicibus loquuti sumus, quas exactè cognoscere debetis,quoniã his cognitis facilius compositas cognoscetis,& sic quantum ad cognitionem vniuscuiusque febris simplicis, deuenimus ad extremum quod docere possumus.

His ita visis antequam ad membrũ febrium continuarum deueniamus,nõ derelinquam vos orphanos,tres difficultatesq; ponemus circa has quotidianas febres:prima est,tu dixisti heri,diceret quispiam vestrum,quod istæ febres quotidianæ,cũ magno frigore incipiunt,hoc est contra Galenum,nam licet in hoc libro nihil dicat de frigore,in secundo tamen de febrium differentiis dixit quod febres istę cũ horrore incipiunt:præterea etiam in secundo de crisi-

 bus,in

bus,inquit quod non incipiunt cum horrore,sed cum quadam refrigeratione,ideo ista tua methodus non produxit nos ad scopũ, secunda difficultas est,tu dixisti,dicet ille, quatuor esse species pituitæ,ego non inueni nisi tres apud Galenum,dulcem scilicet acidam,& salsam,illam insipidam nũquàm vidi,tertia est talis,tu dixisti pituitã salsam in principio febrium ab ea pendentium facere rigorem & symptomata similia febribus tertianis,contrarium huius dixit Galenus,in secundo de diffe.feb.vbi dixit quod illa febris quotidiana,quæ cum pituita salsa prouenit,inuadit cũ horrore non autem cum rigore.Quantũ ad primum vbi diximus has febres à pituitę putredine cum frigore incipere rectè diximus, & natura rei hoc indicet,ad Gale.authoritatem quid dicis?quando in secundo de diffe.feb.dicit cũ horrore incipere,non autem cum frigore, oportet vt doceamus quid sit horror.Galenus in eodem secundo de diffe.feb.loquens de febre tertiana declarat quod est frigiditas longe maior refrigeratione,minor verò rigore,ita quod horror est medium inter refrigerationem & rigorem. Refrigeratio autem & rigor posita sunt, tanquam duo extrema, refrigeratio appellata fuit horripilatio,& à nonnullis etiam horror, sed

impropriè cum exquisite loqui nolũt, quia horripilatio, & horror non sunt idem, nam horror idem est quod frigus, horripillatio idem est quod refrigeratio extremorũ, vt primo sit refrigeratio, seu horripilatio, secundo horror, id est, frigiditas, tertio rigor: modo de frigore quid dicendum est apud Galenum? modo frigiditatem ψῦχος appellat, vt secundum ipsum idem sit frigiditas quod ψῦχος: ideo in secundo de differentiis febrium inquit, horrorem exponit quem dicit esse medium inter refrigerationem, & rigorem, vbi intellexit frigus alioqui non esse medium inter refrigerationem & rigorem, nam si quid non esset medium puta frigus, Rigor & Refrigeratio non essent duo extrema, ideo per frigiditatem intellexit horrorem seu frigus quod est medium inter refrigerationem & rigorem: & hoc est quod nos diximus, quod primo est inæqualitas, secundo refrigeratio, vbi magis infrigidatur corpus, frigiditas, seu horror aut frigus, quod idem est subsequitur, quarto verò rigor est, & sic frigiditas est maior refrigeratione minor rigore, quod etiam nos diximus: & sic auctoritas illa Galeni, in secundo de differentiis febrium contra nos adducta, iam soluta est, quia (vt diximus) per horrorem intellexit medium,

(vt exponit ipse,) inter rigorem & refrigerationem, quod nihil est aliud nisi frigus. Quantum ad secũdam auctoritatem ipsius, quæ erat in secundo de crisi dicimus, quod quia alibi appellauerat hanc horripilationẽ seu refrigerationem, horrorem seu frigus, vel frigiditatem, ideo ibi non curauit de nomine, quia ibi nihil docet, & id dixi quoniam pituita, quæ crudior erat in principio in progressu temporis fit magis benigna, & tendit ad naturam sanguinis, & fit dulcis, iam autem diximus quod vbi putrescit pituita dulcis minimum fit de frigore, quoniam vt dicebat Gal. ibidem, pituita dulcis non est frigida, estq; humida, quia dulcedo (vt diximus in lib. de simplicibus medicamentis) fundatur in substãtia calida, & quãto dulciora, tanto magis participãt caloris, & vt ex Galeno habetur in secundo de facultatibus naturalibus, in fine cum pituita dulcis sit proxima naturæ sanguinis, & in quodam sit medio dum fit transitus à cruditate ad perfectam cõcoctionem & dulcedinem, inuadet cum horrrore tunc, seu cum quadam refrigeratione, & vbi magis concoquetur non amplius refrigeratio fiet, sed inæqualitas solum, donec tandem nulla inæqualitas percipiatur, & sic hæc non sunt absona ab his quæ diximus, quia verò pi-

tuita

tuita putrescẽs, cum frigore incipit, & quia dulcis pituita non est vera pituita, cum non sit frigida, & humida, sed calida, quia fundatur sapor dulcis in substantia calida, ideo non facit istam frigiditatem, sed refrigerationem solum, & hæc de secundo dubio. Quantum ad aliam dubitationem in qua quærebatur, cur nos posuimus quatuor esse species pituitæ, cum Galenus in secundo de difer. feb. cap. VI. & in quarto de ratione victus in morbis acutis, vbi de causa febris loquitur, & in fine libri de natura humana, ponat tantum tres esse species pituitæ, nec de pituita insipida meminit, ego sensim incipiam, nullus est qui non experiatur in se ipso dari pituitam, quæ nullius saporis sit, ideo quantum ad experientiam facillimum est tenere, quod pituita insipida detur, quantum ad rationem attinet, necessarium est, vt detur, quoniam quę dulcis est ad sanguinis naturam tendit, & concocta est, salsa putredinem attestatur, acida cruditatem, quia medium inueniri oportet, quod nec dulce, nec acidum sit, & tale est etiam insipida pituita, quod etiam voluit inuenire Gal. in secundo de facultatibus naturalibus, vbi dicebat inueniri pituitam in senibus quæ blena dicitur: & in frigidis hominibus, & frigida ad tactum est, & in secundo de temperamẽ-

tis loquens, de medicinis frigidis, inquit frigidam pituitam in corpore humano reperiri, quæ actu frigida extrahitur, sed tunc diceret aliquis, Galenus in istis locis loquitur de pituita frigida, quæ acida est, non insipida: dico hoc verum non esse, quia expresse Galenus in libro de atra bile, habet hæc verba vnusquisque humor habet saporem dum naturalis est, vt sanguis dulcedinem, dum naturalis est, bilis naturalis amaritudinem habet, melancholia aciditatem, & acerbitatem, pituita insipiditatē vt aqua, quæ est sine vlla qualitate: ex quibus verbis habetis expresse pituitam insipidam dari quæ naturalis est, quæ postea salsa fit, vel acida, vel dulcis, fit salsa cum putrescit, vel tendit ad naturam humorum terrestrium adustorum, fit acida cum accedit frigiditas, & resoluitur calor in substantia ipsius, sicut etiam fit acetū dum resoluitur propria caliditas vini: & hæc omnia clara sunt, & caueatis à distinctionibus Auicennæ in capite de humoribus, quia confuse ad modum loquitur, vt quot diuisiones facit, tot errata committit, & permiscet compositos humores cum simplicibus: quare autem Galenus locis allegatis non fecerit mentionem de pituita insipida facit, quia (vt inquit ipse in primo de facultatibus naturalibus) mos

ipsius

ipsius est, vbi non vult exquisitè loqui, vt nõ vtatur distinctionibus ita exquisitis, sed crassius prętereundo procedat, ideo sub nomine pituitæ dulcis, insipida comprehenditur, sicut dicimus aquam dulcem, non quia dulcis sit, quia est insipida, sed vt secludamus eam à nitrosis, & ita habetis secundum dubium solutum.

Ex tribus quæstionibus propositis duas soluimus, tertia modo est declarãda, in qua nos dicebamus ex putredine salsæ pituitæ febrem incipere cum rigore, & omnia accidẽtia cõsequi, ad illam quæ solent apparere in ipsis tertianis, & nos diximus incipere cũ id Gal. expresse dixerit, in secũdo de differẽtiis febrium, imò diximus qualis est proportio inter febrẽ causatam ex pituita salsa, & eam quę ex bile oritur pura, talis est etiã proportio inter tertianã interpollatã quæ prouenit ex putredine bilis puræ, & inter eam quæ fit ex putredine salsæ pituitæ, scilicet, febrem interpollatã, & quoniã ea quotidiana, quæ ex putredine salsæ pituitæ fit assimilatur ardenti tertianæ, ita etiã hæc interpollata tertianæ assimilatur: satisfaciendo igitur huic dubitationi dicimus verũ esse qd Gal. dixit febr. quotidianã ex salsa pituita ab horrore fieri, sed cũ rigore etiã dixit qm horror mordax admodũ est: ꝑterea scire debetis humorẽ salsum

salsum à duabus causis generari posse, vel ob putredinem, quoniam multa putredo cõtingit in pituita, & partes terrestres aduruntur, vel ob mistionem humoris serosi, cum igitur pituita ista salsa fiat, ita variis quidem modis salsedo in ipsa contingere potest, aliquando enim plus, minúsue salsa fit, secundum quod plus, vel minus, putrescit, & multa vel pauca copia illius serosi humoris, cum ipsa admiscetur, si enim parum de seroso humore & salso plurimum de pituita admisceatur, in tali miscella, quia plurimum de humido, & parum de sicco est aggregatum, calidum & humidum facit dulcem pituitam sicut ea est quæ in Hydrope reperitur, quæ ne minimum quidem mordax est, cuius signum est, quoniam ibi adsunt tres ferè situlæ aquæ, non tamen adest vlcus, nec aliquam facit mordacitatem, sicut pituita salsa adusta, quæ crustas etiam facit, si multum adusta fuerit propter caliditatem, & siccitatem quam habet, vbi ergo putrescit pituita illa salsa in qua plus est de pituita, & parum de humore salso seroso facit febrem, quæ non inuadit cum multo rigore, sed cum horrore solum, & de hac intellexit Gal. in illo secundo de differentiis febrium, at si pituita illa putrescet quæ habet plurimum humoris serosi salsi, parum autem

tem humiditatis tunc (sicut nos diximus) fiet horror & rigor, & sequentur accidentia bilis, sicut apparet ex Hippocrate in quarto de ratione victus in acutis, vbi distinxit illas duas species febris ardentis quarum vna est ex bile putrescente, altera ex pituita salsa, & hæc de difficultatibus factis.

DE SIGNIS FEBRIVM CONtinuarum sine accidentibus.

VT habeatis rem optimè distinctam, distinctionum meminisse oportet, quæ hactenus factæ sunt, ex Galeno in hoc libro, prima fuit febrium in sua maxima communitate: quædam simplices sunt, simplicitate formæ caloris quædam compositæ compositione formæ caloris: simplices forma caloris appellamus, cum calor secundum qualitatem tantum est auctus, & non aliquid extrinsecus aduenerit, vt in putridis febribus, cum humor in toto corpore, vel in aliqua, aut in aliquibus partibus putrescit, putridi vapores ascendunt ad cor, & cum humoribus cordis admiscentur, & cum ignei existant calefiũt, & fere ignescunt humores cordis, & sic fit febris, quæ cõposita dicitur cõpositione caliditatis extrinsecus aduenietis, in hoc genere sunt omnes febres putridæ,

primum

primum huius diuisionis membrum à Galeno hunc in modum diuiditur, calor iste simplex, vel figitur in spiritibus tātum cordis & ephemera dicitur, vel in eius substantia, & hectica simplex nominatur: secunda diuisio secundi principalis membri in hunc modum fit, febrium compositarum, quædam accidentia sunt, quædam per se morbi: subdiuidit febres quæ per se sunt morbi, & inquit, quædā sunt cum accidentibus, quædam sine accidentibus, quædam continuæ, quædam interpollatæ, primum membrum relinquit suo loco tractandum, ibi cum ait (febres autem assiduas) secundum membrum subdiuidit, interpollatorū, quædam inuadunt tertio die, & tertianę appellantur, quædam quarto die, & quartanæ dicuntur, quædam singulo quoq; die, & dicūtur quotidianæ: & de istis Galenus hactenus antequam aggressus sit curationem, tradit signorum notitiam, vt à nobis visum est: restabat aliud febrium compositarum, membrū compositione formæ caloris, quę sunt morbi per se, & sunt continuæ sine accidentibus, vt pertractaremus, & signa per methodum, vt moris nostri est, traderemus: sed quoniā ad intelligētiā dicendorū, in principio præsentis capitis nonnulla sunt necessaria circa pulsuum notitiā, iccirco priusquā signorum

notitiã tradamus, aliqua de pulsibus præuidere necesse est, de quibus exactissime Galenus in libris suis quos habemus pertractauit.

Illud autem quod à nobis perficiendum est, & diligenter adnotandum, hoc est, vt sciamus decem esse genera pulsuũ, ex quibus tria sunt, quæ se tenent ex parte instrumenti, id est arteriæ, septem verò ex parte motionis & pulsationis: sed cur non posuerit Galenus, & pulsuum genera ex parte virtutis, cum sint tres causæ cõtinentes pulsus, nunc omittamus difficultatem istam, quam alias tractabimus: sed supponamus Galenum rectè fecisse, videamus ergo, quæ sunt illæ tres differentiæ, quæ se tenent ex parte instrumenti, prima sumitur ex primarum qualitatum parte, vt cum dicimus pulsum aliquẽ calidum, frigidum, vel tẽperatum, secunda differentia sumitur penes ipsam vacuitatem, & plenitudinem, aliquãdo enim tãgetis pulsum, & videbitur vobis arteria prorsus vacua; aliquãdo ita plena, vt moueri non possit, & tũc pulsus aut plenus, aut vacuus dicetur: tertia differẽtia est quæ sumitur penes duritiem, & mollitiem, & tunc alius pulsus est durus, alius est mollis, vt si cordam, aut rem mollissimam tangeretis, & istæ sunt differentiæ: quæ se tenent

ex

ex parte instrumēti sunt modo septem differentiæ, quæ se tenent ex parte pulsationis quarum prima attenditur penes motum dilatationis, & penes maiorē, vel minorē distantiam, mouetur enim aliquando arteria ad multam, aliquando ad paruam distantiam, quemadmodum contingit in omnibus motibus, & tunc pulsus, vel magnus est, vel paruus, cum mouetur ad paruam distantiam paruus est, potest autem tripliciter ad paruam distantiam moueri, vel secundum longitudinem, vel latitudinem, aut spatij altitudinem, in quo arteria mouetur, & sic pulsus erit paruus, vel secundum longitudinem, vel latitudinem, vel altitudinem, vel secundum omnes dimensiones, cum verò ad multam mouetur distantiam, magnus dicitur esse pulsus, & tunc pulsus erit magnus, vel secundum longitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem, vel secundum omnes dimensiones: secunda differentia attenditur penes mensuram motus, mensuratur autē secundum velocitatē, ita quod habemus has differentias in motu, motuum quidam tardi sunt, quidam veloces, & velox pulsus dicitur qui in pauco tempore multum spatium pertransit, tertia differentia dicitur ex frequentia & raritate, hæc autem, penes ipsas quietes, & motus attenditur,

ditur, ficut velocitas & tarditas, penes ipsum motum, appellamus autẽ pulsum frequentem & rarum, quemadmodum solemus arbores frequentes, & raras appellare, illas frequentes dicimus, inter quas paucũ cædit spacium, raras inter quas multum, ita etiam quando multa cadit quies inter motum, & motum, dicitur rarus, cum pauca dicitur frequens, scitis autem omnes pulsus ex duobus fieri motibus contrariis ex dilatatione quæ dyastole appellatur, & ex contractione, quæ systole vocatur, & inter motus cõtrarios cum fieri non posit, quin intercidat vna quies, necessariũ est cum sint duo motus cõtrarij, quod suos habeant terminos, vt duę quietes intercidãt, vna in dilatationis motu cũ dilatatur, altera cũ redit & contrahitur, penes hos quietis attenditur frequẽtia, & raritas, penes motũ attenditur velocitas & tarditas, quarta differẽtia attenditur penes vehementiã, & remissionẽ, poterit enim motus ad magnam dilatari distantiã, & velociter fieri, & similiter poterit esse frequẽs, sed non vehemẽs, & ficut magnitudo penes distantiã attẽditur, & ficut cũ prę mitur aliquid, & resistit, fertis dicitur, cũ verò facilè præmitur, & facilè cædit dicitur debilis, sic etiam penes maiorem resistentiã attẽditur vehementia, & pulsationis robur,

T igitur

igitur cum tangitis pulsum,& præmendo, percipitis quid, quod resistit, & expellit digitum pulsus tunc pulsum vehemētem esse dicetis: sed cum facillimè præmitur, & non resistit: sed cædit, & quandoque ita cædit ut non percipiatur tunc pulsum debilem esse dicetis. Hic notandum est vnum circa vehementiam: nam aduertere debetis, ne quandoque durities instrumēti imponat vobis, & quandoque credatis: quod vbi adsit durities: ibi adsit vehementia cum tamen maxima sit differentia inter duritiē & mollitiē, hic inuicem conueniant: cognoscuntur autē ambæ ex resistētia: quoniam in pulsu duro, dum arteriam tangitis, manifestam corporis duritiē percipitis sine aliqua resistentia, in vehemēti percipitis quid, quod maximè impetuose cō tra vos mouetur, ita quod differētia, quæ est in duritie penes motum attenditur: quæ verò est in vehementia penes resistentiā, si enim vehemēs erit pulsus præmendo resistet, & contra manum mouebitur: si dimiserit cædet, & quiescit: remanent tres aliæ differentiæ, & sunt æqualitas, vel inæqualitas, ordo & priuatio ordinis, consonātia & priuatio cōsonantiæ, quæ omnes differentiæ penes mēsuras, & relationes motus attendūtur, vos scitis motum æqualem appellari ab Aristotele, qui vniformis &

regul

regularis est, & qui ab eo primo principio motus vsque ad vltimũ finem semper quandam vniformitatẽ seruat, ita quod cum est in principio, est velox, in medio tardus, in fine rursus velox, vbi verò nõ seruatur vniformitas ista, sed variatur, inęqualitas dicitur, & ita cõstat quod æqualitas, & inęqualitas penes vniformitatem & difformitatem motus attẽditur: vbi igitur vniformitas erit in pulsationis motu pulsus ille ęqualis dicetur, vbi verò difformes erunt pulsationes inęqualis appellabitur, & illa est differentia in numero illarum septem: quinta quæ attenditur penes æqualitatem & motionum inæqualitatem, sexta differentia penes motionum ordinem attenditur quãdo, scilicet seruatur ordo in pulsationibus, & quod in prima, id in secũda esse videtur: & quod in secunda est idem sit in tertia, tunc ordinatus dicetur, cũ talis nõ seruatur ordo inordinatus dicetur: hic aduertendũ est quod vbicunque pulsationis est inæqualitas, puta quod vna pulsatio cum velocitatẽ incipiat, in medio tarda sit, in fine rursus velox, talis pulsus poterit esse inęqualis, dummodo hanc eandem inæqualitatẽ à principio vsque ad finem seruet, quod si à principio vsque ad finem eandem inæqualitatem non seruet, dicetur inæqualis in ordinatus,

si fuerit pulsus inæqualis ordinatus minus malum erit, quod si cum inæqualitate priuatio ordinis addatur, pessimus erit pulsus, & ratio huius est, quoniã natura agit semper quantum potest æqualiter, & ordinate, & nihil magis naturæ proprium est, quam æqualitas, & ordinatio: quoniam natura forma est, quæ quantomagis vincit materiam, & à conditionibus materiæ seiuncta est, tantomagis æqualis, & ordinata est, vbi ergo inæqualitas & priuatio ordinis sequitur, causa est materiæ multitudo, quæ vincit formam, ideo in corporibus cœlestibus æqualitas & ordo est, quia materia obedit formæ: in inferioribus autem inæqualitates, & ordinis priuationes fiunt: quoniam materia non obedit formæ, ideo quantomagis aliquod est ordinatũ, & temperatum tantomagis ordinate agit, quoniam temperaturam habet æqualem, ideo quantomagis membrum est ęquale in temperatura, tantomagis ordinatiores sunt eius actiones, & quantomagis imbibitum est, & immersum conditionibus materiæ, tantomagis inæquales, & inordinatæ sunt eius actiones, cum ergo æqualitas priuatur, & quid præter naturam impediens sit, si postea addatur priuatio ordinis tunc affectus est in omnibus malus: quoniã duo illa sunt

naturæ

naturæ admodum infesta, ordo igitur penes comparationem illarum vniformitatū, & diformitatum attenditur, cum inæqualitates inuicem correspondent, dicitur pulsus inæqualis ordinatus, cum non correspondent dicitur inæqualis ordinatus.

Vltima differentia etiam est videnda quæ est rithmus, siue consonantia & proportio in motibus, & destructio consonantiæ & proportionis: circa hanc ergo versabimur, hæc autem consideratur penes proportionem in motibus, & aliud est ordinem considerare, & aliud proportionem, ordo in his consideratur, quæ æqualitatem non habent, proportio nequaquam, consonantia penes dyastolem sumitur, & systolem, quæ duo sunt oppositi motus, igitur tūc pulsus proportionatus esse dicitur quādo dyastole correspondet systole, ita quod tanta sit dyastole, quanta systole, & nihil prorsus differant, & quod aliud sit proportio, & ordo, ostendo, ordo est, vt seruetur situs, vt quod oculus sit in suo situ, nasus in suo, & os similiter, proportio autem est vbi singulæ partes sibi inuicem correspondent, secundum quantitatem, secundum naturam & figuram, & ferunt formositatem quandam, ex huiusmodi proportione resultat quædam consonantia, & rithmus, vnde

ſequitur pulchritudo in iſta dilatatione, & conſtrictione, & quædam conſonantia, & proportio, vt quanta ſit dilatatio, tanta ſit conſtrictio, & vbi in pulſibus iſta erit proportio, & conſonantia, corpus illud erit ſanum exquiſite: quoniam tanta eſt indigentia dilatationis, quanta conſtrictionis, id eſt expulſionis excrementorum, quæ ſunt in ſpiritibus, & in calore innato: quoniam fuliginoſi vapores excernũtur per huiuſmodi cõtractionem arteriæ & cordis, ſicut per dilatationem attrahitur aër frigidus propter caloris innati euentationem, & vt ſpiritus foueatur & nutriatur, vt in libro de vſu partium docet Galenus, & ita dum proportionantur inuicem iſtæ duæ actiones, & ita bene in temperatura, & humoribus æquale ſit corpus, vt præciſe quanta indigeat excrementorum expreſsione, tanta indigeat caloris innati euentatione, tunc in his oppoſitis motibus, quædam efficitur armonia, & pulſus armonicus dicitur, ſicut in muſica dicitur conſonantia: quoniam ſibi inuicem omnia correſpondent: ex æqualitate igitur & ordine iſtorum motuum ſumitur rithmus & harmonica quædã proportio ſicut in cœleſtibus motibus videtur: hæc autem harmonia, quæ rithmus dicitur ſi deſtruitur arithmus appellatur. Cauſa autem

mutat

mutationis huius proportionis, & cõsonantiæ est, quotiescũq; euentationis necessitas mutatur, vt maior sit necessitas in euentatione caloris innati, quam in expulsione vaporum fuliginosorum, sicut in ardoribus maximis, & in ardentissimis febribus contingit maximè circa statum, & in hecticis etiam; quia in illis calor secundum formæ simplicitatem actus est non secundum compositionem materiæ, ideo maxima indiget euentatione, vbi verò maior est necessitas expulsionis vaporis fuliginosi mutatur pulsus, & tunc maior est dilatatio, quam contractio, & tunc nõ seruatur debita cõsonantia, & rithmus. His iactis fundamentis, quæ à Galeno in quarto de differentiis pulsuum dicuntur, & diffusius in decimo quarto de digno pulsuum, & in decimo quarto de causis pulsum, & in aliis locis.

Modo ad dicta Gal. accedamus, vult ergo Gal. tradere signa quomodo cognoscere possimus febres continuas, & breuem & latentem facit diuisionem, & inquit febriũ continuarum, quædam sunt magnæ, quædam paruæ; magnæ dicuntur quæ habent causas magnas: quæ paruas habent, paruæ appellantur, quædam longæ, quædam breues esse dicuntur, & ista est diuisio febrium continuarum, sine accidentibus: nunc vide-

tis artem & mirabilem Gal.breuitatem lon gè enim aliter febres cognoscere docet, quàm hactenus interpollatas cognoscere docuerit, has enim docuit propriis acciden tibus quæ cum suis annexis solent contingere, & nos per signorum fontes diuisimus, & per annexa fontibus, vt regionem considerando in qua ægrotat,ætatem & reliqua, præterea temperaturam propriam quę ma ximè ad interpollatarum febrium cognitionem conducunt, in his continuis nihil dicit quædam tamen innuit summa quidem breuitate, Galenus ergo non processit sicut fecit in aliis capitibus, ea fuit ratio quoniã summo philosopho scribebat, ideo quicquid potest ab ipso elici, tacet, igitur scire debetis sicut Gal. in secũdo de crisi, ter tio cap.declarauit vbi differẽtiam inter febres continuas,& interpollatas posuit,& in primo & in secundo de diff.feb.dixit febres interpoltas à continuis non differre inter se,quo ad causas, & ideo qui bene interpollatas cognoscit,& cõtinuas cognoscet,quia omnes tam continuæ,quam interpollatæ,à pituitæ,vel bilis,vel melancholiæ putredine fiunt, ideo nec genere, nec subiecto terminante diuersificantur, quæ est ratio formalis diuersitatem febris faciens, idcirco quando quęsiuimus an sanguis putrescat,&

aliam

aliam febrem ab aliis iam dictis putridis distinctam faciat, diximus ob hanc causam non differre, nec nouam ideam, nec nouum genus facere diximus, cũ sanguis, vel ichor putrescit, id est subtilior pars eius, tunc illa putredo fit simillima putredini bilis, quia tenuior pars eius ad bilis naturam in tali transitu vergit, cum verò crassior pars sanguinis putręscit, putredo illa est similis putredini quę oritur in melancholia, ideo non fit diuersa febris species, nec essentia, & ita tantum sunt tria febrium genera, secũdum tria subiecta, vel ergo putrescit bilis, & de colericarũ genere fit febris siue continua, siue interpollata sit, & semper ad nostros fontes, & ad rei naturam recurretis, quia quicquid de interpollatis idẽ de cõtinuis dicendum, vt Galenus in quartò de germine acutorum ait, si tertiana continua esset, causus esset, & si quæ ab humore melãcholico pendet, quæ & ipsa caret nomine, si esset interpollata, quartana esset, sed diceret qs, quæ differentia est inter ipsas? dico, quod differunt secundũ motum, & secundũ situm, quæ sunt differentiæ accidentales, quæ tamen in curationibus differentias maximas faciũt à motu igitur sumuntur, cũ scilicet mouetur humor & expellitur, si quidẽ expelletur ab intimis venarum partibus, hoc est, vel quia

virtus robusta est, aut materia pauca, aut est subtilis, si verò virtus fuerit debilis, vel materia multa, aut crassa, natura nõ potest eam expellere extra venas, si ab intra illa materia ad extra excreta fuisset tertianã febrẽ fecisset, sed cum intra venas permanet, febrem facit ardentem, quæ maxima est, & vix curatur vel interficit, in septima & raro ad decimumquartum protenditur, at non in robustis hominibus, quoniam vbi putrescit bilis in venis sæuissima facit accidentia, & hæc est differentia, quæ est inter tertianam, quę inuadit tertio quoque die & ea quæ continua est, quoniam in tertiana materia extra venas expellitur, in continua putrescit bilis intra venas, & ibi remanet, & hoc facit differentiam, & quod diximus de istis, de aliis quoque dictum sit febribus, & quoniam tria sunt, intemperaturarũ genera, tot etiam sunt continuarum genera, cũ enim pituita putrescit in venis, & extra expelli non potest fit continua cuius nomẽ inde nascitur, scilicet febris continua ex putredine pituitæ, & hæc febris à quotidiana differt ratione loci putredinis, continua locum putredinis habet in venis, quotidiana extra venas, eadẽ etiam est differentia inter quartanã, & continuã à melãcholico humore putrescente, quoniã vbi pars crassior sanguinis,

guinis, vel melancholia extra venas expellitur fit quartana, vbi verò putrescit intra venas & ob debilitatem virtutis, vel materiæ multitudinem, vel crassitiem extra expelli non potest, fit febris continua sine nomine, sed expellatur continua ex putredine melancholiæ, sed quæ febris est illa quæ synochos appellatur, quæ quidem est ex genere ardentiũ, vt Gal. inquit in secundo de dif. feb. & in secũdo de crisi? febris ista quæ synochos dicitur licet nõ sit prorsus eadem cum ardente, est tamen ei similis, sed nunquid in diuersis generibus sint collocandæ? si quis percunctaretur à me, dicerem nequaquam, ideo solum ipsæ differunt, quoniam ardens febris fit à putredine veræ bilis, quæ veram habet eius formam, sed febris synochos quæ & ipsa acuta est, non fit à putredine bilis propriè, & verè, sed à tenuiori parte sanguinis, quia vbi tenuior pars sanguinis putrescit ad bilis naturam vergit, & facit accidentia bilis similis, sed calor qui est in synocho, tanto benignior est, quãto pars illa sanguinis subtilior & benignior pura bile, ideo differentia quæ est inter tenuiorem partem sanguinis & bilem, eadem est inter synocham & ardentem febrem, igitur specie & non genere differunt, quoniam tantum tria sunt genera febrium, tam

contin

continuarũ, quam interpollatarum, sed quę continuæ sunt habent humorem putrescentem tantum in venis, quæ verò interpollatæ eundem humorem putrescentem habẽt, sed extra, ideo Galen. eadem signa repetere noluit, sed alia ponit quæ accidere solent, ideo dixit, FEBRES AVTEM ASSIDVAS, EX EO MAXIME COGNOSCES, QVOD NVLLVM EX HIS HABENT, QVAE INESSE IN TERMITENTIBVS DOCVIMVS, illa signa, quæ docuit in interpollatis esse debere, quod non sint in continuis, modo docet Galen. sed nos videamus quæ sunt ista signa distinguentia continuas ab interpollatis, vbicunq; videbitis (dicit Galenus) febrẽ aliquam in qua nõ sint frigora, quæ necessario in intermittentibus esse deberent eam continuam esse febrem dicetis, quoniam vbicunq; aliqua necessario sequũtur causas si illa remoueantur necessario etiam remouebitis causas: si ergo remoueantur signa pathognomonica à febribus interpollatis, nõ erunt interpollatæ amplius, sed omnes erunt putridæ. febres enim, vel sunt interpollatæ, vel continuæ, sed cum non sint interpollatæ, ergo erunt continuæ, signa autem quæ interpollatas sequuntur sunt hæc, quia cum rigore inuadunt, vel cum inęqualitate, vel cum refrige

frigeratione,ideſt cum horripilatione,tertio cum frigiditate,quarto cum rigore,nec poteſt eſſe febris interpollata quę non incipiat cum altero iſtorum:præterea in 24.horis manifeſtam faciunt declinationem,& ſi viginti quatuor horas tranſibunt,nec manifeſta declinatio appareat ſunt continuæ, vel erunt,vbi ergo non adſit inæqualitas, nec refrigeratio nec frigus,ſeu horror,neq; etiam rigor,quæ in principio febrium interpollatarum eſſe debent,& vbi accedit quod ad vigeſimamquartam horam nulla apparet declinatio,tunc febrem continuam eſſe dices,& hæc omnia ceſſant in cõtinuis, quia humores putreſcunt intra venas,in interpollatis autem apparent propter motus materiæ, quæ expellitur ab interioribus partibus venarum ad exteriores,cum ſenſibilia membra tanguntur,& cũ iſte motus in cõtinuis feb.remoueatur remouẽtur etiam omnia quæ ſequuntur ipſum motũ,cũ enim putreſcit materia intra venas, non tangit ipſos muſculos,& per conſequens ceſſant ſemper omnes illæ mutationes,& ob hanc cauſam clamat Galen.continuarum febriũ proprium eſſe,non horrere,& ideo videtis, quomodo Gale. à natura rei hæc ſigna ſumpſerit,circa initia febrium continuarum,ſi verò circa finem eſtis,& iam habuiſtis inditia,

ditia, quod ſine rigore & frigore feb. inuaſit, expectabitis vſq; ad veſperas, vt vigintiquatuor horę pertranſeant, ſi perſeueret adhuc, & non declinet continua erit: continua enim non eſſe non poterit, quoniam quotidiana nõ pertranſit vigintiquatuor horas, & ſi pertranſeat, continua eſſet, & ita duo ſunt quæ feb. continuam indicant, primum eſt quod ſine inæqualitate incipit, ſine refrigeratione, ſine frigore, & ſine rigore, ſecundum eſt quod nullã facit declinationem in vigintiquatuor horis. QVAE SI INAEQVALE HABVERIT INCREMENTVM, PRAETER ALIAS NOTAS, MAIOREM TEMPORIS DIVTVRNITATEM PRONVNTIANT &c. hic Gale. occultiſsime diuiſionem facere intendit, quod ſcilicet quædam ex his feb. continuis, ſunt longæ, quædam breues, ideo inquit, ſi inæquale habuerint incrementũ, in longum tẽpus protrahentur, quibus verbis diſtinguit continuas, quæ ab humore craſſo dependẽt, ab his quæ à tenui humore, ſicut etiam interpollatæ diſtinguntur, nã quę à tenui humore dependent breues ad modũ ſunt, quia tenuis & paucus eſt humor, vt tertiana; quotidianæ verò ſunt longiores, quia craſſus humor eſt, & frigidus, continuæ etiã quoniam idẽ habent genus, hoc pacto diſtinguunt

stinguntur,& hoc voluit dicere Galen.quod quædam continuæ à bile,quædam à pituita dependẽt,dixit incrementũ,id est vt in quotidiana,diximus corpus incalescere incipit, postea refrigescit,non aliter quam si ignem in ligno viridi poneretis,nam modo flammam emittit,modo suffocatur ab humiditate multa,postea in alia accenditur parte, ita accidit cum humor crassus putrefit,calor non est æqualiter in ipso quia æqualiter à calore dominari nõ potest,quia diximus inæqualitatem fieri,cum forma non potest vincere materiã: cum igitur inobedientia sit in materia ista putrescente, ideo dixit Gal.si inæquale incrementum,idest,vt nũc videatur habere magnum calorem,& post modicum tẽpus habere minorẽ,post maiorem,signũ est materiã vinci non posse,nec æqualiter à calore dominari, ideo propter alias notas maiorem indicãt temporis longitudinem, (ATQVE ADEO SI PROPRIVM ET EVIDENS IN PVLSIBVS SIGNVM OBTINEANT &c.)vult hoc docere,proprium omne omnium putridarum febrium vt euidens habeant in pulsibus signum,idest inæqualitatem,quoniam vt inquit Gale.secundo de differentiis febrium inæqualitas in pulsu signũ est inseparabile à febribus putridis,signum euidens

dens febrium dixit,& tacuit putridarũ propter breuitatem, dixit euidens, quoniam in febre à bile, in tertiana inæqualitas quædã adest, sed vix percipitur, quoniam humor tenuis est, sed pituita quoniam viscida est, & crassa, euidens inæqualitas ab huiusmodi dependens apparet. AT SI NEQVE ORDINEM, NEQVE AEQVALITATEM, NEQVE NVMERVM SERVET, AVGMENTVM ERIT &c. hactenus de prima diuisione loquutus est Galenus, & licet omisisse videatur secundum membrũ, & de continuis quæ breues sunt non esse loquutus, tamen cum dixerit de longis, breuitati studens, & breues intelligere voluit, quę optime cognoscuntur ex cognitione sui oppositi, certum enim est, quod vnum oppositum cognoscitur per reliquum, breues quidem ab humore tenui facile resolubili dependent, vult modo in hac parte aliã ostendere diuisionem, quod quædam magnæ, quædam paruæ, & inquit. SI MODO IN HVIVSMODI CONTINVIS NON VIDEBITIS IN PVLSV, &c. id est, si inęqualitas in pulsu est vt superius diximus, id est virtus aggrauatur malum est, si postea ordinem non seruat, pessime res se habet, si postmodum etiam consonantia tollitur, & proportio signum est, quod materia superat nat

rat naturam, & hoc est quod Galen.dicebat,quæ omnia arguunt non solum febres continuas esse,sed interpollatas & magnas, quoniam intermittentes declinant,quod signum est victoriæ naturæ cõtra materiam, sed vbi hæc adsunt,febres continuæ & magnæ sunt, QVOD SI TALES PERMANEANT IN TERTIA DIE ACCESSIO MAIOR, ALIAQVE EXCREMENTA ET VRINAE OMNINO CRVDAE APPAREANT, NON POSSVNT HVIVSMODI FEBRES IN SEPTIMA INDICARI, &c.vult enim in hac parte,vt longitudinẽ cognoscatis, & breuitatem,& affert documentum optimum,& inquit,si igitur ad quatuor ad summum dies nõ apparuerit signum concoctionis materiæ,non erit expectanda crisis in septima,hæc habẽtis à Galen.in primo & secundo de diebus decretoriis, & primo de crisibus, secundo Aphorismorũ,dixit aut in tertia,vel quarta quoniam si dies critici sunt,& modo in diebus paribus,modo in imparibus ægritudo mouetur,dixit igitur in tertia propter febres,quæ exacerbantur in die impari,dixit in quarta propter febres,quæ exacerbantur & inuadunt in die pari,non iudicantur igitur in septima,quoniam quæ terminantur,iudicantur in tertia, vel in quarta.

SI VERO DIES QVARTVS TERTIO SIMILIS VIDEATVR, &c. vult Galen. ostendere febres, quæ manifestæ & occultæ sunt, quæ in decimaquarta die terminātur, & inquit si in die quarta nulla erit mutatio in vrina, neq; in excrementis alui, sicut etiā in die tertia & cum hæc febris veluti subliquida sit, nec magnum habeat calorem, sed sit sicut palea infusa in aqua quæ suffumigat, & non ardet, si inquam talis erit febris, & in facie nullam videatis habere ægrum mutationem, neq; in tota corporis habitudine, lōga erit febris hęc, & in decimoquarto non terminabitur, quoniam Hippoc. dicebat secundo Apho. Aphorismo vigesimo octauo, febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil imminui, vel plusquam expostulat tabescere, malum, illa enim morbi longitudinem, hæc verò imbecillitatem significant: & Galenus ibi in commēto inquit manere corpus, & nō imminui morbi longitudinem significat propter humoris crassitiem, & cutis densitatē, nec non virtutis imbecillitatem.

Credo vos meminisse nos à principio docuisse quemadmodum Gale. in hoc libro duas seruat methodos alteram diuisiuā, alteram resolutiuam, quibus alternatim vtitur, secundum quod magis expedire videatur, & in

& in tradēda cognitione febrium, hactenus diuisiua methodo processit, & hæc sua erit diuisio febrium in sua communitate, quædam simplices simplicitate formæ caloris, quædam composità: & aliam postea faciebat diuisionem, quia vel calor iste est in aliqua corporis parte propter materiæ putredinem in ea existentem, vt in cauitatibus & abscessibus, vel propter obstructionem, vel inflammationem accedentē, vel ab humoribus in corde putrefactis, & sic febres cum accidentibus causant inter quas pestilenter connumerantur, & istarum quædam continuæ, quædam interpollatę, cōtinuæ, vt cum humores in magnis venis putrescunt, vel in illis quæ ab axillis infra sunt, interpollatæ fiunt, cum humores extra venas putrescunt, & hoc subdiuidit membrum in suas species indiuiduas, & ibi acquieuit posuitq; Galen. tres interpollatarum febrium species, vt supra vidimus, hac facta diuisiua methodo, oportuit vt perfectam traderet notitiam, & cognitionem, & signa traderet per quæ singulas istas species cognoscere-mus, propterea caput illud aggressus est, in quo signa omnia illarum trium recensuit, & in progressu illorum signorum non vsus est methodo diuisiua, sed mutauit eā, & ad resolutiuam accessit methodum, & ad

 finem,

finem,ac ſcopum direxit,& cognita rei natura affectus omnes conſiderauit,& comparando illos inter ſe & in ſuas cauſas reſoluendo tradidit nobis artem qua occultam febrem cognoſcere poſsimus ex ſuis cauſis per huiuſmodi effectus,& oſtendimus methodum ex qua hæc omnia haberi poſsint, videlicet tres illos fontes ex quibus ſumerentur,vbi verò egit hanc ſecundam partẽ, acceſsit ad id cuius gratia,quæcunque ſuperius dicta ſunt,fuerunt tradita,& non aliã ob cauſam febres & ſigna conſiderauit,niſi vt recte doceret curandi rationem,iam igitur omnibus recte conſideratis,conſequens erat,vt ad febrium curationem accederet, & ideo inquit, DEINCEPS VERO SINGVLORVM CVRATIO TRADETVR &c.in qua parte(vt oſtẽdimus)vt curet huiuſmodi febres,ſcopus ſuus talis eſt,primo vniuerſalem methodũ tradere incipit,qua febres omnes,curare poſsitis,qua propoſita & declarata ad curationem ipſam particularem accedit,& quæ in ea vniuerſali methodo fundatur,& hic diligenter attendite, vt his paucis exemplis diſcatis quomodo vniuerſalis methodus particularibus applicanda ſit,vniuerſalis igitur methodus à Galeno propoſita talis eſt : proponit tres fontes in quacunq; curatione, non modo febrium,

brium,ſed quarumcunq; ægritudinum neceſſarios,qui veri ſunt indicationum fontes,& ſine quibus recta curandi ratio haberi non poteſt, quoniam indicatio eſt anima dogmaticæ curationis, primus igitur fons eſt exquiſita cognitio naturæ morbi,oportet enim ſi indicationes curandi habere vultis,vt morbi naturam cognoſcatis, ſecundus fons eſt exquiſita naturæ corporis cognitio,in quo eſt morbus,tertius fons eſt cognitio naturæ aeris qui locum ambit in quo degit æger,hæc tria niſi exacte cognoſcatis nunquam curationes elicietis,de quibus Galen. copioſe nono therap. decimoquarto,quod autẽ ita ſit,videlicet quod iſti tres fontes ſint cognoſcendi,natura rei indicat,ita quod methodo poteritis hanc methodum aſſequi. Certum eſt enim quod id circa quod medicus verſatur, & finis veri medici,qui artem nõ adulterat,ſanitas eſt, quæ in quodã affectu humani corporis cõſiſtit,igitur medicus circa huiuſmodi affectum verſatur,affectus autẽ iſte vel naturalis eſt,vel præter naturã: ſi naturalis tũc eius naturales diſpoſitiones cõſiderandæ,ſecluſa tota ægritudinis cõſideratione,ſi præter naturam tũc eius diſpoſitiones conſiderandæ, quæ præter naturã ſunt,& huiuſmodi affectus ægritudines ſunt,& ita duo fontes ſunt

orti ab ipsa rei natura, primus naturalis dispositionis ægri consideratio, secludendo morbi considerationem, secundus consideratio affectus præter naturam qui morbus est, affectus naturalis conseruationem indicat, affectus præter naturam ablationem, sed quoniam ista rei cognitio, circa quam versamur confusa est, iure etiam optimo nescitur indicatio, quid agendum cognitioni proportionatæ, ac prout magis vel minus distincta erit cogitatio, tanto etiam magis vel minus distinctę erunt indicationes, ideo is solus sciet exquisitè curare, qui veram habebit diuidendi methodũ: secundus fons est vt rectam cognitionem naturæ ægri habeatis, quia confusa in hoc nascetur indicatio, vbi iste fons confusus erit: tertius fons est aër, nam quantum faciat aëris mutatio ex his ostenditur, quod ex eo in eadem die fiunt mutationes in corpore, & aër est sanitatis auctor, & morbi, & aliquando prohibet, nos operari posse, & ita maximè necessaria est aëris cognitio, à quo tanquam à tertio fonte indicationes sumuntur, vbi igitur hos habetis fontes veluti loca in intellectũ fixa singula postea diuidetis facillimè, & ad singula quæque particularia accedetis, iam igitur de singulis pertractemus, tres sunt igitur fontes &c. Duo ex illis sunt qui diuidun

diuiduntur, nec aliter diuidi possunt, nisi per causas efficientes sciuistis per diuisiuam methodum Galenum suas diuisiones facere per omnes causas formales, scilicet efficientes, & materiales, etiam tertius fons per formales diuiditur causas, Duo illi fontes qui per omnes causas diuidunt sunt natura ægri, & aër ipse, morbus autem per rationes & causas formales tantum diuiditur: iam igitur exerceamus nos in his tribus fontibus, & primo naturam ægri per suas causas efficientes diuidamus, quoniam in sua vniuersalitate accepta confusa est, hæc autem sunt symptomata habitus corporis, mores, consuetudo, ars &c. nam ista varias naturas efficiunt in humano corpore, ex variis temperaturis variæ naturæ sunt, magis & minus aptæ ad agendum, & patiendum vt optimè declarat Gale. in tribus libris de temperamentis, vbi ostendit quod temperaturæ naturas immutant, & mores sequuntur temperaturam corporis præter naturam pro varia compositione actiones, vt passiones membrorum, deteriores fiunt, ita quoque ex vario habitu & gracilitate, & ex variis formis meliores, & deteriores resultant actiones: præterea mores ad alterandas naturas plurimum faciunt, quia sicut temperaturæ mores efficiunt, ita

mores temperaturas variant, imò bonæ, & laudabiles temperaturæ, ex malis moribus variantur, & multæ malæ temperaturæ, ex bonis moribus redditæ sunt laudabiles, Ars etiam multum pollet ita vt fullones humidiores reddantur, fabri ferrarij ficciores, consuetudines etiam summopere faciunt, ex variis enim consuetudinibus variæ resultant temperaturæ, vt patet ex puella illa assueta napellum comedere, vt recitat Auerrhois. Nec elleborus coturnicibus, sturnis cicuta est cibus, & nobis venenum, nisi ob diuersitatem temperaturarum, ex diuturna igitur consuetudine omnia ista temperaturas maximè immutant, ætas & quantum immutet & temperaturas variet omnibus in confesso est, quæ omnia à vobis rectè cõsideranda sunt, si optimè naturã rei cognoscere vultis, & non solùm in toto corpore, sed etiã in singulis partibus corporis & hoc modo distinguetis omnes humani corporis naturas, aëris etiam natura per suas efficientes causas hoc modo distinguetur, vel enim regio, vel tempus anni, vel constitutio faciunt aëris mutationem: vbi constitutio aliqua nubilosa est ex ea confestim redigitur aër in humiditatem superfluam, si fuerit ventosa pro ratione & natura flatus, vel australis, vel borealis aër alteratur. Quantum

tum

rum etiam regio faciat in alterandis aëris dispositionibus id planè scietis si schythiam regionem,& quæcunq; circa septentrionem sunt,considerabitis,& quæ circa Aegyptum videbitis quam sint varij homines, tempus etiam anni quantum faciat videatis,quæ sit differentia inter æstatem & Hyemem,& reliqua tempora,vbi hæc omnia considerabitis, & non solùm aërem in suo vniuersali conceptu, sed vsq; ad vltimam speciem per huiusmodi diuisionem, quicquid de aëris natura haberi potest habebitis. Natura verò morbi non distinguitur per causas efficientes,sed per rationes formales, sicut fecit Gal.& reliqui:ita enim faciunt cum volunt morbi naturam distinguere, primo genus distingunt,& inquiunt,morborum quidam sunt in temperatura, quidã in cõpositione, quidã in solutione cõtinui, si in temperatura,genus in species diuidunt,& dicunt, quidam sunt per affluxum materiæ, quidã sine affluxu materiæ,& sunt vel calidi, vel frigidi, vel humidi,vel sicci, tantum qui sunt sine affluxu,vel simplices,vel compositi, vel scilicet frigidi & humidi,vel frigidi & sicci,vel calidi & humidi, vel calidi & sicci, iterum diuidunt sic, quidam sunt velocis motus, quidam tardi, quidam sunt bonorum morum, quidam maligni, & istæ sunt diuisio-

nes per rationes formales, de quibus Gal. in nono therap. & forte non satis explicitè eas declarauit, dum vniuersalem methodum tradidit, in curandis febribus interpollatis. hos tres fontes proponit, sed breuiter & strictissimè admodum, nisi diligenter aduertatis à vestris manibus effugiet tota ars huius libri, in quo in virtute omnia quæ sunt in arte continentur, & primo incipit à natura morbi & ab ipso indicationes sumit, postea à natura ægri, postremo aliquid addit ab aëris natura incipit autem à natura morbi & rectè quoniam indicat quid agendum, quia hoc proponi debet reliquis accidétibus, quæ sunt quando, quantum, vbi, quomodo. à natura ergo morbi tãquã à primo fonte docet quod sint indicationes sumendæ, natura autem huius morbi penes differentiam generis, vel specierum cõsideratur, vel penes formarum gradus & proprietates consequentes essentiam morbi, dixi penes gradus formarum, quoniam forma morbi suscipit magis & minus, tertio penes quantitatem morbi, quarto penes tẽpora, quinto penes motus prout velocior, vel tardior est, sexto penes mores bonos, vel malos, & sic pro huiusmodi sex differentiarũ & formarum gradibus, & de proprietatibus essentialibus morbi essentiam consequentibus

bus pertractabitur, & suo loco ostendam etiam quomodo penes tempora indicationes sumuntur & reliqua omnia pertractabuntur nullo prorsus obmisso, ordo autem progrediendi Gal. talis, est primo à temporibus incipit, à morbo, à moribus, secundo ad formarũ gradus accedit: vltimo ad quãtitatem; sed quare hunc seruat ordinem si quis percũctaretur: Dicerem ideo hunc ordinem seruasse, quoniam si quis rectè mederi velit, cognita natura ægritudinis, primo vti præuisione debet seu pronosticatione, quia semper culpa carebit, vbi dicet ægritudo ista salutaris, vt mortalis est: secundo rectam victus rationes instituere debet & hæc duo agenda sunt à medico antequam ad indicationes accedat, ideo Galenus ea loca præposuit vt possit rectè vti præuisione, & recta ratione ductus postea proposuit loca vnde quid agendum sumatur; tempora igitur proponit, modus, & ægritudinis mores, vbi enim cognoscit medicus tempus vtrum, scilicet hoc, scilicet principium vel augmentum & reliqua scit an morbus futurus sit longus, vel breuis, & ita à temporibus artem præuidendi habebit, & victum instituendi: præterea circa motus vbi præuidebit præcipitem esse motum & à mane ad vesperas notabiles mutationes fieri

ri dicet nunc cito terminabitur, vt ad mortem; vel ad sanitatem: & tunc rationem victus habebit longe diuersam, nam status longinquus erit in tardo motu, ideo victus esset vberior, in præcipiti autem motu quia status esset breuis, ratio victus erit subtilianda & maximè in ipso statu, & sic ex his optimè scietis an parum vel multum sit exhibendum, mores præterea plurimum ad pronosticum faciunt, & non minus etiam ad curationẽ, vbi enim videbitis mores malignos, morbum periculosum dicetis esse: si erunt benigni, dicetis quòd cito curabitur, si habebit syncopam, scietis etiam in principio paroxysmi esse cibãdum; merito igitur Gal. indicationes primo posuit quæ à quatuor anni temporibus à motu morbi & ab ipsis moribus sumuntur, quoniam ab huiusmodi tribus indicationibus sumuntur pronosticandi, atque etiam constituendi victus rationes: in primo duo habere debetis antequam aliud faciatis, in istis positis & ideo constituto quod præfugiendũ, & quomodo sit victus ratio instituenda, tradet indicationes quæ à forma, vel à gradu morbi, vel à proprietatibus essentialibus sumuntur, & hoc ideo quoniam vbi præuisum est de euentu, & victus ratio est constituta, videre oportet quid sit agendum. quod gradus formæ,

formæ, & proprietates essentiales indicant, sed quoniam non sufficit scire quod agendum sit, sed etiam oportet scire quantum agendum, & locus iste est quantitatis morbi iam igitur videamus Galen. locum & seriem, inquit: DEINCEPS IGITVR SINGVLARVM CVRATIONES TRADEMVS ET PRIMO INTERMITTENTIVM, DEINDE CONTINVARVM: EX INTERMITTENTIBVS QVIDEM BREVISSIMA SIMVL ET MANSVETISSIMA EST TERTIANA, LONGISSIMA VERO ET QVANTVM EX SE TVTISSIMA EST QVARTA: His verbis (vt iam diximus) tradidit loca Galenus primum à temporibus dixit, breuissima igitur est: idest breuissima habet tempora: hoc posito quod necessarium est vt quatuor tempora sint breuia & si breuis est oportet etiam vt celer sit motus, quoniam non posset esse breuis, si tarde moueretur, igitur non dixit breuissima: quatuor morbi tempora fore indicauit, etiam quod velocis est motus: præterea cum dixit mansuetissima est, mores indicauit, cum verò dixit longissima quartana oppositum accepit, sed tuta quantum ex se est: bene dixit, quantum ex se nullum afferre incommodum, per se quidem

dem non facit, sed quod non potest ipsa per instrumentum facit, nam & lienis tumorem, ex tumore hydropem facit & ex hydrope interitum cum dixit quotidiana VERO LONGA EST ET PERICVLO NON VACAT in tempore motum,& mores posuit, dixit periculo non vacat, vt non fidatis in ipsa,licet mores pessimos nō habeat, vt ostendemus suo loco:itaque statim ab initio victus rationes instituemus vniuersum morbi tempus considerantes, ex hoc apparet ideo ab his tribus incepisse vt victus rationem institueret, NAM IN ACVTIS ET QVI AD STATVM CELERITER PERVENIVNT, SI TENVIVS OMNINO CIBARE VOLVERIS, NON MAGNOPERE LAEDES, IN LONGIORIBVS PRIMO,&c.nunc distinctius inquit,quod indicationes de victus ratione sumere debetis à tempore & à motu, si enim videbitis quod status propinquus sit cibum quidem exhibere poteritis tenuiorem sine multo discrimine, si verò longus erit, non poteris cum dieta tenui regere infirmum sine maxima eius pernitie, & ratio est quoniā vbicunque incorpore est morbus aliquis materialis ratione materiæ deprauatæ necessarium est vt sint ibi duo inimici contrarij natu

naturæ ægri, calor ſcilicet natura & facultates omnes naturales quæ perpetuo contra alterum aduerſarium qui morbus eſt dimicant, morbus verò ex oppoſito reluctatur vt naturam vincat vbi eſt pugna iſta non oportet vt calor innatus ocupetur, circa cibum, vt valde contra morbum pugnare poſsit, ideo cum videbitis pugnam actu incœptã (enim aliqua neceſsitate cogat) prorſus à cibo abſtinere debetis, nam quantũ da tis de ipſo tantũ nocetis; nam alterũ vel alterũ ex cibo ſequetur, vel dimittetur nec amplexabitur à calore, & incoctus dimittetur & tũc corrũpetur, & in morbi naturã mutabitur, & fouebitis morbũ, vel ſi calor ipſum amplexabitur & concoquet detrahetur natura, pugna, & morbus inualeſcet &c.

Propoſitis igitur illis tribus: videlicet ægri natura, & aëris diſpoſitione naturam rei ita ſe habere ſciatis, morbum qua morbus eſt ſemper eſſe remouendum indicat ipſa natura ægri cum ſit naturalis affectus ſemper conſeruari debet, aëris diſpoſitio ſe habet ac medium, ſi enim fuerit naturæ conformis quam conſeruare debetis aëris diſpoſitionem conſeruabitis in ſtatu in quo erit, ſi verò naturam offendat, vt ſe teneat ex parte morbi ſtatum illum in contraria alterare quærimus vt naturæ faueat, His ita

propoſi

propositis facile est methodum videre sumendi victus rationem, si morbus semper remoueri, ægri vires conseruari debent: vbi hæc duo cõiungetis, si morbus à natura vinci non potest, nisi in longo tempore, quoniam natura ea est quæ operatur, certum est quod non sufficit nisi sustineatur, ergo eam conseruare debetis cum alimentis ex quibus restaurari posit, quod continue deperditur de corpore à calore naturali, quia aliter faciendo, vbi morbus longus est, ægrum deducetis ad incommoda maxima. Si enim in principio tenuissima vtimini dieta, in tempore non oportuno nutrire cogemini, & naturam à pugna impedietis, & sic præualebit morbus, si verò status sit breuis, quę breuitas ex indiciis iam dictis cognoscetur, tunc dicit Gal. non multum lædetis ægrum ex tenui victu, quia si cito terminaturus est, virtus tollerabit, hæc moderata esset cura & non coacta, de qua nos in præsentia non loquimur. CVM ENIM CONSTET VIRTVS NON MVLTVM patietur, etiam si tenuiori vtemini victus ratione, quam oporteat, quoniam iste virtutis affectus breui durabit tempore non multum incommodum contingit sicut euenit in longis. Si enim in illis tenuiori quis, quã oportet est victu vsus, in alterum duorum cadit

æger,

æger, aut vna cum morbo cadet virtus, aut intempestiue ægrum nutrire cogemini, vt etiam dicebat Gale. vndecimo therap. nihil peius facere quis potest quam ægrum circa statum nutrire, & ratio est quoniam cum magna sit nunc temporis pugna nostra contra morbum, vel cibus datus relinquetur incoctus, & putrescet, & morbi materiā augebit, vel si natura cōcoctionem aggrediatur, iam pugna diuertetur, & vtrunq; istorum non leue incommodum erit, sed contrario modo exhibendus est & tenuissimus in id tempus conseruandus est hoc quidem omnium commune est, quod dixit Gal. circa victus rationē instituendā, & circa prææuisionē ab huiusmodi tribus, scilicet à motu & à temporibus, & à moribus, & non solum hoc commune est in febribus, sed etiā in omnibus aliis ægritudinibus. QVID MODO SIT IN FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS propriū Nunc Gal. docere intendit, ideo inquit. AD HAEC VERO QVAE PROPRIA INTERMITTENTIBVS SVNT CONSIDERARE OPORTET. Quæ sunt ista propria, miram breuitatem & artem consideretis admirabilem, nunc tradere incipit quæ essentiam & differētiam indicant vniuscuiusq; morbi, & simul differentiam tradit, prout

formam habent simplicem, vel compositã, & prout secundum accidentia distinguuntur enumerat, & tempora, motus, & mores, & rectam victus rationem instituendi, & quid agendum habeatis, quoniam sciuistis in natura morbi plures esse partes, & quomodo à natura morbi indicationes sumuntur, quo instituenda sit victus ratio à temporibus morbi, à motu, & à moribus, quid verò sit agendum, vt indicationes sumamus, species quidem, & differentias morborum cõsiderare oportet, & videre vtrum morbi forma simplex sit, vel composita, Galen. simul vtrunque mira breuitate complectitur, & breuiter: ex quinto loco redarguitur eorum audacia qui ausi sunt dicere Galenum esse loquacem, prout ostendit etiam ipse in sex libris de morborum caussis, & in arte parua, & si forte in libris aliis fuerit longus hoc propter sophistas fecit & propter eorum sectas, qui totam medicinam corrumpere conabantur, quod affirmauit in primo de elementis tertio vbi dicit quare ipse in loquẽdo fuit prolixus, Hippocrates verò breuis. De tertianis auspicari videtur & inquit distinguendũ primo est an tertiana sit exquisita, vt ita dicã, an minimè exquisita si rectè vultis hanc rem assequi videatis Gale. primo Aphorismorũ duodeci-

mo

mo primo tradit Gale. hoc loco febriũ intermittentium species indiuiduas, & simul formas & accidentia sequentia formas, siue simplices siue compositæ sint, à QVIBVS FORMIS INDICATIONES SVMVNTVR, vt ab illis victus ratio sumatur, & etiam præcauendi, & inquit primo debetis morbum speculari in se cuius sit naturæ, an bonorum, vel malorum morum ad pronosticandum & ad rationem victus instituendam, quæ accidẽtia haberet, pulsus præterea & vrinas contemplari, si pulsus magni veloces, & frequentes indicabunt febrem accedere ad naturam tertianæ, si cum horrore vel frigore inuadet ad crassum humorem accedere, & vbi tertianam cognoueritis esse exquisitam ex suis statim signis ista oritur cognitio quod erit breuis, & in septimo periodo terminabitur, & non solum quod breuia habebit quatuor tẽpora scietis, sed mores etiã benignos & breuem motum & ex his scietis instituere victum, & de salute pronosticari, si verò cum horrore inuadet & quod per lõgum perdurat tempus horror videtis, & non moueri bilem, nec in declinatione sudorem, colorem habere subalbidum, & faciem subtumidã iudicabitis febrem esse quotidianam & per consequens longã, & periculo non vacare & tan-

dem ex morbi natura indicabitis an ſit futurus longus morbus, vel breuis, & an bonorum vel malorum ſit morum, & rationẽ inſtituendi victum, & pronoſticãdi ſcietis, & cuius ſpecies ſit, & ſi ad bilem ſimplicem terminabitur, eam exquiſitam tertianã eſſe cognoſcetis, ſi ad pituitam ſimplicem, quotidianam ſimplicẽ, ſi ad humorem mixtũ ex bile & pituita ſpuriam, & ſi bilis ſuperabit, tertiana notha erit, quæ poſtea plures habet gradus, & ſecundum variam humorum miſtionem, magis vel minus appropinquat ad quotidianam, facillimè autem has medias cognoſcetis, vbi extrema optimè conſiderabitis. Alterã autem non exquiſitam aliquando vidi autumno incipere, quæ quandoque non tantum ſeptem periodis terminatur, ſed vſque ad ſex menſes protenditur, poſtea vt par erat tanto tempore, tum quod ægrotus imperatis medicorum non magnopere pareret, tum etiam quia nonnihil delinqueret, tum verò quia Hyemis iniuria malè afficeret, maximè lien intumuit, & hypocondria diſtenta ſunt.

Scire debetis quod in longitudine morbi plura cõtingunt incommoda, propter tres rationes, primum quod eſt infeſtum nobis longitudo temporis, ſcitis enim quod in huiuſmodi lõgitudine, in qua morbus affligit

git ægrotantem, necessaria est actio & passio ex parte virtutis,& prȩualet illius actio, ex parte cuius proportio adest maioris inæqualitatis, vnde cum portio fit maior ex parte morbi, virtus succumbit, sic ex parte virtutis natura agit contra morbum, & similiter morbus contra virtutem, & cum inter ipsos sit actio & passio, & omne agēs naturale,in agendo repatiatur, etiam quod natura vincat, necessariò afficitur, & cæteris paribus,vbi sit huiusmodi reactio, quanto longius intercidit tempus in huiusmodi actionibus, & passionibus maior etiam sequitur impressio, & licet non percipiatur læsio puta in die,hora,& septimana, ex parte naturæ si sumantur menses, insignis admodum erit læsio naturæ propter longam, & continuam reactionem, præterea calor naturalis membrorum fit modicus, facultates omnes debiliores, fiunt concoctiones deteriores quæ in ventriculo celebrantur, vnde flatus quamplurimi generantur, & hypocōdria inflantur,intumescit lien propter flatus, & adustionem quæ fit in huiusmodi febribus longis,subtumida facies redditur,& huiusmodi alia incōmoda sequuntur, primum ergo incommodū, etiā quod virtus vincat, deficit, & vndique remanet affecta, secundum incommodum se tenet

ex parte ægri, æger enim in morbi longitudine fit impatiens, non poteſt tollerare, pertinax eſt, nõ obedit medico, quia parum ei credit, & medicinis, & cum parum credat ab ea ratione victus incipit declinare, quæ à principio ſibi inſtituta fuit, ex quibus omnibus plurima ſequuntur incommoda, nam vbi in principio ratio victus inſtituta eſt, poſtea peccat, maius eſt nocumentum iuxta Hippocratem, in tenui victu ægri delinquunt, &c. tertium incommodum euenit ex aëris diſpoſitione, aer enim ſiue calidus, ſiue frigidus ſit plurima mala operatur, primo regio aut conſtitutio, vel tẽpus anni calidum multum innati caloris reſoluit, ex qua reſolutione debilitatur virtus, longe tamen magis afficitur à frigore ſuperante, quia calor innatus eliditur, & cum ex calore rariores fiant habitus, & texturæ, penetrat frigus, quoniam pori aperti ſunt, & calor ſuccubuit, & nihil deterius ægro quam aeris frigiditas illa, inæqualitas etiam aeris deteſtanda eſt, vt in autumno, quia caliditas aperit poros, & frigiditas ſuperuenit, & calor modo acuitur, modo retrahitur, modo pellitur, iſta tria contingunt in longis ægritudinibus quę recenſuit Gal. cum dixit in textu, POSTEA VT PAR ERAT TANTO TEMPORE, &c. primum incommo

commodum, quod ex temporis longitudine euenit, recésset, cum quod in ægritudinibus, &c. illud est secundũ membrũ, & incommodũ pertinens ad infirmũ, TVM VERO HYEMIS INIVRIA ista est tertia causa, aeris dispositio, & sic in curationibus hos tres fontes semper habebitis ex parte temporis, infirmi, & aeris.

Et maximè lien intumuit, &c. Omnia ista sunt consequentia vbi enim calor innatus deficit, & spiritus debilitantur concoctiones nõ fiunt, & humores adurũtur, & sic inflantur hypocondria & lien intumescit, itaque hæc febris nihil habet simile exquisitæ tertianę, quam ab initio distingui oportere dico, nam quantum natura inter se differunt, tanto victus rationẽ variari æquum est, hæc dixit, quoniam à natura morbi sumitur indicatio instituendi victũ, cum dixit naturam morbi, intellexit tẽpora, motus &c. Medium erat anni tempus, &c.

In hac parte studens Galenus vtilitati vestræ proponit casum, & in illa historia casus, apparebit vtilitas præcipuè faciendi collegia (vt vocant) siue colloquia, proponit ergo casum quemadmodum natura rei indicat ex notione finis, quia hæc est vera methodus: quis igitur est finis in narrandis casibus? finis est vt sanitatẽ inducatis in

humano corpore, circa quod versamur, vt facere hoc valeamus, tres habere fontes oportet, naturam, scilicet ægri, naturā morbi, & naturam aëris ambientis, cum igitur ista tria sint, circa quæ versari debetis, oportet etiam in explicanda historia proponere casus omnes, qui circa ægrum apparent, quoniam quæ sunt extra ista tria, sunt etiā multum ad propositum, ita igitur ordinatè procedetis, primo circa ea quæ apparent in dispositione naturæ ægri, quæ secundum naturam sunt, secundo circa symptomata omnia & accidentia, & etiam ægrotationem tertio circa aëris dispositionem, & quia casus narratio est historia, ergo in ipsa proponere debetis, & nihil aliud excogitare dum casum proponitis, nisi simplicem narrare historiam, quæ fidelis esse debet, pura, simplex, & vera, narrando ea quæ præcesserunt circa dispositionem ægri, secundo in dispositione aëris, tertio in dispositione morbi, tunc incipietis ab excrementis, & indagabitis causas dispositionum naturæ ægri, vbi de aëris dispositione, quæ in ea accidunt consideraueritis, tertio accedere debetis ad ea quæ sunt circa ægritudines, & symptomata enarrata, & causas inuestigare, vbi omnia inueneritis, iam vobis curādi indicationes aperientur,

tur, omnia perſcrutamini. At videatis an Galen. hæc omnia ſeruauerit, poſtea cauſas inueſtigabimus, tertio quæcunque ſunt indaganda, & quem Galenus in hoc libro occulta arte, ordinem ſeruare voluit, ſed quod in medio ponendum erat, in fine & in principio ponit, ideo à diſpoſitionibus aëris incepit, & à temperatura: hæc autem omnia ſeriatim ponamus nos, & à diſpoſitionibus corporum incipiamus, ADOLESCENS ANNOS PLVS MINVS OCTO ET DVODECIM NATVS ERAT, ASPECTV ALBVS, ET PINGVIS, VITAE DEDITVS OTIOSIORI, &c. Videatis miram Galeni artem, iuuenē proponit ægrotantem, & quia ægri natura conſideratur in temperatura, in corporis habitu, & conſuetudine, in ætate, in artibus, & in his quæ immutant & alterant, hæc omnia propoſuit, quantum ad ætatem, habebat decem & octo annos, nec aliud miſcet, præterea pinguis erat & albus, hæc dixit, quoniā apparebant extrinſecus, hæc quo ad naturam ægri, ſecundo aeris diſpoſitiones con ſiderare debetis, & ideo inquit Galenus medium erat anni tempus inter virgiliarū occaſum, & quod hunc anteceſſerat æquinoctiū, tertio diſpoſitiones præter naturā debetis cōſiderare, circa infirmū, & ideo Gal.

etiam subiūgit, quod huiusmodi adolescen tem circa ipsam ferè auroram febris, cum horrore arripuerat, quæ neque in calore, neque in pulsibus tertianę similis esse videbatur, imò nec vomitus biliosus sequutus est, nec multus sudor, postridie cum ad horã circiter tertiã patiens exiit, febris euanuit, sed adeo sensim, vt vix circa vesperas febris expers æger videretur, minimo hoc relicto in pulsibus euidenter admodũ signo, & consumit totum ferè caput in enarratione accidentium vsque ibi accessit autem huic pulsus durities & sic cõstat quomodo Galenus in enarratione casus primo proponit naturam ægri, secundo tempus anni, tertio accidentia omnia quæ exterius accidunt, quæ postea latentes causas indicant.

Causæ igitur indagãdæ sunt, quibus explicatis luce clariores omnes indicationes curãdi apparebũt. Nunc verò pro declaratione eorũ, quæ sequũtur tria sunt videnda: primo nõnullas difficultates declarabimus: q̃ circa codicẽ cõtingũt: postea de tertiana notha videbimus quæ sit, & methodum docebimus febres istas inueniendi, quas spurias appellamus, tertio ꝓpositi casus & causas indagabimus, his visis finis erit huius speculationis, quãtum ad eorũ declarationẽ, quæ in codice habentur, dixit Galenus:

MEDI

MEDIVM ERAT TEMPVS ANNI INTER VIRGILIARVM OCCASVM, ET QVOD HVNC ANTECESSERAT AEQVINOCTIVM, vult dicere quod tépus illud fuit, circa augmentum autumni, & est spacium quod est inter xj. & duodecimum, ad summũ diem mensis Septembris, vsq; ad decimum tertium diem Octobris, non vtitur autem mésium nomine, sed stellarum ortibus, quoniam tales ortus cõmunes sunt, & magis vniuersales, quoniã apud varias nationes, varij sunt menses, hoc declarauit in prima sectione, primi epidemiorum, quod autem Gale. ita sentiat, apparet quoniam virgiliæ sunt in dorso tauri, scitis autem taurum oriri, circa vndecimum diẽ Aprilis, & tunc etiam incipit virgiliarũ ortus, & tandiu perseuerat ver, quandiu est ipsarum ortus, sunt autem stellæ istæ, septẽ quæ apparent, licet vna subobscura sit, oppositum verò tauri, in Zodiaco est scorpius, & sic immediate consequitur arietem taurus, in primo puncto arietis incipit ver, ita se habet scorpius, & sic de reliquis punctis, oritur autem scorpius circa xiij. diem Octobris in quo postea virgiliæ consequuntur, & quod antecesserat æquinoctium, intelligas autumnale, non determinauit diem, quoniam non erat necessarium, cum eadem

sit natura totius temporis, in quo adolescentem circa ipsam ferè auroram febris, cum horrore corripuerat, hic oritur difficultas ex malo interpretis Acachiæ intellectu, qui deceptus fuit, videbatur enim illi verisimile, quod secundus paroxismus maior fuisset, primo cum velit nunquam hoc obseruare, in errorē incidit, & quia videbat quod nox & dies xij. haberent horas, nox autumni ex obseruationibus nonnullorum dicitur incipere à prima hora diei à media nocte, vsq; ad meridiem, & quod à meridie vsq; ad aliud medium noctis essent aliæ duodecim horæ, idem credidit etiam esse obseruatum, quare vt tollatur huiusmodi error, hæc perpauca dicamus: scire debetis antiquorum dies diuidi in xij. horas æquales & inæquales, quoniam duo erant æquinoctia duodecim erant horæ diei, & noctis æqualis, & horæ istæ æquinoctiales dicuntur, vocanturq; æquales ad differentiam illarum, quæ non sunt æquales, quandoq; verò erat ista dies quindecim horarum inæqualium totum hoc spatium diuidendum erat in xij. horas æquales, oportet vt huiusmodi horæ quæ xij. sunt à xv. desumptæ longiores sint, quàm mortes debent esse, & oportet in duodecim partes diuidi, ideo breues sunt horæ nocturnæ æstatis diurnæ breu

breues,eadem ratione his ſuppoſitis Romani in duodecim partes diuidebãt diem,circa æquinoctium æquales erant,circa verò æſtatem,& Hyemem inęquales,ſic primam diei horam non incipiebant à media nocte, ſed ab aurora,& habemus teſtimoniũ apud Martialem libro quarto ad Eudemum ſcribentem,vbi ait,&c.

Prima ſalutantes,ſed & altera continet hora:
Exercet raucos tertia cauſidicos
In quinta varios exercet Roma labores
Sexta quies laſsis,ſeptima finis erit
Sufficit in nonã viridis octaua paleſtris
Imperat extructos frangere nona toros
Hora libellorum decima,eſt Euphone meorum
Temperat ambroſias cũ tua cura dapes.

Et ita apparent manifeſte exercitia horarum,vt ineptum ſit dicere quod à media nocte primam inceperant diei horam,quoniam certum eſt quod in media nocte non ſalutabant,neq; etiam poſt meridiem incipiebant primam horam,quia nimium tẽpus ocioſum fuiſſet circa mediam noctem, ideo circa ſolis ortum erat prima hora diei, & pręter teſtimonium Martialis ad hoc verificandum eſt Galenus hoc affirmans,qui in lib.de differentiis febrium in deſcriptione adol

ne adoleſcentis ſemitertianam patientis, inquit adoleſcens mane quidem prima hora diei rigorem pati cœpit, exquiſitæ tertianæ familiarem, poſtea ſubſequenter alias enumerat horas circa vndecimam &c. circa veſperam, & ita conſtat quod horæ illæ computabantur, erroris autem cauſa huiuſmodi viri fuit, quia imaginatus eſt ſecundum paroxiſmum fuiſſe longiorem, ſed Galenus dixit rurſus verò circa tertij diei auroram ſecunda acceſsio priori in omnibus præter quam in tempore ſimilis rediit, credidit iſte quod eſſet longior, & rationẽ aſsignat, quia verſus ſtatum febres procedunt ſemper augendo, & materia in principio cruda exiſtens ægrius accenditur, & verſus ſtatũ longe magis ad incendium præparatur, ſed ratio iſta non militat, imò cõtingit vt primo acceſsiones ſint lõgiores, quoniam materiæ crudæ quæ in ventriculo putrefiunt, in principio ſunt multæ ideo præmultitudine primus paroxiſmus ſecundus & tertius ſunt longiores quam verſus ſtatum, quia materiæ poſtea quam continue generantur ſua ſtatuta habent tempora & tunc paroxiſmi firmantur, reliqua in textu facillima ſunt, nec expoſitione indigent niſi vbi dixit ACCESSIT VERO ET TVNC PVLSVS DVRVS MEDIOCRIS QVIDEM IN

PRIMO

PRIMO ET IN SECVNDO DIE: IN TERTIO VERO ET QVARTO ET SEQVENTIBVS VSQVE AD TERTIAM, AD TANTAM PERVENIT DVRITIEM, VT SI QVIS SOLI PVLSVI CREDIDISSET, MVLTORVM MENSIVM AEGRITVDINEM FVISSE PVTASSET, circa istam duritiem scire debetis, quomodo pulsus potest esse durus trifariam, sicut & reliqua omnia, vno modo quia exsiccatur instrumentum vt contingit propter humidi priuationem, & sicut lutum arefactum, secundo modo cum congelatur sicut & glacies, tertio modo efficitur durum aliquid, cum repletur sicut vter, quando repletur aere, hæc declarauit Galenus in quinto de simplici medicina vbi loquitur de medicinis emollientibus & indurantibus: cum igitur his modis indurescat res aliqua videbitis vos de qua duritie intellexit, secundum quod declarandum est, sunt omnes febres quæ spuriæ appellantur, & vt habeatis maximam huius rei notitiam, ne erretis circa hæc omnia, scire debetis, aliud esse dicere febrem compositam, & aliud spuriam: composita febris vno quidē modo dicitur cum plures simul coniunguntur, alio modo quia febrilis calor non est simplex sed permisce

miſcetur illi vapor putridus, vel putredo, ſicut cum in febribus vapores putridi aſcendunt, & commiſcentur cum contentis cordis, vt in peſtilentibus, quando putredo in contentis cordis, vel in ſubſtantia ipſius cõfirmetur, de huiuſmodi compoſitione nihil dicemus, quoniam in ſuperioribus ſatis diximus de ipſa: alia compoſitio eſt quando ſimul plures complicantur febres, poſſunt autem complicari plures, quæ non differũt niſi numero, vel plures, quæ differunt etiam ſpecie, quoniam complicantur duæ febres etiam quæ ſunt eedem ſpecie, & numero tantum differunt, hoc euenit quoniã in eadem die duo coniunguntur aut tres etiam paroxiſmi tertianarij quandoq; ad ſtatum prius perueniat vſus, alius ſuccedit, & iſtæ febres dicuntur duplices tertianæ, quæ duæ ſunt, vt cum ſingulis diebus vnus paroxiſmus: inuadit vt hodie vnus, cras alius, tertius autem primo correſpondeat, quartus ſecundo: febres iſtæ ſunt duæ tertianæ ſeparatæ, & tunc dicebat Galenus quod non cognoſcitur quotidiana ex paroxiſmis, & iſta complicatio eſt quæ numero tantũ differt, quando verò duæ vel tres, vel plures cõplicantur ſpecie differentes, quod contingit, quando vna tertiana cum quotidiana coniungitur & ſtante adhuc tertiana inuadit

quot

quotidiana,& in ista quatuor fiunt complicationes,vt docet Gale.in secundo de diffe. feb.cap.quinto in tertio epidemiorum & in secundo de crisi.cap.septimo idem repetit. quia dubitatio erat apud medicos nō parua de semitertiana,aliud est ergo dicere,febres illæ compositæ sunt,aliud dicere spuriæ sunt,& nunc de compositis loqui nō intendimus sed de spuriis,& quæ sint legitimæ febres,& spuriæ,quæ legitimæ dicũtur. vidistis tria esse feb.putridarum genera penes terminos putrescentes , vel terminatur putredo ad bilem,& tunc tertiana sit feb. vel terminatur putredo ad pituitam,vel ad humorem melancholicũ vel ad sanguinem, sed non fuit aliud genus feb.vbi isti termini sunt puri,ita quod bilis,siue pituita,aut humor melancholicus puri sunt,legitimæ feb.dicuntur:quoniam proprias seruant leges,quia ad syncerum terminantur humorem,& nō ad mixtum,sunt autē propriȩ leges hæ quæ à nobis sæpe dictæ sunt vt si sit tertiana cum rigore incipit,cũ bilis vomitu,cum calore acri , pulsus præterea habet magnos,veloces,frequentes,cũ sudore,& in duodecim horis terminatur & habet interualla,quotidiana suas seruat leges,cum inuadit cum rigore siue frigore,sine sudore in vigintiquatuor horis terminatur,calor cũ

caliditate permiſcetur, obtuſus fit, tactus, ac cum humiditate quadam, & quod de his diximus dictum ſit etiam de quartana ab humore melãcholico dependẽte, ſed hacte nus nihil ſcitis, modo videre oportet quomodo iſtę ſpuriæ fiant, & diſcernantur, ſpuriæ ex qua neceſſario terminantur ad humores putreſcentes, qui non ſunt puri iſta impuritas quæ acquiritur in humore putreſcente abſq; aduentu alicuius extrinſeci quod immutauerit ipſum, & abſq; alicuius ſubſtantiæ miſcella, ſed noua qualitas aduenti immutans ipſum, alio modo nõ quia quantitas aduenti tantum, ſed quia adiuncta ſit ſubſtãtia extranea quæ fecerit ipſum diuerſum à ſua puritate, conſideremus primum membrũ quãdo ſcilicet alteratur humor in ſe ipſo, vel alteratur quia defuit à propria forma, & propria natura ideſt propriam formam attingere non poteſt, ſed in via eſt ad eſſe, & cum non attingit propriã naturam, putreſcit, & tũc vel erit naturæ bilioſæ, vel melancholicæ, ſi fuerit de natura bilis, hoc eſt quoniam ichor ſanguinis excedens ad ipſius naturã, nondum factus bilis putreſcit, fit febris colerica ſpuria, quæ non ſeruat leges illius feb. quoniam non eſt ſincera bilis, ſed tenuior pars ſanguinis futura eſt bilis. nondum tamẽ facta & ita eſt

alter

alterata in propria natura, quia non adhuc propriam attingit formã, sed in ea imperfecta forma putrescit si verò de natura pituitæ fuerit quæ formam propriam seruet idest nec frigida sit nec humida, sicut pituita dulcis, quæ non est pituitæ formã assecuta, sed tendit ad eam, & media est inter pituitam & sanguinẽ talis facit quotidianam spuriam propter defectũ formę proprię vel est putrido terminata in humore melancholicæ naturæ, cum scilicet sanguis crassus, & feculentus est, non adhuc planè humor melancholicus factus, sed prope est vt accedat ad formam propriam & in tali transitu putrescit, dicitur hęc feb. melãcholica quartana non exquisita sed spuria, quia non seruat suas leges, & in tres species spuriæ sunt ex defectu formæ benigniores tamen sunt, quam puræ & legitimæ, & hoc est ratione materiæ & causæ, quia nulla istarum habet malitiam, quoniã ichor benignior est bile, pituita dulcis benignior pituita pura, crassior pars sanguinis benignior est quam melancholica pura, dignoscũtur autẽ facillime quia breuiora, & mitiora sunt accidentia, & qui legitimarũ accidentia nõ ignorant, facillimè etiã sciunt, quod ab his erit humoribus, & ista est vna causa quæ facit feb. spurias, vel alterãtur huiusmodi humores, non

quia à forma deficiãt, sed quia aliquid adurentis aduenit, & extra proprios terminos pellens forma ad aliud maius acumen accedit sicut cum bilis sincera ob caliditatem adurentem aduritur, & fit crassa, quam Galenus bilem vitellinam in libro de atrabile appellat, & hæc facit nothas & spurias tertianas exemplum in pituita fit hoc, quando accedit qualitas pituitæ, quæ tollit eam à propria forma hoc euenit quoniam plus calida vel plus frigida quam oportet fit, si plus calida fit, & aduratur, salsedo fit, & pituita redditur salsa, & ex ista fiunt feb. pituitosæ spuriæ, quæ non seruant leges quotidianæ pendentes à simplici pituita, si verò frigidior fiat ob frigiditatem maximã aduenientem, quæ cogit ipsam & vitreã efficiat, ex tali pituita fiunt pessimæ spuriæ quotidianæ & lippiriæ fiunt, à tali phlegmate alterato extra propriam formam: exemplum in melancholico humore est, cũ ipse sit siccus, redditur acrior crassior se ipso ob adustionem & fiunt tũc acutissimæ feb. & pessimæ quæ spuriæ sunt, & omnes istæ fiunt propter excessum formæ, & ita constat quomodo humores alij sint impuri, & cum bili pituita aduenìat, & commixtæ simul putrescant, tunc faciunt febrem spuriã tertianam & hæc frequentissime contingit

& sæp

& sæpius quam quæ ex bile vitellina: ideo medici primam bilem crassam ex adustione vitellinam minoris famæ appellant, quia non contingit in ea frequenter putredo & huiusmodi vitellina potest varia esse, pro ratione miscellæ, sicut ex miscella vini cum aqua secundum quod plus vini cum aqua miscetur, & similiter, si miscetis duo vina diuersos facientia sapores, sicut etiã ex elementorum mixtione in eadẽ latitudine diuersæ naturæ, & temperaturæ fiunt vt alij hebetes sint & veluti lapides, alij ingeniosissimi, & ita videtis quam diuersæ temperaturæ ex elementorum miscella fiunt, quæ calamo describi non possunt: extrema tantum notare oportet, & secundũ signorum scientiam varias mistiones cognoscetis, & quod de bilis mistione diximus idẽ de aliis intelligatis, vt cum bilis cũ melancholia, vel melancholicus humor cũ pituita miscetur, fiet tunc quartana notha & quotidiana notha. Et ita habetis quomodo ex varia humorum miscella fiunt diuersæ naturæ feb. spuriarum: & quomodo fiant & à cõpositis differunt quæ modo sint genera spurias indicantia, ex signis simplicium feb. cognoscetis: Restat modo vt declaremus casum propositum, & dicamus cuius temperaturæ sit adolescens annos plus minus decimũoctauũ

natus erat, non credatis istud frustra fuisse additum, adolescentia scimus quod calidissima & ratione ætatis plus generabitur bilis, quantum sit in se, quam alterius humoris præterea erat aspectu albus, & pinguis, ratione suæ temperiei indicatur humiditatem dominari sicut siccitas in nigredinem tendit, vbi verò calor albus mixtus cum rubedine sit plus carnis abundat, sed vbi plus de humido, quam de calido sit albus color & pinguis, & pinguedo sit loco carnis &c.

Præsens lectio distincta erit in tres partes principales secundum quod Galen. etiam tria capita facit, in isto discursu primo continuabimus præcedentia explicando causas præcedentis casus in qua obiter videbimus quomodo & qua arte sint facienda colloquia, in secunda ostendemus quę signa consequi solent febres spurias tam interpollatas quam spurias continuas, in tertia & vltima parte Galenus indicationes dabit, quæ à natura morbi sumuntur, & ita finem habebitis totius lectionis, quantum ad primam partem à nobis propositam dicebamus nos velle recēsere causas omnium quæ in historia enarrata recensuit Galenus & id sit nobis exemplum quemadmodum in omnibus aliis facere debeatis, primo circa naturalem corporis dispositionem considerare

rare debetis cuius temperaturæ ſit, cuius habitus, conſuetudinis, artis, & reliqua annexa quæ alterant & variatur corpus, poſtea ad ſecundum fontem accedere debetis ad diſpoſitionem aëris, & conſiderare quæ ſit præſens diſpoſitio, in qua curatis, tertio ad diſpoſitionem præter naturam accedendum, quæ tria facit Galenus in hoc cap. bene verum eſt, quod Gal. in hoc loco, totam recenſet hiſtoriam vſque ad vltimum quam facere potuit, vos autem ea recenſere debetis omnia quæ inuenietis in ægro vſque ad horam præſentem in qua eſtis: De futuris autẽ ex prognoſtico loqui oportet, & inuenire omnium diſpoſitionum tam naturalium, quam nõ naturalium cauſas, quibus inuentis curatio & indicationes curandi clariſsimæ erunt, in præcedenti autem ſectione declarare, & inquirere eorum cauſas incœperamus, quæ in hiſtoria fuerũt enarrata, & dicebamus adoleſcentem illum plus minus xviij. annos natũ eſſe: ratione igitur ætatis, quæ eſt adoleſcentia, bilem plurimũ poteſt generare, propterea non fruſtra ætatem poſuit, quia ex ea plurimam bilem aggregaſſe dicebat, erat albus, id eſt, diximus quod albedo, & pinguedo caliditatẽ corporis, ſed remiſsã oſtendebat, humiditatẽ verò multã, vt ferè in caliditate ſit tẽperatus, in

humiditate excedat, qui verò maiorem habebit caliditatem carnosus efficietur, quantum ergo ad temperamentum, aptus erat pituitosum aggregare humorem, & ita habetis quantum ad temperaturam quid potuit indè sequi preterea vitæ deditus ociosiori, quantum faciat ad pituitæ aggregationem ocium in siccis etiam corporibus testis est Galenus in secundo de temperamentis, qui ait biliosos quam plures ex multo ocio pituitam aggregasse plurimam, & factos esse pingues, & humidos, & ratio est, quia sicut exercitium auget calorem, ita quies frigiditatem auget, præterea vbi quis in ocio degit non fiunt difflationes, per halitum excrementa retinentur, pori obstruũtur, ideo pituitosis abundant excrementis.

Prius crebris crapulis & lauationibus vsus.

Quantum crapulæ faciunt ad aggerendos humores quãplurimos pituitosos, & crudos ex hoc constat, quoniam calor innatus in obiectum non proportionatum agere non potest, ideo crudi remanent cibi, secunda concoctio non corrigit primam, ideo in venarum ambitu aggregantur, quoniam illuc destribuuntur pro alimento, in totum scilicet ambitus LAVATIONIBVS.

lauatio

lauationes iuuant,si commode fiant,& concoctiones adiuuant. At si importunæ fiant, corpus arefaciunt, maximè si ieiuno fiant corpore & diutius, quoniam vapores plurimi difflantur à corpore, sed post cibum humores crudi à ventriculo ad hepar distribuuntur, deinde per venas, & singulas corporis partes, & sic crudis abundant humoribus, ideo ad impinguandum vbi latitudo venarum adsit, nec venarum meseraicarum, timeatur obstructio, maximè post cibum idoneum est balneum, quoniam distribuendo humores crassos per ambitum totius impinguat, non est igitur mirum si ex lauationibus plurimam aggregauit humiditatem, SATIETATIBVS &c. appellant satietates medici illas nauseatiuas, quotiescunque aggregantur in ventriculo humores ex quibus nauseatiuam patiuntur satietatem, & aliquando abhorrent à cibo, propter huiusmodi rationem minimè concoquuntur, quia vbi plurimi sunt humores crudi, & corrupti in ventriculo si exhibeantur alij cibi, calor naturalis inueniens huiusmodi miscellam vtrunque concoquere non potest, sed secundum corrumpitur inuento primo corrupto, & hæc quantum ad dispositionem naturalem, antequam ægrotaret, ex quibus habetis, quod vna tantum

 erat

erat causa potens aggregare bilem, scilicet ætas, omnes verò aliæ dispositiões erāt aptę generare pituitam, quantum verò ad aëris dispositionem, inquit, MEDIVM ERAT TEMPVS ANNI &c. iam intellexistis tēpus illud fuisse spatium quod est inter vndecimum diem Septembris, & decimum tertium Octobris pręcessit autem tale tempus æstas, plurima autem bilis in æstate generatur, accedēte autumno aduritur bilis, & fiūt humores melancholici, ex quibus ægritudines melancholicæ excitantur, & ita habetis quantum ad relationem duorum fontium istarum causarū quod ratione ætatis & temporis plurimam debebat aggregare bilem, ratione tēperaturæ, cōsuetudinis, & victus: pituitam plurimam verisimile erat, vt aggregaret, ideo isti duo humores aggregati fuerunt CIRCA IPSAM FERE AVRORAM FEBRIS ADOLESCENTEM CVM HORRORE CORRIPVIT &c. Sciuistis tertianam exquisitam cum horrore inuadere pulsos magnos, veloces, frequentes habere, præterea cum sudore terminari, cum vomitu incipere, & ad summum non excedere duodecim horas eius paroxysmi: similiter etiam sciuistis, quod quotidiana ipsa incipit cum horrore, sine sudore, & vomitu: præterea longus est eius paroxysmus

in hoc

in hoc casu videbitis quod signa vtriusque extremorum aderant, tertianæ (inquam) & quotidianæ, cum verò quotidiana simplex ab humore pituitoso simplici tertiana ab humore biliofo simplici perueniat, putrescẽtibus ambobus fit spuria per admistionẽ eorum duorum humorum, aderant enim signa indicãtia, tertianam adesse ex proportione bilis & signa quotidianam indicantia ex pituitæ portione; sicut etiam mulus ex semine equæ, & asini cõpositus, habet signa vtriusq; nec planè equus, nec planè asinus est, ita tertiana signa ista habebit permixta, propter causarum permistionem: inquit igitur CIRCA AVRORAM FEBRIS &c. quæ neque in calore, nec in pulsibus tertianæ similis esse videbat, dixit quod calor nõ erat qualis in tertiana videtur, quoniam ille acris, & acutus est, postridie verò ad aurorã circiter horam tertiam exiit mador, mador iste indicat ibi fuisse aliquid bilis, quia si quotidiana simplex fuisset, non apparuisset sudor, & dixit mador & sudor, quia verus sudor, in tertiana apparere solet, signum est igitur aliquid de natura bilis ad fuisse & tertianæ non veræ, cum quo madore febris euanuit, non statim sed paulatim, post madorem declinare cœpit, & ad vesperam declinatio durauit, & hoc signum est

quod

quod multa aderat pituita, quia tertiana cito declinat, præterea inter sequentia quotidianam puram illud potissimum, quod interuallum non habet notabile, imò vix videtur esse sine febre, quod non euenit in tertiana pura, in qua vera interualla fiunt, VERUM RELIQUA CIRCA IDEM TEMPUS AC PER TOTAM NOCTEM FACILE OMNINO FEREBAT &c. remansit per totam noctem sine febre quod non est proprium quotidianæ, quoniã inuadit singulis diebus adeo quod nullus est dies sine febre, & vno paroxysmo finito, statim inuadit alius, si ergo tertiana notha durat tot horis, quid mirum, si quotidiana durat per quatuor horas, cum igitur sine febre permanserit, signum est quod non fuerit verus pituitosus humor.

Rursus noctè circa tertij diei auroram, secunda accessio priori in omnibus similis, præterquam in tempore rediit.

Hoc est signum bilis, quoniam in tertia die paroxysmus rediit: & hoc est signum proprium consequens tertianam, quæ exacerbationem de tertio, in tertium facit, cum igitur hactenus habueritis signa indicantia bilem, & pituitam, igitur febris hæc tertiana

tertiana ex permistione pituitæ & bilis, similis est præcedenti, præterquam tempore, declarat Gale. quod prior paroxysmus fuit maior octo horis, in reliquis ferè omnibus similis fuit, hac ergo de causa dixit, PRAETERQVAM IN TEMPORE SIMILES, ACCESSIT VERO ETIAM HVIC &c. Vidistis signorum fontes, & quæ in eo apparuerint, nunc autem affert apertè signa, quæ in pulsu apparuerunt, dicit itaq; QVOD IN PRIMIS DIEBVS, vt puta primo, & secundo durities mediocris quidem, in tertio verò, & sequentibus vsq; ad septimum, ad tantam peruenit duritiem vt hanc quis ægritudinem multorum mensium excogitasset, SI SOLI PVLSVI CREDIDISSET &c. sed diceret quis, quę est causa quod ita in primis diebus sic pulsus apparuerit mediocriter durus, in aliis verò diebus maxima durities, scitis quod aliquid fit durum (vt declarauimus) tripliciter, vel scilicet quando exsiccatur membrum, & priuatur humido, aut congelatur, vt glacies. tertio quando aliquid repletur aliquo, vt vter liquore aut flatu, de qua autem duritie hic intellexit Gale. non de prima quia talis durities fit per longam ægritudinem, sed hæc ferè in primis diebus incipit, præterea non est hæc priuatio humidi,

di, quia erat tẽperaturæ humidæ, relinquitur ergo, quod per repletionem fuerit facta huiusmodi durities, corpus enim arteriæ erat admodum repletum, his stantibus, videamus cur in primis diebus non apparuit pulsus durus, scitis quod febris est passio cordis, in quo inflammatur calor, & corpus arteriæ, magna fit attractio humoris in venis, & non tantum in venis sanguis attrahitur, imò est signum, vt dicit Gal. in libro de pulsu contra erasistratum, & in primo & secundo die cum febris esset noua non potuit in venis multam attrahere materiam, nec etiam spiritũ, sed post duos dies, cum multa esset facta repletio, maximaque inde esset facta materiei attractio, ideo pulsus factus est durus.

Ex quo multi iudicassent pulsum illum fuisse, ex ægritudine multorum mensium, si soli pulsui credidissent, &c.

Hic cautos vos reddit Galenus, vt vtamini distinctione, si enim vnum signum apparuerit, ex illo nunquid vos iudicare debetis? non, sed multa sunt signa prius colligenda, & rectè postea ex his omnibus, vel pluribus simul collectis iudicare, AB AEQVINOCTIO &c. merito hoc sequitur, quia in hyeme

me cutis poris,& meatus, sunt obstructi, & stricti propter frigiditatem: ac etiam, quia difflari non poterāt vapores putridi, & maximè, quia dicit ex Hippo. in secūdo Apho. Aphorismo vigesimo quinto, æstiuæ quartanæ magna ex parte breues &c. in vere igitur mollescere cœpit, quia tunc aperiuntur pori, & exalant vapores putridi, & sic tunc incœpit cessare febris, quia inde cœpit concoqui, ET SIC DESERVIT FEBRIS, VRINAQVE &c. Domini notate, quia vt ex secundo de crisibus habetur nullum certius signum est quam illud quod ex vrina sumitur, HAEC QVIDEM MAXIME &c. declarat quod huiusmodi signa apparentia non erant exquisitæ tertianæ, quia ibi exquisita putredo terminatur ad bilem tantum, & accidentia bilis solum apparent, in spuria verò non, RELIQVAS VERO FEBRES &c. In hac parte Galen. tradit signa quæ febres spurias consequi possunt, tam interpollatas, quā continuas, vidistis enim quod vnaqueque intermittens febris suam correspondentem habet continuam, vt tertiana habet febrem ardentem sibi correspondentem, sic quotidiana habet continuā, sibi correspondentē, quæ ex pituita fit, & sic de cęteris,

ris, tantum hæc est differentia inter febres intermittentes & continuas, quia in continuis humores putrescunt in venis, in interpollatis extra venas, sed hic dubitaret aliquis, quare Gal. non seruat ordinem, si enim supra posuit signa intermittentium & continuarum, cur est quod non posuit ibi signa spuriarum, in signis illarum, hic enim intermittentium signa ponit, ex quibus spuriarum signa declarat, debebat enim facere, diceret quis, sicut fecit Auicenna in distinguendis his signis, domini dico quod Auicenna nō rectè, sed Gal. bene fecit, nam vbi simplices diuiseritis, non permiscebitis compositas, dando earum signa simul, vnde Gal. in de atrabile, vbi de humoribus inquiebat, non distinguit de illis, & scitis quare? quia agebat de simplicibus speciebus non habentibus, quid mixtum, si hoc in loco diuisit simplices intermittentes, aut quia fiunt propter bilis putredinem, & sic tertiana, & sic quotidiana, habet enim vnaquæque harum simplicium subiecta, humores scilicet (vt diximus), si ergo substantia admiscetur, hæc non variat species, imò potius confundit, quare optimè Galenus posuit spurias separatim, ac eorum signa non autem separatam diuidit speciem, vt mulus non generat mulum, quia est mixta species dicit Galenus,

lenus,reliqua verò, &c. id eſt nõ difficulter inuenias has putridas ex extremis ſi enim ſcitis extrema ſcietis & media,vt ſi ſigna ter tianæ exquiſitæ callueritis ac quotidianæ aliarúmq; omniũ, cognoſcetis etiã ſpurias, quinta cauſa ſi quis cognouerit aſinum & equum,& videbit mulũ ſtatim dicet,mulus eſt aſinus & equa, quoniam mulus habet vniuſcuiuſq; fere formã tenẽtes ergo ſimplicium ſigna in memoria facilè erit vobis iudicare quæ ſint compoſitæ,& nothæ ſigna.

IN ALIIS VERO,&c.Domini ſi rectè neceſſaria tenetis,diuidebamus huiuſmodi ſpurias ſicut etiam ſimplices diuiſimus,ſimplicium enim diximus quaſdam eſſe interpollatas,quaſdam cõtinuas,ſi ergo ita ſunt, &c.ſpurias interpollatas cognoſcetis ex modo quo docuimus, ex Galeno, ſpuriæ verò continuæ nõ eodem modo,&c.ſed per ſymptomata cognoſcuntur, quæ intermittentibus ſimplicibus apparent, & quæ eueniũt ex acceſsionibus,vt mador,rigor,eſt æqualitas,ſudor, ægeſtiones biliosæ,vomitus, & omnia huiuſmodi ſigna,quæ in acceſsionibus conſiderantur, vbi verò febris natura eſt habens ſigna, quæ acceſsiones ſequuntur, nec talia in acceſsionibus, contingunt, in aſsiduis enim prędicta nõ inſunt,quęrendæ ergo aliæ notæ ſunt, quibus dignoſca-

mus exquisitas à spuriis, & quoniã etiã cõti nuarũ spurias quę accesşiones nõ sunt quomodo ergo cognoscemus? p hæc cognoscemus? quæ dicit Gal. hic in textu. VRINAS ET ALVI EXCREMENTA, &c. non sunt accesşiones, ad signa accedetis, vnde semper illos tres signorum fontes habetis, siue signa sint ab accesşionibus sumpta, si verò nõ, primus erat ab actionibus læsis, secundus ab excremẽtis mutatis à quibusdã extrinsecis, & diximus in methodo nostra, vt vniuersalia particularibus applicare sciretis, incipit ergo Gal. in secundo fonte & inquit, IN COGNOSCENDIS ASSIDVIS, VRINAS, ET ALVI EXCREMENTA CONSIDERARE OPORTET, cum non posşitis continuarũ febrium habere auctoritatẽ ex accesşionibus habeatis à communibus fontibus, & alio modo consideretis, itaque secundum fontem habeatis, qui sumitur ab excrementis mutatis, & cõsideratis naturas, vrinas, & excrementa omnia, sicut in simplicibus: vt in tertiana si sit pura bilis habebit vrina calorem fulcium, tenuem, quoniam tenuis est humor, erit autem cum sedimento aliquo, & tunc erit exquisita tertiana & si fuerit sibi correspõdens causon, talis etiam erit vrina, si fuerit spuria, id est continua habens se ad causonem, & ardentem, sicut

tertiana notha ad tertianam exquisitam se habet, resultabunt accidentia exquisitæ tertianæ, si verò erit feb. à putredine bilis commistæ cùm alio humore, etiam commista resultabunt accidentia (vt diximus) & signa attestantia supra bilem, habebit enim vrina fuluum colorem liuidum, ac etiā erit cum quodam accidente, possunt enim tales esse febres spuriæ sine commistione, etiam sciatis duodecim esse febres spurias contingentes ex tertianis: prima est quando fit ex admistione bilis cum pituita, quam bone hic moderni appellarūt vitellinam, scilicet maioris famæ quoniam hæc ferè semper contingit raro autē aliç, sed ponamus quod tales eueniant sæpe, si ergo hoc vbi contingit fieri talis mixtio humorum bilis, scilicet cum pituita, fient media & accidentia, vrina enim erit tenuis, fulua & lutei coloris, sed nō ita tenuis, fuluā, aut lutei coloris, sicut quādo est exquisita tertiana, hoc enim modo indicabit spuriā tertianā, & si fuerit multū crassa, tunc minus etiam erit fulua, si erit sedimentum, in fundo crassum, leue, album, indicabit multā pituitā: & errāt hic medici non facientes differentiā inter sedimentū & hypostasim, sed dicis quis quomodo cognoscemus huiusmodi sedimentum quando pituitam & quando bilem significet?

cet? Domini quoties videbitis quod vrinæ nõ apparuerint prius ex ꝓprio colore nunquã sedimentũ faciet, quod hippostasim significat, sed potius ibi est diuulsio vrinæ, nam in aliqua parte illius sedimẽti apparet vrina nigra, in aliqua tenuis, & huiusmodi etiã quod sit crassities, si autẽ proprius color vrinæ apparuerit, & sic post sedimẽtum crassum illud & signũ pituitæ facilè putrescẽtis, accedatis ergo ad vrinas, & si fuerint mixtæ, ita quod sint inter extrema & continuarum interualla, tunc iudicatis ex signis illam continuã spuriam, sanè autem spuriæ assiduæ erunt, quæ à legitimis maximè recedunt, alui excrementa, &c. in tertiana exquisita fit excretio bilis puræ & plurimæ vbi autẽ videbitis admixtã bilem cum pituita exire indicat bilẽ cum pituita putrescere, & esse spuriam pendentẽ ab huiusmodi humoribus & sic enumerat Gal. indicantia tales febres non tamen omnia opera & alia sunt manifestantia has febres, sed breuitatis causa tacet, Gal. dicit tantũ necessaria, addamus ergo nos sudorem etiam, ac etiã si apparuerit tumor in pedibus & mordicatio, tunc, erit febris cõtinua, ET VNIVERSAM CORPORIS AEGRITVDINEM, &c. scitis domini tres esse fontes, sed Gal. nõ seruat ordinẽ & hoc facit vt faciat

artem,

artẽ, vt facilè est hoc videre, quãdo dicit habitudinem corporis esse conseruandã, scitis domini quod in febribus ardentibus sunt mala accidentia totum enim corpus exarescit, tẽpora fiunt caua, oculi similiter, & tandem (vt breuibus cõcludam) fit facies Hippocratica, qui verò quotidianas patiuntur opposito modo se habent, vt nos declarauimus huiusmodi causam afferẽtes, videntur enim quotidianã patiẽtes intumescere propter cruditatẽ multam pituitosam in corpore existentẽ, vbi ergo videbitis febrẽ cœpisse, nec apparere illam ariditatem, nec illam faciem Hippocraticã sed intumescere mediocriter tantum, iudicabitis esse spuriã quia ad est mistio suarum causarũ, CALOREM QVOQVE, &c. vt calor tertianæ est acutus, mordax, & acris, quotidianæ autem lenis vix perceptibilis, nisi in multo tempore vbi iste calor esset mixtus, ita vt nõ sit vere acris, nec vere lenis, esset signum quod adest mixtio causæ, nã varij cõcurrunt effectus, vbi ergo signa pathognomonica mutantur, quæ sequuntur morbum, sicut vmbra corporis nemini dubium est quod etiã mutantur causæ, ET ARTERIARVM MOTVM, &c. in arteriarum motu maxima est differentia, diximus autem supra horum rationes, scitis enim quod quotidianæ

pulsus est paruus, rarus, & tardus, si ad tertianam comparetur, in qua est magnus, frequens, & velox, vbi ergo extra reducuntur ad quoddam medium & sunt signa pathognomonica, perpetuo sequentia cognoscitis febres, si enim iuxta sunt symptomata mixtæ etiam sunt causæ, & hæc alias sciuistis, propterea vltra tres fontes esse aliqua signa annexa, quæ habent causam annexam, & sunt causæ committantes, quæ cōsiderādæ sunt, quia corporis humidū alterare possunt, sunt autem hæc, regio, tempus anni, &c. quæ omnia sunt idonea ad alterandum corporis humidum vt iudicium effectū etiam ex his sumi posit, TEMPERATVRAE, quantum posint tēperaturæ in generandis humoribus iam sciuistis, & fuit declaratū in textu, ET CAVSA'S ANTECEDENTES, &c. tres sunt causæ antecedentes, sicut etiam moderni dicunt, & pocatarticæ dicuntur secundum ipsos, sed in hoc decipiuntur, quoniam non dantur aliæ dicendo quod dantur causæ coniunctæ secundum Galen. esse pocataraticæ sunt enumeratæ, vt si in ægro præfuit ocium humores pituitosos esse collectos, causæ autem antecedentes sunt cibi, quinto causa in corpore erit dominium humoris pituitosi, aut biliosi, cōtrahent enim rationem causæ antecedentes

tecedentis, vbi inter ipsos humores, siue cau sas est aliquid intermedium, quæ quidem medio, &c. notate post quam Galen. particularia multa enumerauit, & multa etiam dereliquit, maximè illorum duorum fontium, scilicet actionum læsarum naturaliũ, & alium, & pauca etiam dixit quo ad excremẽta: hinc Gal. opportune peruenit ad regulam vniuersalem, quam etiam Gal. dedit in primo Aph. 12. vbi dedit diffinitionẽ signorum, dicẽs quod quædã signa sunt quæ cum nobis ipsis vadunt, quædam post apparent, hæc enim est signorum diffinitio quæ cum morbo inuadunt, signa pathognomonica vocantur, id est indicantia essentiam morbi, sicut in pleuritide, difficultas spirãdi, dolor, &c. & nunquam hæc ab ipsa pleuritide separari possunt, non tamen tanquam proprium sunt hæc, quarto modo dictum, quia etiam aliis morbis à pleuritide conueniunt aliqua signa ex illis & hæc sunt signa pathognomonica quæ essentiam morbi sequuntur, alia verò sunt signa post apparentia, & horum quædam familiaria, quædam non sed media dicuntur, prima dicũtur assidentia, & hæc non faciũt morbum, sed indicant, vt sputũ in pleuritide, fere semper est sputũ, licet ipsa non à sputo incipiat, sed aliquando apparet post duos dies, vel tres, vel

quatuor dies, non tamẽ ſemper, quia quandoq; in aliquibus tertianis nullus apparet ſudor, ſunt poſtmodum alia ſigna poſt apparentia, non familiaria ſed media, quia quandoque ſunt, quandoq; non, vt in pleuritide dolor capitis, & fluor alui, hæc non ſunt familiaria pleuritidi, ſed aliquãdo contingunt, & domini ἐπιφαινόμενα, id eſt poſt apparentia, vnde ſciatis quod omnia ſigna quæ ſunt indicantia cruditatẽ morbi à tertio ſumuntur ſigno & hoc eſt quod dicit Gale. quæ cum morbo vna inuadunt, &c. & ſic conſiderare debetis omne genus ſignorum, & vbi ſigna non pura videbitis cauſas eſſe mixtas iudicabitis, ſi pura erunt ſigna, etiã cauſæ erunt puræ, hoc faciendo nunquam errabitis, OMNIA QVIDEM, &c. iſta eſt tertia pars præcedentis lectionis quam nõ expleuimus, & notate quod ſtat Galen. cum ſua breuitate, dixit tres eſſe fontes, &c. primus à natura ęgri & diſpoſitionibus eius naturalibus ſumebatur ſecundus à diſpoſitione aeris, tertius à natura diſpoſitionũ præter naturam, tacuit Galen. fontem vnum, quia ex nobis poſſumus illum ſcire, & eſt aeris diſpoſitio, tertium aggreditur fontẽ, qui eſt infirmi naturam conſiderare, & dicit quod hactenus apparet omnia declarata eſſe, ſed non ſic habet, quoniã maximum

quodd

quoddam restat, & quod est hoc maximũ? est quantitas morbi & virium, & per hoc attollit indicationũ loca quod multæ sunt indicationes habendę pro curatione, primo quod agendum, &c. quod quid à morbi natura, verum, quia nescimus quantum agendum, nunc vult differentias ostẽdere quod à morbi quantitate habeatur, verum quia ipsa quantitas morbi non apprehenditur nisi quantitate etiam virium ægri comprehensa, ideo enumerat hæc ambo, à quibus quidem indicatio sumitur quantũ agendũ, quo ad primũ domini dico, quod cognitio quantitatis lapsus morbi haberi non potest nisi prius corporis naturam cognoueritis vt septimo metho. docet Gale. nemo quantitatem morbi cognoscere potest, nisi naturam & temperaturam particularis indiuidui cognouerit, & dicit Galen. quod si particularem cognoscamus naturam, nos essemus tales quales fuit Esculapius, necessariò ergo est naturam & temperaturam cognoscere si lapsus quantitatem habere velimus, & sic merito dicit Galen. MORBI ET VIRIVM QVANTITATEM, &c. virium autem cognitio quomodo sumetur nisi à temperatura corporis, vires autẽ corporis in tribus spiritibus humoribus, & membris solidis, sic itaq; vires cognoscere

non possumus nisi prius huiusmodi partes corporis calluerimus, ad hoc autẽ, vt cognoscãtur illa quæ declarant vires, aliis indigemus sed pro nunc satis sit, quod si quis quátitatẽ cognosceret lapsus virium, etiã morbi quantitatem cognoscet, quando verò ista quantitas lapsus, ad temperaturam & corporis structuram comparatur, quãtum agendũ indicatio sumitur, & tantũ debere scimus, quantum cognoscemus esse lapsum temperaturæ, & tunc lapsus quantitatem ad temperaturã & vires referẽdo, prouisionis & prognosticationis habebitur indicatio, scilicet vtrum mori debeat æger nécne, docuimus autẽ nos supra, quomodo medicus præuisione vti debeat, vt iubet primo prognost. Hipp. ante curationẽ quia quãtitas lapsus ad viros relata indicat de ægri morte, aut de vita, si enim multa fuerit quãtitas lapsus & vires succubuerint, æger etiã succumbet, si vires superauerint, tunc æger euadet, & hæc medicus videndo, aggredietur, vel nõ aggredietur curationẽ, Gal. ergo breuitatis causa, omnes indicationes obscu re, & latenter cõplexus est, nam vbi dicit VIRIVM ET QVANTITAS CONSIDERANDA, &c. intellexit etiã quod temperaturam consideremus, quoniam sine huiusmodi cognitione quantitas, etiã virium latebit,

latebit, & maximè refert, an sciamus quantitatem lapsus, sed domini hoc perfecte haberi non potest, sed coniectura tantũ possumus accedere, non autem exquisite scire, quoniam nec ægri natura propriè sciri potest, nec vltimæ ipsius differentiæ, nec vltimus gradus; si enim vltimas cognoscerenius differentias, & etiam nos non ignoraremus formam substantialem, sed hanc cognoscere impossibile est.

In hesterna lectione, in hac parte huius cap. dicebat Gal. quod omnia hactenus quę ad indicationem curandi attinent, vniuersaliter sunt dicta, hoc est quod primum dicit, quod videntur omnia iam dicta, quo ad curam, sed non est ita, quia plurima restant dicenda, pro quibus videre oportet, quare dixit, OMNIA FERE MONITA SVNT &c. & quare etiam diximus horum omniũ illud maximum est, & ad vsum idoneum, &c. primo pro intelligentia primæ partis, scire debetis, quod cum sint apud antiquos tres medicorum sectæ, videlicet illa methodica Thesalica, quorum primus fuit ille Soranus, alia verò fuit empiricorum, quorum dux & princeps fuit Serapio, id est antiquus quidam, tertio fuit secta quam nos profitemur, & est Galen. quæ dogmatica dicitur, ex his tribus sectis, primæ duæ nihil aliud

considerant,nisi quid agendum ; quomodò verò,& quando,& vbi,& quantum,nõ considerant,sed tantum respiciunt ad naturam rei,ex qua considerationem habent,& iudicium curandi,nihil aliud spectãtes,methodici dicebant duas esse indicationes curandi,& non plures ; nam vel corpus erat admodum strictum, vel admodum laxum,si strictum per regulam contraria contrariis curantur &c.ergo si strictum tunc relaxandum,si verò laxum sit,astringendũ est,& sic his duabus tantum indicantibus curationẽ perficiebant,& methodicæ illius temporis circa tantũ hæc duo se exercebant,vnde iactabundi artẽ hãc sex mensibus doceri posse voluere,contra quos inuehitur Gale.dicens,quod si tantũ hę duæ conditiones considerari deberent in medicina,vt ipsi iudicant,non tantũ sex mensibus,sed sex verbis rem docere possent,sed hæc opinio fuit reiecta & detestata,& pessima ab antiquis iudicata,& dicebantur methodici, quoniam nulla esset in ipsis methodus,vnde Gale.vocat hos sæpè sine methodo. Alia fuit secta empiricorum,quorum vt dixi fuit dux serapio,hi autem boni erant medici,& fideliter artem exercebant,& vtinã essent,qui nunc temporis empiricos se nominant,sed non sunt nec empirici,nec methodici cum omnia

omnia cõmiſceant,& recte de his loquens Galen.inquit, niſi eſſem dogmaticus,mihi placeret eſſe empiricus,ab experientia tantum artem ſuam habebant,ex hoc,& illo,& alio vniuerſalia ſua colligentes, ſed nihil aliud ipſi cogitabant niſi per ſindromem ſignorum cognoſcere morbi naturã & eſſentiam,& deinde curationes afferre,cogitabant enim tantũ quod agendum,& cognita eſſentia,afferebant remedia ſcripta in maiorum libris,quoniã ex illa habebant,quid agendum,alias limitationes ignorabãt ſcilicet quantum agendum,quomodo,vbi,& quando,ex his omnibus ſolum quid ageretur,callere deſiderabatur,& nõ tantum hæ duæ ſectæ,ſed plurimi ex dogmaticis conſiderabant,quid agendũ,& plurimi hoc tẽpore ita faciunt,& maxime qui Auicennam ſequuntur:vbi enim inuenerint remedia ſine aliqua alia limitatione,nihil aliud curantes,ad opus accedũt quam primum reliqua deſpiciẽtes,& hi erant tẽpore Gal.ideo Galen.merito dicit quod NON OMNIA &c. hactenus enim inueſtigauit Gal.quãdo indaganda ſit morbi natura,qua indagata ſumptis indicationibus ab ea,quid agendũ ſtatim apparet,vt ſupra diximus cum ſimplicium,& interpollatarũ ſigna poſuimus,patet enim adhuc ſenſus primæ partis,cur dixit Gal.

xit Gal. ipsi videri omnia quæ ad curã attinent vniuersalem explicuisse, sed admonet nos quod restat vnum maximum considerandum, post ad aliud properabimus.

Dicebamus heri quomodo ad cognitionem quantitatis morbi accedere non possumus, nisi cognoscimus naturam ægri, vt dicebat etiam Gal. in principio huius primi libri, morbi quantitatẽ & magnitudinẽ iudicare non possumus nisi naturales corporis dispositiones cognoscimus, cujusq; enim morbi magnitudo est tanta, quantum à naturali statu recedit, ergo à dispositionibus naturalibus, lapsum metimur, tẽpora, structurã, & cæteris metimur lapsus per comparitionem ad illos, quia vt dicebat Galen. xij. therap. vires considerantur in his tribus scilicet in membris solidis bene cõpactis, in humorum tẽpore, & in spirituum caliditate, & sic qui cognouerit vires cognouit & temperaturas, quare nullus virium lapsus, & morbi magnitudinem consequi potuit, nisi prius corporis habitudo, & huiusmodi nota fuerint, & sic habemus à Galeno duos fontes exploratos, primũ scilicet & secundum, tertiũ scilicet aeris dispositionẽ relinquit, sed tamen meminit de eo infra vbi loquitur de feb. cũ symptomatibus IBI AERIS VERO AMBIENTIS &c. tũc tertiũ

fontē explorat & notat eū inter simptomata, nec hoc debet esse mirum, quia nihil hoc impedit, nam quatenus indicat simptomatum rationē habet, quatenus efficit morbū, habet rationem causæ, restat modo videre quomodo ab aeris natura indicationes sumantur, & in hoc domini notetis, quod ęgri natura dupliciter cōsiderari potest, vel simpliciter, vel per comparationē, sicut ad naturam morbi, vt de tertiana natura morbi indicat refrigerandū esse, & humectandū, quā do considerātur res in se, & absolutè, indicationes etiam sunt absolutæ, sic natura ægri non relata ad aliud, facit indicationes, quæ ad tuendā sanitatē attinent, si natura ęgri ad naturales referatur dispositiones, stando in dispositionibus, vel seruatis, vel corrigitis, vel præseruatis, vel reficitis, quia diximus in methodo vniuersali nostra, pro nunc omittam de his dicere, sed dico quod nunquam natura ægri ad aliud scilicet ad naturā morbi, & secundū varias cōpositiones, varię etiā resultāt indicationes curādi, verbi causa ex vna parte naturā corporis habemus, ex alia naturā morbi, natura autē corporis in tēpore cōsistit, structura, moribus, ętate, cōsuetudine, arte, exercitio, & proprietatibus naturalibus, & tādē, hęc sunt, in quibus cōsistit tota natura ęgri, si enim fuerint tot varię cōpo

sitiones huiusmodi cum morbo, variæ etiã indicationes curãdi resultabunt, & non tantum quid agendum, sed quomodo, quãdo, & vbi, videatis domini si cõparatis morbũ ad temperaturam, vt puta si morbus sit frigidus, & temperatura sit calida, dum fit hæc cõparatio, indicationes nascuntur quia iste morbus est difficillimus, quantũ sit ad prognosticationes, secunda nascitur indicatio. Quantum ad curationẽ quod scilicet multo indiget conamine, quia multa adest quãtitas lapsus, videtis quomodo variæ indicationes curandi, & operandi ex diuersa consideratione naturæ morbi ad alia relati, nascuntur: si verò morbus ad corporis structuram comparetur, variãtur etiam indicationes, vt verbi causa, si sit corpus amplarũ venarum, vel angustarum, & idem morbus in omnibus, longe tamen variæ indicationes curandi ex vtrisq; oriuntur, nam alia conueniunt pharmaca strictas habenti venas, & alia latas habenti venas, si verò comparatis morbum ad ipsius vires, statim sumuntur modus & quantitas agendi, & etiã indicatio nascitur quo ad prognosticandum, nunquid scilicet sit euasurus, vel periturus, si verò ad ætatem cõparetis, variæ, & indicationes sumuntur, puerilis enim ætas alia requirit medicamenta, alia iuuenilis, & alia senilis.

similiter si morbus ad cõsuetudinem comparetur indicationes sumũtur diuersę, multum enim valet consuetudo ad variandas indicationes, vnde domini aliter curamus illũ, qui sit assuetus comedere bubulas carnes, & legumina, aliter illum qui sit assuetus vesci cibis delicatis, & sic quo ad victum mutatur in his institutio victus, circa prognosticationẽ variatio fit, si enim mali fuerint mores, & deprauati, ita quod nunquam sit assuetus obedire medico, iudicium de eo aliud est faciendum, quam de alio, qui medico obedire solitus sit, de primo enim malum iudicium facietis, de secundo bonum, propterea rectè concludit Cor. Celsus tractans de hydropico dicens, quod duo medici qui venerãt curare quendã hydropicum, alter eorum dicebat ægrum posse curari, alter verò nõ, & primus respiciebat ad quãtitatem morbi, secundus verò ad mores hominis deprauatos, quia vt rectè inquit Hippoc. primo Aphorismo. primo, non solum oportet medicum se ipsum præbere opportuna facientẽ, sed & ægrum, & assidentes ad exteriora, si verò morbũ ad artẽ cõpareris fit alia indicatio curandi, vt verbi gratia sit fullo, vel piscator, qui in feb. ardentẽ incidat maximum, tũc indiciũ est, ægrum esse maximũ lapsum, & magnã fuisse causam

cur iste talis piscator inciderit in febrē ardentem, & oritur indicatio quod difficulter curabitur, si etiam si faber ferrarius inciderit in feb. ex pituita, maximam fuisse causam illius lapsus dicemus, & sic etiā sumuntur variæ indicationes curandi, sic etiam de naturalibus proprietatibus dicemus, quæ ita deterruerūt Auerrhoum, vt ab arte medicenda se abstinuerit, hæ autem naturales proprietates appellantur naturæ, per naturas intelligimus, proprietates quasdā, quæ temperaturas & formas consequuntur, quæ nullomodo discuntur nisi per longā experientiam, noui ego domini aliquos, quibus si tantillum cassiæ exhibuerit is statim morerentur, imò sentientes odorem aliquē statiin deuenerunt ad syncopim, vt quidā medicus nomine Erculanus ex odore casei, & mater mea, ex odore melonum incidebat in syncopim, hæ sunt itaq; naturales proprietates, quæ variam indicationem curandi faciunt, & si videtis quomodo comparando morbum ad naturā ægri, variæ sumātur indicationes, quæ natura ægri penes septem consideratur, aut enim ad temperaturā cōparatur, vel ad structuram, vel ad mores, vel ad ætatem, vel ad consuetudinē, vel ad artes, vel ad naturales proprietates, sed hæc est cōsideratio quę attinet ad naturam vniuersal

salem corporis, præterea variant etiam particularia membra indicationes sicut verbi causa si cor, aut cerebrum, aut hepar sit affectum variant hæ indicationes curandi, sed de his dicere hic prætermitto, quia hoc dicemus in secundo libro, & si facto hoc vniuersali habitu maximo cũ honore ad particularia accedetis, & factã horum extremorum comparatione naturę inquam ægri & corporis ad morbum, illum acquiretis vsum, qui nec calamo scribi, nec lingua proferri potest, quia facto habitu vniuersali versabimini etiam cum particulari, sic etiã methodica datur ab Arist. methodus acquirendi virtutes morales, docet in vniuersali, & postea ad actiones particulares deuenire nos instituit, SED DE HIS SATIS, MAXIMVM &c. scire debetis, quod tante breuitatis est vir iste, vt sit mirum, dum enim comparationem docet morbi ad naturam ægri, dixit quantitatem morbi, quæ se tenet ex parte naturæ ægri, ex his autem nascuntur tres indicationes de saluando scilicet ægro, aut morituro, nam si morbus tantus fuerit, vt vires superet prognosticabimini moriturum ægrum, sicut contra victurum, secundo indicatio est de instituendo victu, si enim vires validæ sint, tenuiter cibatis, quantum ad rationem vi-

ctus attinet, si verò vires debiles & paucæ variatur indicatio, etiam nascitur tertia indicatio scilicet quantitas, & remediorum mensura, nã si vires essent debiles & indigeretis dogma, alicuius remedij medicaměti quantitatem minuetis, si hoc modo faciatis, semper felices eritis in operando. His visis restat videre quare dixisti illud esse maximum scire morbi & virium quantitatem, est enim maximũ ad vsum, & ad opus peragẽdum. Si volumus curare morbos, sed scire tantum morbos, & medicamenta propter finem, nõ est necessariũ scire illas mensuras scilicet quantum agẽdum, & quomodo, quando, & vbi, si essetis solum contenti scire methodum medendi, absq; operatione, id satis erit, & magnum: sed maximũ est vt sciatis quantum operari debetis, & quomodo, & vbi, vt si quis didicerit rationem medendi, oportet quod illa ratio cum operibus limitetur, ars enim medica habet pedes destrum scilicet & sinistrum, dester pes est medendi methodus, sinister est operatio, quare si præcise quantitatem morbi & virium scire vultis, præcise etiam est sciendus gradus humanæ temperaturæ corporis, hoc autem est difficillimum, & nulla alia ratione haberi potest, nisi coniectura, vt difficulter etiam, imò dubito quod nullus vsquam

sciuit,

ſciuit,niſi per longam experientiam & conſuetudinem,vt ſi cum aliquo diuerſati fueritis,ſed nec quidem certum gradum in illo poteritis habere,ſed ſolũ per longam experientiam iudicabitur,ſi ergo certus corporis gradus cognoſci non poteſt,reſtat quod ſit difficillimum ſcire quantitatem remediorum,quia iſti certi gradus,nõ inueniuntur niſi in indiuiduis,ſed indiuidua ſub ſenſu cadunt,& non cognoſcuntur ſcientia,& cum per ſcientiam ſcire nõ poſsit,ergo per inſtrumentum quod particularium notitiã afferat,quod eſt experiẽtia ipſa,& ſicut per ſyllogiſmum vniuerſale cognouero communeq; per inſtrumentũ proprium,ita per experientiam particulare non tamen vſque ad vltimos gradus,quia etiam tũc vltimas differẽtias cognoſceremus,quia quid enim ſunt iſti vltimi temperaturarum gradus quàm differentiæ vltimæ?qualitatem &c. hoc etiam ex dictis iam patere debet,accedamus iam ad particularem curandi modum quoniam iam eſt intentio agere de cura tertianæ puræ &c.

De cura tertianæ puræ &c.

EXQVISITAM &c.ſcitis quod ſi aliquam curare vultis ægritudinem non ſo-

lum naturam morbi considerare oportet, sed & naturam corporis & dispositionem aeris, qui sunt tres fontes, & hæc comparare inter se debetis, ex qua comparatione nascatur ars limitandi modum, oportet & reliqua vt diximus quæ se habent circa operandi modum, hoc in loco Galenus solum dat indicationem sumptam à natura morbi, & nullam eorum comparationem facit, quæ diximus, & hoc quare fecerit, docebimus, primo autem domini ipsius Galen. mentem exponemus, à quibus indicationibus artem particularem sumat, nos postea indicationes à natura ægri, & aeris sumemus, sicut si esset ægritudo in soc. & plat. & vniuersalia particularibus applicabimus, circa autem declarationem Galeni notate, quod tertianæ puræ curam proponet per indicationem sumptam ab essentia morbi: tertianæ autem huius essentia sicut cognoscitur ita indicationes faciatis, si vniuersaliter indicationem vniuersalem, si particulariter particularem faciatis sed tertianæ indicatio ab essentialibus febris sumitur, si perfectè curationis cognitionem scire vellemus, eius habemus essentiam, quia curationis cognitio ab essentia sumitur, non enim tantum considerare oportet, quod sit æger & huiusmodi, sed

accedon

accedendum est ad causas intrinsecas, quæ est ergo tertianæ essentia? dominium huiusmodi tertianæ essentia materiam habet & formam, appello isto modo in accidentibus materiam & formam, sed quæ est eius forma est calliditas & siccitas maxima in tertiana adest, bilis quæ est siccissimus & calidissimus humor omnium peccantium humorum & cum putrescit bilis ex tali putredine fit magis calida ergo quo ad rationem formalem est caliditas intensa ignea in excedenti gradu, vnde nascitur indicatio à ratione hac formali, quod opus refrigerare & humectare per illud primum principium contraria contrariis &c. præterea aliud etiam habetur quod materia ad bilem terminatur, quæ redundat in corpore, signum ergo ex calore naturali optime non regatur, quia putrescit, si enim non redundaret non esset putredo, quia à naturali calore regeretur, cum ergo bilis natura in corpore redundat indicatio nascitur quod fiat euacuatio iuxta illud Hipp. ægritudines ex repletione sanat euacuatio, & quomodo est euacuandum hæc medicamentis fiunt cibis & potibus, vltimo Gal. aliquorum medicorum errorem quem inquit male tertianam curantium, quantum ad primum duæ sunt indicationes, altera quæ sumitur à materia præcedente, altera verò quæ à forma: dicit itaq;

Gal. EXQVISITAM TERTIANAM ET IN QVA COMITATA &c. dat suæ intentionis causam, cum scilicet sit calida & sicca, ergo humectantibus & refrigerantibus indiget, NATVRA AGRORVM &c.

Videbamus quomodo essentia tertianæ erat in duobus, scilicet in forma quæ erat calor igneus, & in materia quæ erat bilis omnium humorũ calidissima & siccissima, à quibus duas indicationes habebamus, altera erat à materia, quæ indicabat de euacuatione, altera verò à forma quæ indicabat esse humectandum & refrigerãdum, per illud primum commune principium cõtraria &c. omnia &c. primo conclusionem ponit antequam probet, postea per analogismũ probat, nam scitis quod sicut syllogismus est philosophorum, ita analogismus est medicorum dogmaticorũ, syllogismus circa vniuersalia versatur plurimum, analogismus particulariter concludit ex maiori vniuersali, & est resolutiuus discursus ad indiuiduũ terminatus, primo ergo conclusionem ponit post maiorẽ dicit, analogismus vero super illo fundatur principio contrariorum contraria sunt remedia dicit ergo HVMECTARE &c. hæc est conclusio in contraria, hæc est probatio, quę quod superatur

catum hoc addidit propter defensionem datam ab Hipp. qui dicebat in libro de flatibus quod medicina est adiectio, & subtractio, ad quam alludes Gal. dixit vel quae superat flauae aut bilis &c. posito illo primo minorem ponit, & conclusionem tacet itaq; EXINANIENDVS est &c. male versũ est, quia non est exinaniendum corpus QVIA BILIS CALIDISSIMA sic & siccissima sed potius opus est humectatione & refrigeratione hac de causa ideo potius exinaniendus est, quia redũdant in corpore quoniam contraria &c. ex repletione dicit Hipp. aegritudines sanat euacuatio, vt itaq; distinctè habeatis, prius oportet consulere, & vbi consulueritis mature opus est facto, consulatis ergo antequam ad curam accedatis, & vtamini analogismo quoniam Arist. in eléchis vocat syllogismum practicum, sicut etiam Auerr. in 12. Meth. VOMITV QVIDEM &c. hoc loco cũ sumpserit indicationes euacuandi, ponit etiam instrumenta euacuandi & primo proponit loca, per quę debeat fieri euacuatio, deinde per quę instrumenta, primo ergo dicamus de locis, loca autem per quae fit euacuatio sunt aut secessus, aut vomitus, vel fit euacuatio per sudorẽ, vel vrinas, aut per aliquam insensibilem transpirationẽ, sed dicet quis cum euacuatio, per tot

loca fieri posit, in tertiana, quæ ex his o-
minibus melior est, nulla est eligenda per se,
sed quo natura vergit, eo facienda est eua-
cuatio, oportet enim semper sequi naturam
vt tertio artis parvæ dicit Gal. & inde constq.
arti omnium natura est opetatrix, medicus
verò minister, & sicut minister præceptis do-
mini parere debet, sic medicus, cum naturæ
minister sit, illi obedire debet, & si natura
deficit & non euacuat vt oportet, illi sup-
plendum est cum arte nostra, & sic non est
magis euacuandum per aluum, quam per
vrinas &c. sed per ea loca ad quæ vergit no-
stra vt dixit Hipp. quo natura vergit eo du-
cere oportet, si per conuenientes regiones,
quia quando ipsa cogitur per inconuenien-
tes euacuare regiones, si igitur humor ad
ventriculum vergat per vomitus euacuan-
dus est, si ad aluū per secessum, & sic de aliis
deest modo hoc in loco vt adinueniamus
materiam conuenientem ad hoc faciēdum.

Quantum ad euocationes quæ fiunt per
vomitu & per secessum, hic nihil dicit Gal.
quia breuissimus est,

Sed quæ optima & comprobata sunt ad
euacuationes per vomitum, & per aluum,
volo vt capiatis aquam tepidam cum mo-
dico aceti, hoc enim prouocat vomitum, si
natura excitetur ad illas partes. Si enim de-
orsum

orsum feratur talis humor per clysteria educetur,& in hoc casu commodissimi sunt clysteres, quia leuissime euacuãt materiam illam à vẽtriculo, quæ sæpe solet facere maxima, & breuissima accidentia, deducendo homines ad syncopim, qui clysteres maximè congrui erunt, ex manna, & cassia, & ex tamarindis, quæ omnia bilem euacuant, & hæ medicinæ tẽperatæ Galdatuere,& Gale cognouit quidem mannam, sed non sub natura mannæ, & appellauit ipsam mel aëreũ, tamarindos, oxiphemas,& calmulas aridas, chisobola, aut apparet octauo de compositione medicamentorum secũdum loca. Sed caueatis à rheubarbaro. Quia de tertiana facit continuam; caueatis etiam à sirupo rosato solut. tanquam à peste ante concoctionem, quia habent vim abstringendi, & ideo à principio non conuenit, & eadem ratio est de rheubarbaro vnde domini Aquila med. in hac ciuitate, dum accessisset venetias vt cuidam patritio ægro cõsuleret, fuerat quidam medicus qui à principio rheubarbarum exhibuerat in tertiana, & ex illa facta est causon hoc intellexit Aquila,& medicus alter se volens excusare, dicebat solum exhibui rheubarbarũ medicinam benedictã, & Aquila dixit dedisti maledictam, vbi ergo vultis euacuare bilem, quando natura

euacuat

euacuare tentat,& non perficit,euacuetis cũ his quæ non habent astrictionẽ, VRINAE VERO PROVOCANTVR POTIONIBVS HIS IN QVIBVS MADVERIT ANETHVM &c. nonnulli hic Gale. damnant quod in tertiana det ista calida & sicca, cum indigeamus refrigeratione & humectatione & ratione formæ & ratione materiæ, certe dico quod ab istis calidioribus & siccioribus cauere debemus in principio, quia si daremus ista calida & sicca in principio augeremus febrem, sed Gale. voluit per has positiones intelligere vbi natura tentat euacuationem per vrinam, & non perfectè operari potest, quod tunc nos vtamur his diureticis, vt illos homines biliosos ad vias vrinæ inclinantes nos euacuemus, quæ diuretica (vt dicit Gal. in tertio de simplici. medicament.) quia sunt calida & sicca, & huiusmodi nocent febri, ideo Galenus dixit anetum & appium, quæ non admodum calida & sicca sunt, & sic quantum ad præsens negotium attinet dicimus quod rectè decocto appii vsus est Galenus, quia bene sciebat quod non conuenit febribus cum calidæ & siccæ sit naturæ, sed voluit quod vteremur huiusmodi decocto, quando non fere expellit per vrinas bilẽ, non tamen potest perfectè expellere, nam in eo casu conceditur

decoctum

decoctum appij & anethi, vt natura adiuuetur, sed dicet quis quare non dat prouocantia vrinam frigida, vt potiones lactucæ, endiuiæ, maluæ, cucurbitæ, & multa alia quæ vrinã prouocare possunt? quia ex his nihil nocebit, sed tantum auxilium præstabitur? Domini dico ad hoc quod quæ frigida & humida sunt non per se vrinam prouocant, (vt in methodo nostra de simpl. diximus) sed per accidens, quæ autem per se vrinam prouocant ibi declarauimus esse calida & sicca, & sic coactus fuit Galen. si vrinas prouocare debuit, exhibere ea quæ sunt calida & sicca, sed domini si vos vultis melius, & securius prouocare vrinã vrgente necessitate quàm hic faciat Gal. accipiatis aquas frigidas, vt puta lactucæ, maluæ, & huiusmodi, in quibus imponãtur anethi semina, & exhibeatis talem potionem, quia sic nihil nocebitis, sed duplex resultabit vtilitas, refrigerabitur corpus, quod requirit forma tertianę feb. & prouocabitur per vrinam bilis. AC SI CONCOCTIONIS NOTAE APPARVERINT, IAM CVM FIDVTIA ABSINTHIVM &c. domini continuare hunc tex. cum præcedentibus, fit absinthium, sed quomodo inter prouocantia vrinam, quia ea quæ prouocant vrinam sunt calida, & sicca, in tertio, absinthiũ autem

tem est calidum tantum in primo, quia in absinthio, est sapor magis acerbus quã amarus, & licet appareat oppositũ, illud est, quoniam diu non detinetur in ore, nam si diutius in ore detineatur, sentietur quod maior est acerbitas quam amaritudo. Galenus itaque dicit, quod absinthium dare poterimus non vt prouocemus vrinam cum eo, sed vt stomachum corroboremus, quoniam maximum est ipsius remedium; & datur non in principio, sed apparẽtibus signis concoctionis, propterea quia si daretur ante cõcoctionem, & quoniam materia est cruda, non rectè operaretur, vt dicemus, voco autem materiam (vt dicit Gal. & Auicenna) quãdo est bonis permixta humoribus; semper enim non quærit vtile ab inutili separare: cum ergo cruda sit materia hoc est bonis humoribus permixta si dabitis absinthium, quod ratione caliditatis abstergit, tũc in simul cum mala materia educetur vtilis & bona materia, quæ pro nutrimento corporis faciebat, quia absinthiũ illud vtile ab inutili non potest separare, quia opus est naturæ, præterea etiam ante concoctionem non est exhibendum absinthiũ, quia nimis calefaceretis & exiccaretis corpus, & etiam quia obstruit, ratione cuius augetur putredo, aucta autem putredine ex tertiana simplici deueniet ad

 causonem,

causonem, sicut ille ignarus medicus Venetiis, cum rheubar. ratione cuius, quia adstringit induxit aegrum ex tertiana simplici ad continuam, eadem est ratio de absinthio, quia abstringit, optimè itaq; Gal. docte docet, quod in absinthio est multa utilitas, si debito tempore exhibeatur. P R AE S E R- [illegible] S O M A T, &c. dat modum quomodo hoc absinthium exhibere possimus, ut scilicet, non tantum bilem abstergat à ventriculo, verum etiā ab omnibus corporis particulis, & à venis meseraicis, & ab hepate, & dicit quod debemus accipere eo modo, quę comę debēt poni in aqua mulsa, quae est mellicratum, quia ex eius dulcedine, facillimè attrahitur ab hepate, S E D E T I N B A L N E A &c. ad totam descendit evacuationem quae fit per ambitum totius corporis, id est, per sudores, & dicit quod balnea calida ex aqua potabili maxima commoda afferunt in tertiana, nam scitis quod duae indicationes operandi ab essentia tertianae sumuntur, scilicet à forma & tunc refrigerare & humectare debemus, & à materia quae indicat quod evacuare debemus, quoniam omnino excessus (ut dixit Galenus quinto de tuenda sanitate, & alibi saepe) emendatur suo contrario, & haec duo facit balneum, refrigerat enim, &

humect

humectat sua qualitate, & euacuat etiam, quia ex balneo aquæ calidæ, rarescunt pori, & meatus corporis à quibus facile bilis difflatur, ex his apparet quam balnea maximè sint vtilia &c.

Duas indicationes proposuimus in hesterna lectione, alia erat à forma, alia verò à modo, deerat adhuc dicere de euacuatione insensibiliter facta per meatus cutis, sed quia reliquimus vnum imò duo, propterea dicamus nunc de ipsis, primum igitur est, nũquid in febribus tertianis, dum volumus euacuare corpus per secessum, aut per vomitum debeamus vti medicamento solutiuo, intelligo per solutiuum, quod electiuè educat, electiue intelligo, quod dum est in ventriculo per suam proprietatem trahit à toto ambitu corporis humorem ad se, sicut magnes ferrum, vt dicit Gal. secũdo de facult. nat. tertio de temp. & quinto de simpl. medicament. hic est modus venarum attrahentium, vt in libro de virtute pharmacorum dictum est, cuiusq; sit liber ille, non distribuuntur medicamenta solutiua, vt quidam falso existimarunt per venas, sed existit in ventriculo, & indè attrahit sua forma specifica à totius corporis ambitu, natura quædam attrahunt bilem, vt scamoneum, quædam pituitam vt agaricum, quędam atram bilem,

bilem,vt elleborus niger.Dubium eſt ergo, nunquid in tertianis liceat vti medicinis, his electiue educentibus,& ad hanc dubitationem dicimus, nullo modo licere in tertianis, ſicuti multi faciũt vti aliquo medicaměto,in quo ſit, vel ſcamoneũ,vel cholocinthis,& huiuſmodi, & ratio prima eſt, quoniam cum ex ſuppoſito trahat ad ventriculum medicamenta ſolutiua à toto ambitu corporis,bilẽ,quæ ſua natura mordax cum ſit, ſæua facit accidentia in ore ventriculi, quæ vitanda ſunt,ſed potius diuertere debemus ipſam bilẽ à větriculo quam ad ipſum trahere, ſecundo id confirmatur per rationem,vt dicit in ſecũdo de morb. acutis,vbi loquitur Hipp. de ſolutione per pharmaca ſolutiua quæ exhibet in pleuriticis, dicit Gal.cauendum eſt à medicamětis, quia vel huiuſmodi medicinæ non euacuabũt,quantum oporteret, & ſic agitabitur materia & ad aliquod membrum nobile deſluet,& inducet ſubitam mortem, aut ad ignobilem, & inducet inflammationem,vel nimis euacuabitur, & ſic aderit periculum mortis quia ex huiuſmodi euacuatione ſuperflua virtus debilitatur, vnde quamuis tertiana noctu reſpectu inter acutas febres nõ ſit, ratione tamen materiæ eſt inter acutas, quæ ſiũt à bile,& quod cõueniat cũ acutis, illud

in materia signũ quod est causon peracuta febris correspõdet tertianæ simplici, tamẽ est differentia, quia humor in tertiana putrescit extra venas, in causonide verò intra venas, quare si non conuenit in acutis purgare cum istis, nec etiã in tertiana simplici, cum in materia cõmunicet cum illis, aliud etiã incommodũ hinc oritur, quia vidi sæpæ multos tertianarios exhibito scamonio incidere in dissenterias, & ideo est, quia cũ bilis sit apta ad errodendum ex seipsa per medicamentũ reddita acrior dum attrahitur & expellitur à natura errodit,& exulcerat ipsa intestina, igitur propter has causas cauendum est ab istis medicinis, in tertianis,& etiam in omnibus febribus,in quibus prædominatur bilis, secunda dubitatio est, nunquid misśio sanguinis in tertiana fieri debeat: Auicenna ponit in cap. proprio de tertiana, quod fiat,sic etiam alij ac modernorum multi,sed Gal.nullã facit mentionẽ de misśione sanguinis,in curatione tertianę simplicis.cum tamen id in omnibus aliis febribus explicet,cur ergo mittitur? domini Gal. prudẽtisśimè fecit, & nunquã mittatis sanguinẽ in tertiana exquisita, & ratio est, quia cum duæ sint indicationes potisśime mittendi sanguinẽ,scilicet magnitudo morbi præsens, vel futura, & magnitudo viriũ, in ter

In tertiana licet adsit magnitudo virium, non tamē adest magnitudo morbi pręsens, vel futura, & ideo cum hæc duo iuncta non sint simul, non oportet, non mittatur sanguis: secūda ratio colligitur ex Gal. quarto de tuen. san. vbi dicit, quod si humor purus distet à natura sanguinis, vel sit commixtus cum sanguine, tunc euacuamus illū per sectionem venæ, at si nihil differt à sanguinis natura, quod non euacuamus ipsum, vnde cum bilis sincera (non ichor qui est pars subtilior sanguinis, & non multum distet ab eo) diuersissima sit à sanguine & ab eo multū distet, non est vt euacuamus ipsam per sectionē venæ. præterea sanguis est frenum bilis, quoniam bilis calidissima est, & siccissima, sanguis verò temperatè calidus, & humidus: ideo si euacuabitur sanguis remanebit bilis in venis, & magis accendetur, præterea virtus reddetur imbecillis, & non erit potens amplius expellere illam bilem & ad extra venas, vt faciebat prius, vnde ex tertiana simplici fiet causon, sed dicet quis, ergo tot viri male dixerunt & præcipue Auicenna, & alij omnes qui affirmatiuè loquuntur, Galen. verò negatiue loquutus, solùm verum dixit, minimè sed etiam alij verum dixerūt, & Paulus secūdo libro de tertiana loquens sensum declarare

cœpit,sed nõ explicite,dixit enim licet tem pore Galen.inuenirentur tertianæ plurimæ exquisitæ,tamen tempore nostro rarissimè inueniuntur tertianæ simplices, sed omnes sunt spuriæ propter ingluuiem hominum, præterea si videatis Auicen.dicit quod sanguis mittatur,dicit,sed nõ absolute mittendum esse sanguinem, sed inquit si oportuerit,quasi dicat, quod quandoque conuenit, quandoque non, sed vbi sit tertiana non pura fieri potest, si autem sit pura tertiana nullo modo debet fieri sanguinis misio, & videtur Auicẽna scripsisse verba hæc ex Galeno vbi loquitur de tertiana notha, dicit Galen. si oportuerit, mittatur sanguis, & ideo in hoc reprehendendus non est Auicenna, sed si reprehendendus est,illud est, quia nunquam clare loquitur, sed confuse semper, debebat enim dicere in tertiana simplici non mittendus est sanguis,in spuriis autem sic,& hoc satis quo ad hæc duo dubia.

Reuertamur modo ad textũ, SED BALNEA CALIDA, &c.cõclusio est quod balnea calida cõferunt in euacuãdo corpus,vbi enim quis est in balneo calido,meatus & pori cutis rarefiunt, & humectantur etiã interiores corporis partes,& mediocriter cõcoquuntur humores,& mediocriter concocti difflantur insensibiliter, quoniam meatus

cutis

cutis sunt aperti, & hæc est prima vtilitas balnei, quæ primæ satisfacit indicationi sumptæ à materia, quæ euacuãdum esse indicat, quia eũacuatur materia insensibiliter per difflationem, præterea satisfacit etiam secundæ indicationi sumptæ à forma, quia per balneum refrigeratur & humectatur corpus: vt patet per Galenum ibi TAMEN QVOD SVA QVALITATE, &c, sed notate Domini quod in hac aqua communi est quædam potentia ad refrigerandum & humectandum, vel calefaciendum, prout calidum & frigidum quicquam admiscetur ei, dicet quis non es assequutus mentem Galen. dicit enim quod ipsa aqua potentia refrigerat, ista potentia est in propria forma, ergo à forma habet aqua quod etiam refrigeret, hoc aliàs pollicitus sum vobis soluere, respondeo itaque quod non dubium est quod aqua in sua potentia sit frigida & humida, & hæc qualitas frigida, & humida, vel est forma substantialis (vt voluit Alexander) vel saltem proprietas quædam immediate cõsequens formam substantialem nobis ignotam, sed aduertatis quod aqua est corpus simplex & elementum, & in elementis scilicet in corporibus simplicibus formæ siue qualitates (quomodo vultis) sunt intẽsibiles & remis-

ſibiles, quia recipiunt inteſionem & remiſſionem, nam ſi non fuerit intenſio,& remiſſio in formis ſequeretur quod mixtio non daretur, ſed eſt mixtio quam Empir.& Ariſtotel. voluerunt eſſe miſcibilium alteratorum vnionem, ergo etiam datur intenſio & remiſsio in formis, oportet ergo ſi mixtio fieri debet quod miſcibilia intendantur, & remittantur, & eorum aliquid tamen ſuperet, hoc itaque eſt proprium formarum ſimplicium quod intendantur,& remittantur, quod ſi forma ita faciat, ergo etiam quæ formam conſequuntur accidentaliter efficerentur, & ſuſciperent intenſionem & remiſsionem, quod ſi frigiditas eſt forma habeo intentum quod remittitur, quia ſi eſt forma,forma ſua remittetur,ergo etiam qualitas ſua, vbi enim remittitur forma mutatur proprietas conſequens formam, & remittitur eſſentialiter, vbi enim aliquid & admiſcetur aquę,fit quędã mixtio, reprimitur forma aquæ, & non amplius refrigerat, vnde ſuſcipit formam mediam, & pro viribus admixti vel vehementius, vel acrius calefacit, vel minus, hoc autem non eſt in aliis formis præterquam ſimplicibus, ſi enim accipiatis mixtionem frigidam optime addẽdo,& cum alio admiſceatur mixtio,non videbitis illam remiſsionẽ,

ipſa

ipsa igitur corpora mixta, & temperata, & complexionata, quæ propriè habent formam quæ temperaturā consequitur, suam indiuisibilem habent formam, habēt etiam quæ cōsequentur illam formam, quæ si remittatur, & quæ cōsequitur remittetur, sed formā remitti non potest, quia si remitteretur corrumperetur, ergo remittitur forma, & quæ consequitur ad ipsam, vbi ergo fit mixtio apij cum pipere, illa est quædam appositio non mixtio, apparet enim quædā vis formæ vniuscuiusque extremi, & quod præualet, totius denominationem habet, si calida accipiamus in primo gradu & etiam refrigerantia, si accipietur tunc corpus, nec caliditatem nec frigiditatem percipiet, non quod corpus non calefaciant, & non refrigerent, sed quia non sentitur illa nec aliquæ in corpore percipitur sensatio quæ excedat, & quia vnaquæque pars seruat formā propriam videatis in theriaca, habetis in theriaca ipsum opium in parua quantitate & est stupefactiua caliditas non agit in frigiditatem opij, nec in caliditatem agit frigiditas opij, sed integre permanet, & non adinuicem agūtur, sed restat integra vniuscuiusque forma, sed vbi fermentantur corrumpuntur illæ formæ, & fit alia quædā forma ab aere ambiēte, sed ante fermētationē

ſingulæ faciunt proprium munus, ſtat ibi forma opij, ſed quomodo? quia multum refrigerat, non tamẽ eſt in his frigiditas vel caliditas niſi in potentia, & non in actu, ſed potentia quæ conſequitur formam ſuam; in his enim nulla qualitas eſt in actu, & ideo vbi cõponuntur hæc quia potius tunc fit iuxta appoſitio quam mixtio, ideo non datur actio & reactio inter ipſa, quia forma non agit formam, ſed ſingulæ faciunt ſuum munus, ſcitis ergo quare refrigeret aqua, & calefaciat, refrigerat ſtando per ſe, nec ſi cum aliquo alio admiſceatur, calefacit autẽ ſi aliquid apponatur cum ea quod calefaciat, vt anethum, apium, & huiuſmodi, & quod pręualet denominationem facit in qualitate, ſi enim erit aliquod ſimplex, quod caliditate ſuperet, aqua etiam calida denominabitur, & de hoc iam ſatis dictũ. MARINAE VERO SALSAE, &c. marinæ aquæ quandoque ad vſum tertianę exiberi poſſunt, ſi vos lauetis hominẽ in principio tertianæ in aqua nitroſa & ſulphurea, vos euacuãdi vtilitatem habebitis, nam cutis poros aperiet, & euacuabit humores, diximus aquam calidam aperire, ſed longe magis aperit aqua marina, aut ſulphurea, & ſic quo ad hoc magis agit, & euacuat, ſed non eſt ita vtilis ſicut balneum aquæ dulcis,

dulcis; quæ duas habet proprietates, altera quod poros patefaciat & cõcoquat humores, ex quo etiam faciliter difflantur, & alteram quam non habet aqua marina, quod refrigerat & humectat, ideo eligenda est hæc magis, vnde dicit Galen. PLVS QVID BILIS, &c. Notum est quod aqua marina plus euacuat bilẽ quam aqua dulcis, VERVM, &c. sed est minus vtilis, & quia non refrigerat & humectat, sed magis calefaceret & exsiccaret, ideo præstat domini ab his abstinere, cum magis qualitate sua noceant quam euacuando iuuent, quia præcipuè attendendum est in tertiana at consulamus caliditati febrili, & secunda intentio debet postponi, & quoties curabitis per indicationem sumptam à materia, omissa indicatione à forma sumpta, & in nullos incurretis errores, vt etiam incidit iste medicus, de quo dicit Gal. EQVIDEM NOVI, &c. dicit se nouisse hominem qui talibus balneis vsus est & ægrum interfecit ex vsu illarum aquarum marinarum, & dicit quod deuenit ad tabẽ ex qua mortuus est, RELIQVO AVTEM VICTV, &c. male etiam regebat ipsum quo ad victum, quia exhibebat calefacientia, quæ quidem augebant bilem, AT CONTRARIA QVALITATIS, &c. non so-

 lum

lum debemus habere indicationem à mate ria sumptam, sed etiam à forma tanquã id longe commodius, &c. domini semper memores esse debemus primæ intẽtionis quæ sumitur à forma, quia nunquam hæc omitti debet, sed potius omittenda est illa quæ sumitur à materia, IN BALNEIS VERO, &c. vbi dabis balneum aduertatis locum, quia est vertendus madescat, & non abluatur, quia intentio Galen. est vt madescat corpus, & humiditas aquæ ad profundum penetret, & non in superficie, quia madescere dicuntur illa corpora vbi humiditas ad profundum penetrat, humida verò non sic dicuntur, si ergo nitrosa fuerint balnea non madescent, sed potius exsiccabunt vbi AVTEM CALENTE OLEO, &c. nunc declarat modum quo deducatis ægrum ad balneum, prius enim inquit huiusmodi corpora oleo perfundenda sunt calido, scilicet tepido, videatis Gal. quarto de tuen. san. vbi dicit quod corpora debeant prius & posterius oleo illiniri, & ratio huius est, quod vtile est in corpore non exhalare, permittetur præterea etiam ex superfusione olei, & tunc humectat magis corpus humiditas olei, ac efficit etiam quod aqua nõ faciliter recedat à poris, QVAE VERO BALNEVM, &c. dicit quod si tertianarius

æger

æger solitus est stare in balneis quod non periculum est, etiam si lauet se bis in die: sed illud, &c. dicit enim quod non vnoquoque tempore morbi datur inire balneum, non enim in augmento, & quando febris adest magna, sed in declinatione, & apparentibus signis concoctionis, A VINO VERO, &c. vidistis vbi loquebamur de pestilentibus febribus, tres esse casus in quibus non datur vinum, primus casus est, vbi materia sit cruda, secundus vbi est delirij suspitio, & capitis dolor: tertio vbi est inflammationis suspitio in aliquo viscere, nam si tunc vinum dabitis enecabitis hominē, vt in pleuritide apparet, & in habentibus hepar inflammatum: abstinendum ergo à vino & non apparentibus signis concoctionis, & ante concoctionem non licet exhibere vinum, quia ex eo agitantur humores & prouocat illos, non debet autem modo ante concoctionem exagitari, & ad exitum parari, hac ratione moderni male faciunt exhibentes syrupos diureticos, & qui materiam exagitant ante concoctionem ipsius, vt est syrupus bisantinus, de duabus radicibus & consimiles alij, sed dicet quis mihi Galen. exibuit apium, & anethū non apparentibus signis cōcoctionis, hoc declarandū est, quia hæc dantur quando materia est in motu, &

natura

natura illum perficere ex se non potest, tũc in huiusmodi casu permittimus, vt naturá adiuuemus sicut hic facit Gale. quia materia ad vrinam tendebat &c.

Indicatio quæ ab essentia morbi sumitur (vt vidistis) erat secunda altera à materia sumebatur, altera à forma: verum Gale. proposuit solam indicationẽ à forma in qua dixit cũ alterantibus contrariis procedendum esse, & nõ dedit modum quo illum ageremus, propterea nunc declarat instrumenta & dicit, quæ verò sunt instrumenta hæc quibus debeamus refrigerare & humectare &c. notate quod multifariam refrigerare possimus vel scilicet cũ his quæ exterius tantũ applicantur, vt fomenta, frictiones, linimenta, quandoq; cum eis quæ interius & exterius vt est aer, qui interius & exterius sumitur, quædam verò sunt instrumenta quæ tantũ interius & cibi & potus, & medicinæ, quæ tamen per os sumuntur, hoc in loco nos vtimur tantum his instrumẽtis quæ interius sumuntur scilicet cibis & potibus. Sed dicet aliquis, quare Gale. prætermisit omnia alia medicamentorum genera? domini id ea ratione fecit, dixerat enim supra cum tertianæ essentiã declararet esse morbum benignum, & mãsuetum, ideo cum ita sit, sola victus ratione curari

posse

posse existimauit, quoniam ea nō tantū accidentaliter, sed substantifice refrigerat, & humectat, & non per qualitatem solā sicuti alia, præterea etiam ex aliis assumptis calor innatus admodum augetur quo ad substantiam propriā, vt deinde validius pugnare posit contra morbum, & agētes hi cibi & potus frigidi & humidi in calorem igneū excedētem frigiditate sua & humiditate reprimunt illum, vnde (vt sæpe diximus) nos ex Galeno septimo de plac. Hipp. & plat. & in Aphoris. etiam calor innatus consistit in quodam temperamento, modo enim quia adiiciatur calor & fiat igneus dicitur validior quo ad operationes omnes, sed debilitatur potius & perimitur, est alia causa & fundamentum, quia cibus & potus magis agunt quam alia, vt puta medicina in corporis humidum siquidē (vt scitis) medicinę corpus alterare non possunt, nisi ponātur in actu à calore naturali, & ipse calor in eis agat & nisi penetrent, & cum ita sit longe magis conferūt cibi & potus quam medicinæ quoniam ipsi naturæ sunt familiares, & cum primum sunt in corpore, calor innatus agit in ipsos, & attrahit ad se, vnde magis penetrant, & quoniā magis etiam refrigerant, vnde videtis Hippo. in primo & secundo de ratione victus in acutis pro alteration

tatione idest pro refrigeratione & humectatione febris acutæ non fidit ellectuariorum multitudinem tradere syrupos & huiusmodi sed deuenit ad cibaria vim habentia refrigerandi & humectandi, DEBENT ITA ESSE &c. Hinc domini vos animaduersos volo, ne in errorem incidatis quo ad hos cibos exhibendos, in quos multi imperiti medici solēt incurrere, quia vt vel fœminis vel asſidentibus indulgeant, aut ægroto, exhibent vinum, carnes vitellinas, & huiusmodi quæ calefaciunt à quibus materiam febris exagitant, vt etiam formam credentes postea syrupis ægri corpus refrigerare sed decipiuntur hi, quia magis operabuntur calefacientia illa quam syrupi: imò sæpe sunt causa mortis, quia aromatarii auaritia illa non rectè hos conficiunt cibos, & longo etiam tempore in vasis illis detenti succus eorum putrescit, & ideo non est mirum si nihil operentur, & licet etiam essent rectè compositi, tamen in exhibitione eorum periculum est, quando huiusmodi syrupos medici exhibent in aurora, in quo tempore ægri sæpe dormiunt & nondum (vt plurimum) ob debilitatem caloris compleuerunt digestionem, quando tunc ipsis concoctionem] impediunt, & ex illis syrupis nocumentum inducunt quia non facta

conc

concoctione contribui non possunt, sed agitatur materia illa cruda, & pro hoc videatis Galennum libro quarto de tuenda sanitate: quam clare loquatur vbi dicit non danda sunt diuretica stante cruditate in ventriculo, ratio est, quia fierent febres, natura inde obstructiones fierent, & materia ipsa cruda corrumperetur, non enim nego quod mane huiusmodi syrupi dari nō possint vt quinta causa si fuerit febris ardens, sit summa siccitas in ore ventriculi, cū ęstuatione magna, tūc dare debetis syrupos optime confectos, & refrigerandi & humectandi materiam habentes, vt etiam corporis meatus aperiatis, & obstructiones, & hac de causa par est constitutos esse syrupos à medicis, sed si cruditatem adesse videbitis in ventriculo nullo modo dare debetis, syrupos, sed melius est deuenire ad cibaria & ad potus vim refrigerandi & humectandi simul habentia, vt est ptisana, quam ego ad febres acutas solitus sum exhibere, videamus modo quid de cibariis & potibus dicat Galenus CIBVS AVTEM &c. instrumenta dare incœpit quibus refrigerares & humectares indicatione sumpta à forma: modo dicit quod huiusmodi cibus maxime confert tertianariis, nam inter tertiana ratione vtriusque indicationis debe-

mus

mus refrigerare & humectare, in aliis autem febribus habemus indicationes refrigerandi & humectandi tantum à forma non à materia vt quotidiana & quartana quæ frigidam habet materiam,& ideo si hæc infrigidantia,& humectantia exhiberemus,augeremus materiam ipsarum febriũ,vnde dicebat Auicenna prima quarti cap.de cura vniuersali feb.putridarum, quod exhibentes frigida,& humida in febre quotidiana, nocemus illi ratione materiæ,quia materia est frigida,vt pituita,& melancholia,quãdoq; iuuamus illi ratione scilicet formæ, sed ipse est obscurus, TANTVM AVTEM DABITIS &c. hoc proprium est omnibus quod semper à cruditatibus cauere debetis, sed precipue in febribus tanquam ab inimico, & assidentes ægro indulgentes cibaria præter rationem exhibet,ab opere desistendum,quia ex his nisi robusti fuerint,incidet ex vna febre in aliam intormina,impedum, & faciei tumorem,& huiusmodi alia multa incommoda,sed tantum cibi dare oportet, quantum à natura recte confici potest,quia aliter in longũ febris protraheretur, multiplicatis superfluitatibus in corpore,& obstructionibus in hepate, EX CELERIVS ALTERANTIBVS &c. REFRIGERANTIBVS ET HVMECTANTIBVS,

BVS, per cibos omnes & alimentorũ genera optime discernit, sunt grana quæ comeduntur, vt triticum, & quæ nascuntur ad vsum humanũ, in primis sunt olera, secundo fercula, tertio enumerat pisces, quarto carnes, quinto oua, sexto ipsosfructus, & credo domini quod alia nõ inueniretis quam ista hic enumerata à Galeno, incipit autem ab oleribus, & cum plurima sint olera habentia salsedinẽ, nitrositatem, & siccitatem, & quæ malos generant humores scilicet melancholicos, eligit olera quæ refrigerant & humectant, & quæ maxime conferant, non autem noceant, primo ergo ponit attriplicem quæ est herba frigida, & humida, in primo frigida, humida autẽ in secundo, & hęc herba nota est, & vulgariter hic appellatur tripese, aliqui inter spinachias hoc genus oleris male facientes enumerant, quia aliàs vires habet spinachia, alia attriplex, & sunt harum plantarum vires oppositę, spinachia enim habet vim abstergẽdi, salsedinem, nitrositatem, quibus exsiccat, & sitim conciliat, attriplex autẽ insipida est, & humectat, ac etiã aperit, vnde spinachię minus conueniunt in tertiana, vt plurimi credentes esse speciem attriplicis dederunt ipsam in tertiana, dicentes quod licet pauci sit nutrimẽti, quod tamen est boni chimi, ego autem

dico quod falsum est,& totum est oppositum,quia spinachiæ habent pessimum nutrimentum propter eorum caliditatem,nitrositatem & salsedinem,& malos generant humores,& attriplex bonos, & in sanguinem facile vertitur,ideo cauẽdum est à spinachiis, cum generent succos melancholicos, & biliosos, BLETAM &c. habemus blitum,& blitam quæ nascitur in ortis & cuius duplex est genus, aliud enim genus bete est nigrũ,aliud album de quibus alias dicemus:blitum autem non oritur in ortis, sed sponte sua nascitur,& est olus insipidissimum: vnde apud Plautum solent mulieres insipidæ bliticæ appellari,& est herba rubea,folia habet minora bete,& à nostris vocatur nicole,& est frigida,& humida,scit s quare tertianariis merito conuenit febribus, tumor &c.de hoc idem est dicendum lapathum à Grçcis multipliciter dicitur,& est quoddam hortẽse,quoddam palustre,& dicitur palustre est lapathum,foliis acutis & duris,quoddã est in pratis minutum tamen sicut hortense,& duas habet differentias,quoddam enim latiora habet folia,quoddã angustiora & acutiora,& habitum est hac nostra ętate in deliciis,& etiã nascitur in hortis,quod comedimus,& hoc vocant grçci oxalidam,vulgares autem vo-

cant acetosam, & est humida, & frigida, quia acida, humida verò quia habet excrementitiam humiditatem, & sic ratione huius humectat, hac autem specie mirum immodum confusa vtamini in tertiana, si quidem reliqua genera habent manifestissimam salsedinem, & si experiamini videbitis quod confert eius vnguentum pro scabie, accipiunt huiusmodi radices, & conficiunt vnguentum, quod multum valet ad scabiem expellendam, & hoc propter eius maximam nitrositatem, & absterfionem, quibus non indigemus in tertianis; eligatur itaque quæ appellatur oxalida apud græcos, LACTVCA &c. Domini hanc optime cognoscetis, & hæc nullam habet salsedinem, sed habet frigiditatem & humiditatem, & bonum generat succum, CVCVRBITA &c. merito eligit cucurbitam quæ generat pituitam, vt ex illa obtundatur bilis, EX ALIIS &c. hic secundum affert genus cibariorum, & ex ipsis affert duo genera fecundissima fercula, scilicet cremorem ptisanæ, & sorbitionem ex alica. Quantum cremor ordei conueniat patet ex eo, quia maxime refrigerat & humectat, & hoc clare habetis à Galeno multis in locis, & etiam ab Hippocrate secundo de ratione victus in mor-

bis acutis,non tantum hic ſuccus eſt conue-nientiſsimus quia refrigerat,& humectat, ſed etiam quia aperit obſtructiones,abſtergit,prouocat ſudores,laxat ventrem & nutrimentum optimũ corpori præbet,ſorbitio idem eſt quod cremor,ſed addit,ſorbitio ex condro,ſed bene aduertite domini ſi conſideremus quæ dicit Plinius in octauo libro cap.vndecimo alica longe differt à condro & à farre,& dicit quod ſit alica,vbi commiſcetur cum creta,& gypſum,& dicit quod nõ habemus,quod ſi haberemus optimum eſſet,imò dico vobis quod ſi haberemus eſſet peſsimum,propter illã gypſeitatem,ſecundũ Dioſco.videtur quod non cognouerit Plinius condrum,condrus autẽ ſit ex farre,quia vt eſt videre in Dioſcor.condrus nihil aliud eſt niſi far noſtrum,Paulus Aegineta dicit,quod condrus longe diuerſus eſt ab alica,quia alica magis ſiſtit ventrem,& alia pleraq; facit,& dicit quod hãc non habemus,ſed quicquid ſit, hoc vobis notum ſit,quod ſorbitio ex farre conueniẽs eſt in tertiana,ex PISCIBVS VERO &c. quod ſint piſces ſaxatiles,& iſti naſcuntur in fluminibus & in littoribus lapidibus & ſaxis abundantibus, & tales optimi ſunt, quia agitantur maximè inter illa ſaxa,& ideo carent excrementis, EX VOLATI-

LIBVS &c. mollia carne animalia proponuntur habentibus duras, duras autem habent vt sunt anseres, anathes, pauones, & huiusmodi, quę difficulter cōcoquuntur, molles autem sunt vt phasiani, & perdices, pulli gallinacei, & has carnes si habemus, dare debemus ægrotis, sin autem his careamus carnibus, eligamus volatilium, seu animalium duras carnes habētium partes eorum molliores, & concoctu faciliores, vt ex anathibus eligamus alas, & huiusmodi, GALLORVM QVOQVE &c. gallorum testiculi, vt in de alimentis, huiusmodi sunt, & bonum nutrimentum conficiunt, SVVM PEDES &c. videatis domini, caro porcina est boni nutrimenti, & conceditur etiam febricitantibus, porcina enim caro in nullo alio peccat, nisi quod est viscida & solida, & si concoquere possemus esset optimi alimenti, sed quia non possumus, cum delicati simus, ideo ab ea abstinemus, pedes autē suum concedit, quia non sunt ita duræ digestionis, cum maxime sint exercitati, reliquas autem partes omittamus in tertiana, & in febribus omnibus, quoniam cōcoctu facilia debent esse ea quæ in febribus exhibentur, cum hoc quod sint boni nutrimenti & c.

In superiori lectione vidistis quædā Gal.

pro illa indicatione exequenda quæ sumebatur à forma, plura instrumenta attulit, & tantũ de illis quæ interius sumebantur hoc est de cibis & potibus, refrigerantibus & humectantibus fuit contentus Galen. reliquis omissis, quia tertiana erat morbus satis mã suetus, & propter alias causas quas diximus supra, nos autem reliquis vti etiã possemus instrumentis, vbi maiore etiam opus refrigeratione, & humectatione, vt in febre ardenti, diximus etiam Gale. cum eligit cibos id ex arte sua, & per methodum quam tradidit, in primo & in secundo, de alimentorum facul. vbi inquit quicquid rationẽ habet alimenti, vel à plantis vel ab animalibus sumitur, si à plantis, vel illa sint olera, vel grana frumentacea, vel fructus, si ab animalibus, vel animalia sunt aquatilia, vel volatilia, vel pedestria, discurrit Galen. per omnes partes & species quascunque humectantes, & refrigerantes, & ex his enumerauit & elegit, & deueneramus ad pedestria, & diximus pedes porcellorum, & cerebra danda esse quia vt Galen. in text. asserebat, scire debetis pro declaratione huius rei ne derelinquam vos in tenebris, quod pedes animalium pedestrium sunt mali nutrimenti, & minimæ carnis, & illa caro viscida est, si modo animalia humida sint, & plurimæ carnis

carnis & nutrimenti pedes temperati sunt, si animalis sicci, vt bouis, hircíue, illi pedes potius ad gluten faciunt quam qui rationẽ ciborum habeant, & quoniam caro porcina humida est, quoniam in ea plurimũ humoris abundat, & plurimũ est nutrimenti, ideo pedes eorum sunt temperati, & caro illa ad temperamentum accedit, ideo pedes porcorum in ciborũ compositione sunt melioris nutrimenti, comparati verò ad reliquas suũ partes seu carnes, modici sunt nutrimẽti cõueniunt etiã magis pedes, quia sunt mẽbra exercitata, & nõ sunt excremẽtitia, ET CEREBELLA DANDA SVNT &c. cerebra sunt pessimi nutrimenti, & prouocant nauseam; & in tertiana non indigemus nausea, quoniam qui tertianã patiuntur parati sunt admodum ad vomitũ, nihilominus inquit Gal. cerebra conuenire modo præparentur exactè, & licet ex eius verbis de porcellorum cerebris possit intelligi, tamen si Auicennam audiamus tertianam curantes exquisitam, qui in omnibus immitatur Gale. ipse inquit hædorum cerebra, non porcellorum cerebra esse exhibenda, quoniam hædi sunt animalia magis sicca, sunt verò sues animalia humida: & cerebra omnia sunt humida, relinquitur ergo quod hædorum cerebra magis temperata sint, quare quod

magis conueniant, itaque locus Auicennæ, potius accipiendus est, SI CARNES COCTVRA LIQVEFACTAS ILLICO PRAEBVERIS NIHIL NOCEBIS &c. postquam plura attulit alimenta nunc de carne etiã suum ait posse cõmodè exhiberi, quoniam intentio Gal. est refrigerare, & humectare, & bonum præbere alimẽtum quod faciũt porcellorum iuuenum carnes, SED ET OVA SORBILIA PERMITTANTVR &c. dicebat Gal. secundo de aliment. cap. de ouis: quod oua vt varie coquuntur, ita & varia præstant alimenta, sunt pessimi alimenti si coquuntur in sartagine cum oleo, vt etiam dixit Auicenna, si dura efficiantur durioris sunt concoctionis, & generant crassos humores, si fuerint tremula multum & facile nutriunt, trementia vocantur, quoniam nondum solida sunt, sed vbi deposuerit corticẽ tremunt, si verò sunt tantum modo calefacta non adhuc coagulatum albumen dicuntur sorbilia, & ista facile excedunt alia, & bene nutriunt, sed non multum, cõcoquuntur talia faciliter in ventriculo, Gal. tamen dicit oua sorbilia maximè conuenire & præcipue lutea, quia albumen aut nihil nutrit, aut difficilioris est cõcoctionis; propter eius maximam viscidi- tatem, & refrigerationem, & quanto magis

natura

natura quærit concoquere, tanto magis induratur, dicetis vos luteum etiã induratur, & tamen nutrit, dico quod non induratur à calore naturali quomodo habet albumen, quare à calore nostro non potest indurari, EX FRVCTVVM AVTEM GENERE, SI GVSTARI CONCEDVNTVR QVI OMNINO DIFFICILES CONCOCTV NON SINT &c. hic aduertere debetis multas modernorum quæstiones an fructus in febribus conueniant, an ante septimam, & intrincantur, tamen ex Auicenna, in tract. secundo fen. primæ quarti, cap. septimo vbi de intentione agens de curatione febrium in vniuersali ponit, & ipse fructus inter reliqua edulia, licet addat, fructus omnes febricitantibus nocere sua ebullitione, & corruptione in ventriculo, propter illa verba sui interpretes intricati sunt, hic autem Gal. diuine & docte loquitur, & omnes tollit dubitationes & primo dixit gustari conceduntur, non dixit nutriri, & præterea ex eorum genere sunt, qui omnino concoctu difficiles non sint, fructus & omnia alia difficilis concoctionis esse possunt, propter duo, aut quia calor naturalis non potest recte dominari, & diutius immoratur vt finem assequatur intentum, alio modo quia calor concoquere tentauit,
 & iam

& iam alterare cœpit, sed ante quam finem assequatur intentum corrumpit, ita quod cum difficultate finem attingit intentũ, siue modo non attingat, quia iter per longitudinem transire non possit, vel quia plurimum defatigatur calor, fructus sæpe sunt difficilis cõcoctionis, quia multum temporis requirunt vt cõficiantur, sicut cotonea, pira, granata acerba, plerunque sunt difficilis digestionis, quia corrũpuntur vt cerasa & vtrũq; genus horum est euitandum; tum id quod facile corrumpitur, tum id quod longo indiget tempore vt concoquatur, vult igitur Gal. vt degustentur qui coctu faciles sunt, & si vos hanc tenebitis metam videbitis quod Gal. non contradicit veritati, & quæstiones modernorum non erunt contra illum diuinum medicũ, Auic. nominare tentauit qui sint isti fructus & inquit sunt sicut granata dulcia, vel muzza idest medij saporis & pruna bene matura, textus antiquus correptus est, & dicit immatura, qui verò correxit dicit matura & rectè, quia bene concoquuntur, & annexam habent quandam humiditatem quæ refrigerat, quæ verò immatura sunt, acerba sunt, & astringunt, quæ verò astringunt vitanda sunt in febribus, addidit vltimo & melones indi maximi sunt iuuamenti, hi autem sunt quos augurias vulgo

go appellamus, & Auicenna non falſo loquutus eſt, quia voluit idem quod hic Gale. A MELLE VERO, SINAPI, SALSAMENTIS, ET OMNIBVS ACRIBVS PROHIBERE OPORTET, ET VINIS ADMODVM VETVSTIS &c. hæc omnia clarum eſt non conuenire, quia omnia ſunt calida & ſicca eadē à qualitatibus & ſubſtantia, ſunt penitus aduerſa tertianis, nos autem indigemus bono nutrimento cum humectatione & refrigeratione, quæ reperiuntur in iſtis, hactenus multarum rerum ſyluam propoſuimus, quæ rectè intelligi non poterunt, niſi quæſtiuncula declaranda proponatur. Galenus enim tot genera nutrimentorum dedit, quæ oppoſita ſunt, vt mirum ſit: quid enim habent ſimile olera cum carne porcina? vel caro porcina cum fructibus, & quid habent ſimile hædorum vel porcorum cerebra cum ptiſana? iſta videntur toto genere diuerſa, quomodo igitur Galenus fuit ita indiſtinctus? iſta omnia confundit, voluitne vt pro ſingulorum apparatu omnia darentur, an certa ſit regula, an hoc vel illud ſit dandum? Præterea hic videtur eſſe maxima difficultas, laudat ea quæ facilis ſunt concoctionis, & quæ facile corrumpuntur, & tamen non videntur hæc

in febribus esse exhibenda, quia quanto potentius est aliquod agens in agendo, magis resistēs requirit obiectum, vbi enim improportionatum est agens cum passo, non fiunt actiones conuenientes, vbi apponitur ignis rei citò inflammabili (concoctionis loco) adustio habebitur, præterea nónne dixit Gal. qui calidum ventriculum habent optimè concoquunt carnem bubulam, at si pullam exhibuerit quis, in fumum conuerteret ac nidorem, si ergo solidum nutrimentum potenti conuenit calori, debili nō, quia debilis sit resistentiæ, igitur vbi febrilis calor aderit, qui est naturalis ad igneum versus & potentior in agendo, si exhibeantur ea quæ facillimè concoquuntur, nónne in fumum ac in nidorē conuertentur, his duabus quæstionibus propositis, hanc secundam primo soluemus, quia ex solutione huius etiam apparebit quid sit respondendum ad primam. Quantum attinet ad solutionem secundæ quæstionis hoc scire debetis, quod calor igneus existens in corpore dicitur igneus respectu caloris temperati existentis in humido corpore temperamento vel etiam frigiditate, alio modo dicitur igneus, cum calor naturalis propter aliquod aduentitium mutatus fuerit in igneam qualitatem, quia aduenit illi quid præter naturam, siue accesserit

eesserit sola qualitas, siue etiam commisti fuerint cum eo vapores ignei, illud sit primum suppositum, secundum suppositum est hoc, calor naturalis vario modo potest intelligi, quidam est remissior, quidam intensior prout varij sunt eius gradus, imò in eodemmet homine, non æqualis, sed aliquando validior est aliquando frigidior, aliquando minor, aliquando copiosior in substantia, vbi postea calor aduenit aduentitius, & admiscetur calori naturali, pro mẽsura istius caloris naturalis, calor aduentitius maior vel minor redditur, quinta causa, si quis habeat calorem naturalem paucũ, ac debilem & in igneum vertatur, licet in eo corpore operationes ignis cernantur, tamen si comparetur ad alium calorem præter naturam alterius qui habet calorem naturalem multum & validum, non erit ita igneus ille calor, in eo qui debilem & paucum habet calorem naturalem, sicut in illo qui multum habet ipsius caloris naturalis, vnde corpus senis febrientis frigidius apparebit, quam iuuenis robusti similiter febrientis, quod etiam apparet ex Hipp. primo Apho. Apho. decimoquarto vbi dicit quod senes nõ similiter corripiũtur sicuti & iuuenes, quia eorum corpus est frigidum, quare non immerito moderni dicunt calorem febrilem

brilem ramificare in quocunque calore naturali id est quod qualis est mensura caloris naturalis, talis est mensura caloris febrilis siue ignei, si enim paucus est calor naturalis, paucus est etiam calor febrilis, ideo qui sunt prope mortem refrigerati sunt, & tamen febricitant: illud est quia eorum calor innatus tũc temporis est paucus, hac etiam ratione contingit quod in febre pestilenti non appareat maxima caliditas, quia cum putredo sit in humoribus cordis, vel in substantia ipsius, statim virtus cadit, & calor deperditur naturalis vnde cum sit paucus, etiam calor igneus est paucus tunc tertium suppositum est cum adiungitur calor naturalis cum aduentitio: intelligo tamen non duos esse calores, sed vnum tantum, & illum esse naturalem seipso acutiorem redditum, propter additam qualitatem, vel substantiã igneam, cum inquam calor naturalis adiungitur cum aduentitio, vel superat igneitas calorem naturalem, vel calor naturalis superat igneitatem, vel contingit quoddam mediũ vt sit anceps in operationibus, quando calor naturalis dominatur, & naturales operationes apparent, tunc calorem naturalem dicimus superare igneam qualitatẽ, quando verò operationes non naturales apparent, tunc dicimus calorem igneum superare

rare calorem naturalem, quando verò operationes medio modo se habent inter naturales & non naturales operationes, tunc dicimus esse quoddam medium. His tribus suppositis, dicimus primo pro conclusione, quod vbi calor naturalis fuerit igneus in aliquo corpore non aduentitius, sicut in corpore colerico, nullomodo huic corpori cõueniunt quæ sunt facilis concoctionis, quoniam vnicuique subiecto propria alimenta debent proportionari, ideo si struczi omni qui digerit ferrum exhibentur pulli, credo quod vita deficeret, quia si huiusmodi corpori talia exhiberentur, quæ facilis sunt cõcoctionis in nidorem & in fumum conuerterentur, ideo illi oua sorbilia non erunt cõuenientia, qui vero habent calorem istum aduentitium calori naturali additum, qui tamen calor innatus non sit destructus, quia si destrueretur etiam vita destrueretur, vt mors (vt dicebat in lib. de Marasmo Gal.) nihil aliud est nisi extinctio caloris, ideo moderni dicunt calorẽ febrilem esse præter naturã, prout præter naturalitas opponitur naturalitati, non autem vitæ, dico, tunc maxima incommoda patitur, nam eius substantia diminuitur & qualitas corrũpitur, si calor igneus superat naturalem, id est, omnes operationes caloris ignei tantum apparent

per

per tertium ſuppoſitū,fit hæc ſecunda quæſtio huic corpori non ſunt exhibenda oua ſorbilia, & quæ facillimè corrumpuntur, ſed ſolidiora ſolummodo refrigerantia & humectantia,ſi autem calor naturalis calorem igneum ſuperat, ita quod operationes caloris ignei non appareant, ſed calor ille concoquat licet diminutè, quia tamen impeditur,quando operatur,efficitur minor à calore igneo tum in ſubſtantia quia diminuta tum in qualitate ſua, quia corporea eſt,& quoniam naturalis calor vt cibaria in optimum nutrimentum conuertat, plurima indiget ſubſtântia, iuxta illud Hipp.primo Apho.13. qui creſcūt plurimum habent caloris innati &c.quia quantitas iſta non reperitur in calore naturali,quia reſoluitur & deſtruitur ab igneo propter hæc fit hæc tertia quæſtio. Huic corpori ſunt exhibenda alimēta pro ratione caloris,& quia in quātitate minor eſt quam prius,ideo alimenta exhibenda ſunt facilis concoctionis,& paucæ nolis,at verterentur ad qualitatē igneā, falſum eſt,quia iam dictum eſt calorem ſuperare qualitates ignis, ideo concoquerentur,ò,verteretur aliquid ex his alimētis pro ratione caloris ignei in nidorem, verum eſt, ſed hoc parum refert, nam nónne dicebat Gal.in tertio de ratione victus in acutis,vix
medica

medicamenta inueniri posse quæ aliqua ex parte non noceãt, sic in casu nostro, si ad est aliquid præter naturã, quod suã facere vult operationẽ plus tamen erit iuuamentũ quã nocumentũ, quia & si talis cibus pro aliqua parte vertetur in nidorẽ, maior tamen pars conuertetur in laudabilem sanguinem, qui postea obtundet calorem igneum, & hæc satis de prima actione, quantum ad secũdam an omnia ista à Galeno numerata inter se diuersa cõueniant an sint casu dicta, an verò in eis ita se habent quod vnum conueniat, aliud verò non cõueniat, & licet pro morbi ratione sint indicationes eædẽ refrigerandi & humectandi, tamen ratione relationis ad naturã corporis affecti, quantũ ad tempus, consuetudinem, mores, ætates, proprietates indiuiduales, vel propter temperaturam, si exhiberetis pthisanam accesceret in stomacho & vomeret, aliqui vero pthisanæ odorem percipere non possunt alij oua assueti sunt comedere, hæc omnia habenda sunt in consideratione & secundũ varias temperaturas, secundum ætates, secundum consuetudines modo vnum, modo alterũ conuenit, aliquando oua sunt eligenda, aliquando solidiora aliquando fructus propter delicatas naturas vt degustentur, & hoc est quod proferebat Gal. hæc quidẽ victus ratio multo-

rum est, non dixit vnius, & dixit etiã Gal. in textu ad coniecturã traditam, quia comparatio naturæ corporis ad morbũ, tota coniecturalis est: secundum igitur quod coniicietis (dicit Galen.) ex arte tradita scietis quæ sint alimẽta ex enarratis eligenda, &c.

Duas quantitates proposueramus in superiori lectione quas etiam soluimus exactissimè, & licet parti capitis satisfecerimus vndequaq; Gal. docuerit indicationes inueniendi remedia, tamen habeatis, nondũ tantum actiones vestras limitare potestis, sed opus est vlterius progredi & talia particularibus applicare, ideo nos gratia exerciti, vt intentio nostra ad huiusmodi determinaretur particularia casum proposuimus, Socratem, scilicet affectum, non quidem dicendo tertiana laborantem febre, quoniam ex apparentibus signis nos cognoscere volumus quo morbo laboret, & ita incipiemus, certum est quod hic est aliquid quod afficitur & ægrotat, & illud est corpus: secundo considerare debetis id quod perpetuo assistit, quod quidem modo se tenet ex parte eius quod affecit: tertio aër ambiẽs est considerandus, quia semper aliquid molitur in nobis, tria ergo sunt quæ semper in animo habere debetis, primum est corpus quod afficitur, secundum est morbus qui afficit,

ad

ad quem oculum habere debetis & videre quis,& qualiter sit, tertiū est dispositio aeris quæ spectanda est quem in modum, an pro illo faciat corpore, an verò contra operetur adiuuando morbum; vbi per hæc rectè discurretis, omnia quidem rectè procedent, illis tribus veluti scopis propositis, primo circa illud quod afficitur, id est circa corpus discurretis,& quæcunque exterius accidentia quæ apparent consideratis, & supposito quod Socratis corpus sit subalbidū, sed albedo illa sit pallida ad citrinitatē tendens, hoc primo in vestra seruabitis mente: secundo tangendo carnes etiam si non ægrotaret mordaciorē percipietis calorem, sed quoniam iam febricitat, nec cognosci potest tunc temporis eius calor naturalis, ideo interuallo, quando non febricitat id cōmode faciamus,& supponatis quod calorem mordaciorē inueniatis quā in aliis corporibus inueniri soleat,& quam temperato corpori cōueniat, tertio ipsam cōsiderabitis superficiē,& tangetis eam,& an mollis sit, vel aspera videbitis: sit igitur Socrates iste qualem pinximus caloris acris, subalbidi coloris ad citrinitatem tendentis,& quo ad tactum cutis sit aspera, præterea quo ad ea quæ in cute oriuntur, scilicet quo ad pilos sit pilosus, circa thoracē & circa hipocondria & pi

los solidos, sub Ruffi coloris habeat, quarto instrumenta cõsiderabitis, & supponatur quod proceræ sit staturæ, & latos & amplos habeat musculos, faciẽ oblongam, tempora plana, quo ad vasa habeat venarũ arteriarũmq; amplitudinem, ista autem sunt quæ exterius apparent circa accidentia, his considera tis, circa operationes accedetis, & primo animales considerabitis, & huiusmodi Socratem multarũ operationum esse supponere debetis, velocis discursus qui non in vno tantũ perseueraret discursu seu proposito, bene memoretur, & bene imaginetur & hoc quantum ad operationes animales intrinsecas, quantũ ad extrinsecas visum, olfactũ, & omnes alios sensus vegetissimus sit, postea ad vitales accedetis, & primo circa operationes cordis discurretis, & circa eius mores, audietis ab astantibus saltem ipsum esse iracundum, & magnam habere cõstantiam, & vigorem, & deliberationẽ in rebus agendis, & quod vbi aliquid proposuit, vult exequi etiam cum periculo, præterea cum tangitis pulsum, arteriæ mouentur, non quidem ad magnam distantiã, sed velocissimus est ipsarum motus, habet præterea pulsus aliqualem duritiem & frequentiam, sed frequentia non est velocitati similis, maximam vehementiam & resistẽtiam habet,

præterea

præterea quātum ad actiones naturales, vir iste famem tollerare non poteſt, ſed vbi fameſcit ſtatim incidit in ſincopim, nauſeā, & oris amaritudinem, optime concoquit cibaria craſſa lagana, legumina, & carnes bubulas, & ſi oua illi darentur nidorem in ore perciperet, ac ſi eſſet quid corruptum, aut nidoroſum in ore ipſius. Quantum ad excrementa aluum habet abſtrictam difficulter digerit, rubeas habet vrinas, ſudor acris eſt, & hoc quātū ad accidentia, & ad actiones omnes & excrementa quæ in Socrate apparent conſideranda: præterea ſunt alia annexa quæ ſunt ætas, conſuetudo, exercitia & natura propria, quātum ad ætatem, nunc vigeſimum agit annum: quantum ad cōſuetudinem, & victus rationem ſolitus cibaria cuiuſque generis in maxima copia comedere, vina acria & potētia bibere, & vſus eſt plurimo exercitio, quantum ad naturalem proprietatem nullo pacto tollerat medicamenta neq; etiam odorē ipſarū, & nunquā aliquo medicinarū genere vſus eſt, ſed ſemper ſanam duxit vitā, iſta ſunt omnia, quæ conſiderari debent in huiuſmodi caſu à nobis propoſito, vt vos inſtruam & in mentibus veſtris habitum faciam. Hactenus nihil habetis niſi exterius apparētia. His propoſitis quia intentio veſtra eſt huiuſmodi

naturam corporis inuenire, cuius sit, scilicet temperaturæ, postea ad alia accedere, quoniam nec sumus in naturalibus dispositionibus ita procedere debetis, nemini dubiū est, quod vbi calor adest talis, qualē pinximus, quod denotatur quantū ad hoc, in hoc corpore esse caloris dominium, quia etsi alimenta bene cōficiat, plus tamen debile generat quam oportet, non tamē adustus est, quia si adureret ille calor, non tantū bilem generaret, sed etiam humorem adustum, & tunc subnigrum esset corpus, huiusmodi enim corpora à medicis colerica, & calidæ & siccæ tēperaturæ appellari solent, bene dicunt esse calidæ & siccæ temperaturæ, sed non sequitur quod colerica sint: & aliud est dicere corpus biliosum, in quo dominatur bilis, & aliud est dicere calidæ & siccæ temperaturæ, quoniam huiusmodi corpus est, in quo bilis dominatur, & humor melancholicus adustus, discernuntur autem, quoniam corpus quod flauum est cum pilis ad rubedinem tendentibus calide & siccæ temperaturæ est, & bilis dominatur, at album est id corpus tendens ad crinitatē, quoniam ibi non adest adustio, quæ faciat nigredinē, nam (vt dicebat Gal. quarto de tuēda san.) talis apparet calor cutis, quale est humorū dominiū, nisi in profundo decumbāt, raro autem

autẽ decumbunt,& cum dico calida & ſicca temperies, non fixos terminos poſtponimus, ſed latitudo immenſa eſt,imò à medicis præfixi termini cognoſci non poſſunt, habet prætereà calorem acutiorem quam temperato corpori conueniat, ex hoc acutioris caloris dominium arguitur, ſi poſtea cõſiderabitis muſculorũ amplitudinẽ,proceritatem ſtaturæ, omnia iſta arguunt caliditatem à principio generationis,habet naſum oblongũ,tempora plana,capillos craſſos, fuluos, arguitur ex hoc cerebrũ eſſe talis tẽperaturæ,qualis eſt corpus,habet pręterea vaſa,venas,& arterias amplas quæ indicant cordis caliditatẽ & hepatis cum reliquis adnatis cordi:habet preterea animales operationes vegetes plurium operationum,& multorũ diſcurſuum, ſed non perſiſtit in vno propoſito,hæc omnia indicãt cerebri caliditatem,alij etiam ſenſus exteriores vegetes ſupercaliditatem atteſtãtur cerebri:quantũ ad vitales attinet operationes iracundiam & cõſtantiam habet, habet motum arteriarum,quantum ad magnitudinẽ multum extenditur, reſpectu dico corporis temperati,& ratio eſt, quoniam corpus temperatum eſt, & habet inſtrumentum obediẽs,neceſsitatẽ & virtutem maximã, propterea ea virtus extendit ad magnã diſtan-

tiam pulſationem, quoniam quod natura cũ magnitudine, & vno motu perficere poteſt, aut quærit velocitatem, aut frequentiam, verum illorum corpora, in quibus eſt caliditas & ſiccitas, primo virtutẽ ita vehemẽtem, ſicut & temperatum corpus habet, non habent præterea inſtrumentum, inobediens habent, quia ſiccum eſt in cõparatione ad temperatum, ideo pulſus non extenditur ad eam magnitudinem, qua indigẽte eſt maior, ſed non poteſt, quia inſtrumentũ eſt inobediens, & ideo cum non poſsit virtus magnitudine euentare quantũ eſſet neceſſe propter inobedientiam inſtrumenti, oportet vt velocitate ſuppleat, cum virtus alioqui ſit fortis, ſin minus ſupplet ſaltẽ frequẽtia, tales igitur pulſus temperaturas indicant calidam & ſiccam, ſicuti, & quæ exterius apparẽt, & circa operationes animales, & vitales omnia indicant temperaturam calidam & ſiccam, vt habetur ex Galeno tum in ſecundo de temperamentis, & in ſecundo artis paruæ, tum etiam ab ipſa rei natura, quia ſciuiſtis iam ex noſtra vniuerſali methodo, qui ſunt calidi, vel frigidi ex effectibus ipſorum cognoſcuntur, calidi enim eſt agere, frigidi verò pigreſcere & ſiſtere, & quia omnia iſta vehementiam actionum agunt, caliditatẽ etiã ibi adeſſe oſtendetur,

pinxim

pinximus Socratem non tollerare famem, imò ex famis tollerētia in fincopim & oris amaritudinem incidere, ex his caliditas arguitur ex suis principiis, præterea audiuistis quomodo aluum habet astrictā, & quando egerit subulos emittit, quod arguit caliditatem multā in hepate, & ab intestinis multam attrahere humiditatem, per cuius priuationem feces reddūtur ita duræ & siccæ, quantum ad vrinā fuluum habet colorem quę multā arguit caliditatē, habet acrimoniam quæ multā arguit actionē caloris in humido, omnia ista veluti chorus concurrunt in hoc corpore caliditatē esse ostēdentia, quæ non adurat, his stantibus, & stante tali tēperatura multiplicata est bilis, & continue multiplicari debet, accessit ætas xxv. annorū, consuetudo, quia bibit vina potentia, & cibaria comedit cuiuscunq; generis & multa, & exercitiis plurimis deditus fuit, quæ omnia multam bilem aggregāt, & ita quantū ad temperaturam, ætatem, consuetudinē, omnia arguunt corpus hoc plurimā generare bilem, & hæc de primo discursu, qui fieri debet circa totam naturam humanam indagandam, & de primo fonte, & de eo quod afficit, secundo considerare debetis quod afficit, morbum scilicet & dicere sic, Socrates iste totaliter affectus alternis

 diebus

diebus habet, primo refrigerationẽ extremorum, deinde succedit rigor cum concussione, postquàm rigorem euomit, & egerit per secessum bilẽ, succedit capitis dolor & delirium, circa verò horam quintam à rigore incipit sudare toto corpore, & iam declinat ille calor qui cum aëris est, siti infestatur, postea recedit exacerbatio, & mundus à febre per vnum diem remanet, tertio verò die iterum inuadit accesio.

Descriptus fuit à nobis casus in hesterna lectione, adolescẽtis qui febrẽ tertianã patiebatur, & in ipso eo ordine processimus, quo & vos procedere debetis cum causas & morbi essentiã, nécnon curationẽ inuenire vultis, & quoniã ad rectam curationẽ opus est ægri, morbi, & aëris dispositiones in qua laborat, diligenter propendere: docuimus quomodo in his vos exercere debetis, ex his omnibus quæ diximus, quis est ita stupidus qui hanc tertianã esse non cognoscat, non expectatis aliis signis? his igitur omnibus cõsideratis, scietis quis sit morbus semper, & quomodo sit curãdus, prætereà sciuistis, quomodo illæ tres causæ, videlicet natura morbi, corporis & aëris dispositio sit cõsiderãda, & optime libetãda à medico, nã quando in corpore aliquo cõsideratis solum naturalẽ dispositionẽ, tunc indicatio oritur,

vel

vel conseruandi, vel præseruandi, vel corrigendi naturalem temperaturã, vel reficiendi corpus, quod post ægritudinẽ debile remansit, igitur quando indicationes sumuntur à natura ægri non ad morbum referendo, indicationes tales nascuntur, quando verò aeris dispositiones consideratis, non ad morbum, ita quod ex his tribus extremis vnũ se habet semper ad tuendã sanitatẽ, videlicet ægri natura, aliud ex parte curabitur, natura scilicet morbi: aliud se habet medio modo, vbi postea hæc tria adinuicem referuntur indicationes curandi nascuntur, Quid igitur ad rectã curationem agere debetis, primo indicationes omnes considerate, quæ ab ipsa morbi natura sumuntur, tũc ex nostro discursu videbitis quid sequatur, quomodo, quantũ, quãdo, &c. omnibus igitur ita stantibus cũ iam constet feb. tertianam adesse, patet quantũ ad morbi essentiã attinet, circa intemperiẽ, & quod naturalis calor est ad igneum mutatus, quod ex putredine est huiusmodi febris terminata, in bilẽ, quæ extra venas putrescit, ex huiusmodi autem natura seorsum indicationes nascuntur, quid agendũ, scilicet inueniẽdi medicamẽta cõuenientia morbo, quæ materię siue instrumẽta dicũtur, istæ igitur materię inueniuntur ab essentia morbi cognita, sed

quando materia duplex est, quædam medicamenti, quædam est cibi, circa vtranq; esse debetis occupati, quia medicina tres habet partes potissimas diæteticen, quę circa victus rationem versatur, pharmaceuticen quæ medicamenta cõtemplatur, & chirurgicã, & si vultis esse boni medici, non solum medicamenta debetis inuenire, sed etiã victus rationem, propterea morbi essentia vtraq; indicabit, quantum ad medicamenta, quæ indicant nobis secundum qualitatem scilicet & secũdum substantiam, secundum qualitatem vtrum calida, vel frigida, vel sicca, vel humida sunt applicanda, illud à forma ipsius morbi indicationes indicabit, quoniam in quocunque morbo, & non tantum in febribus natura & forma considerantur, ergo sicut sunt hic duæ res, ita nascuntur duæ indicationes, alia ab ipsa forma & sic medicamentorum materia inuenitur, quo ad qualitates, & sic si scitis formam morbi esse caliditatem, cum frigidis procedetis, si humiditatem cũ siccis occurrere debetis, & tandem cum ipsis contrariis, secundum substantiam verò à materia indicatur, à materia enim in genere, euacuationem indicat, in specie, si fuerit bilis indicat euacuandam esse cum euacuantibus bilem, si pituitam cum purgantibus ipsam, &

ista quatenus ad medicaméta, vtrum modo conueniat scãmonium, vel agaricus, ex Mesuæ habetis, & ex Diosco. scitis scãmonium purgare bilem, agaricum pituitam, & sic cũ bilis adsit, & nõ pituita peccãs, scietis quod scammonio est vtendum; non autem agarico; & hoc semper verum est, sumpta indicatione ab essentia morbi, vtrum autem scãmonium, vt cassia, vel manna potius conueniat, scietis quoniam naturam morbi cũ ægri natura comparabitis. Quantum modo ad ciborum materiam, naturam morbi solum indicant qualitatem ipsorum, substantias verò & quantitatem aliæ res indicabunt (vt ostendam) indicantur autem ciborum qualitates non à materia solũ, nec à forma morbi tantum, sed ex vtrisq; simul, verbi causa in tertiana adest forma idest calor igneus, adest materia idest bilis, si solummodo formam consideretis, quæ nobis cibaria indicat esse exhibenda refrigerãtia & humectantia, iuxta illud Hippoc. primo Apho. Apho. 16. victus humidus &c. & si tãtum consideretis materiã erraretis, & licet in tertiana eadem sit indicatio quæ à forma sumitur & quæ à materia, quia tamen plerunq; contingit vt forma febris contrarietur materiæ; ideo tam forma quam materia esset consideranda, cum igitur in tertiana sit

nã sit qualitas calida & sicca & materia etiã sit talis, refrigerantia & humectantia conueniunt, at in quotidiana secus est, quoniã prouenit ex putredine pituitæ quæ est frigida & humida: ideo indiget calidis & siccis ratione materiæ, ratione autem formæ cõueniunt frigida, & humida, & non calida & sicca, & ideo ad inueniendã ciborum qualitatem materia & forma considerari debent, & si ambo conueniant, cibaria inuenietis quæ sint contraria, si verò opposite sunt, aliquando magis materiã considerare debetis quam formam, vt in quotidiana in qua est plurima materia viscida crassa, quæ indiget vt abstergatur & subtilietur, & incidatur, hic debetis vos calefacere, & potius vos ad calefacientia vertere & exsiccantia quam ad refrigerantia & humectantia vt docebimus in febribus illis curãdis, & ita habetis quomodo febris essentia, siue cuiuscunq; alterius morbi essentia dat indicationes inueniendi ciborum qualitates à materia & forma simul, at si aliter facietis semper errabitis; & licet dixerit Hippoc. quod febribus omnibus humidus victus conuenit, verum est quatenus febris est, ratione autem materię non est verum, & ista sufficiant pro omnibus indicationibus inueniendis quæ ab essentia morbi sumuntur, quæ in sua

mater

materia & forma consistit, sed quoniam diximus à materia morbi indicationes esse sumendas, ne errandi occasionem habeatis.

Scitote, quod aliud est natura morbi aliud essentia morbi, essentia quidem dat nobis quid strictum, nam tantum materiam & formam circunscribit, natura verò morbi ad essentiam & symptomata extenditur, sicut cum diximus (vulgo) homines malæ naturæ, mores etiam comprehendimus, accidentia autem morbi penes motum, penes suam temperaturã, & suos mores attenditur, & ab illis tribus sumendæ etiam sunt indicationes quæ, à motu sumuntur, vt recte sumantur, naturã motus recte considerare debetis, quoniã omnis cognitio à natura rei circa quam versamur nascitur, quadrupliciter autem in morbis consideratur motus, quidam est longus & tardus, quidam longus & velox, quidam breuis & velox, quidam breuis & tardus: longus & tardus est vt supra patet, non potest autem fieri aliqua complicatio, quia nec breuis cum longo, nec tardus cum veloci se compatiuntur, in tertiana certum est quod humor qui putrescit est bilis calida & sicca tenuis substantiæ, non potest fieri motus longus & tardus, minus longus & velox esse non potest, quia materia ad longitudinem

non

non sufficeret, ideo duo motus primi communicare non possunt, igitur vel breuis & tardus, vel breuis & velox erit, vel breuis & tardus non quia bilis motui repugnat, sicut vbi palea appropinquatur igni statim inflaminatur, ita bilis statim accenditur, relinquitur igitur quod sit breuis & velox necessario, hoc stante, quæ indicatio sumitur agendi, si motus velox & breuis est, circa cibum nascitur indicatio, vt in tota illa accessione non debetis ægrum cibare, nec medicamentum exhibere, ita quæ nascitur indicatio est quando agēdum, quod autem hoc sit verum de omnibus testis est Hippoc. qui in tempore exacerbationis non esse quid dandum inquit, nisi calor ad pedes decubuerit idest reliquerit Hippocundria, vbi optimè declarat Galen. & hoc maximè facere debetis in his febribus in quibus est breuis & velox motus, breuitas enim moram tutam facit in medicamento ex cibo exhibendo, velocitas verò indicat nihil exhibendū esse, si verum est quod stāte pugna cū morbo nihil sit dandum in veloci motu, cū natura confestim moueatur ad expellendum, indicatio sumitur vt nihil exhibeatur, & ideo à velocitate moram tutam cognoscetis, secus autem est in tertiana notha quæ plerunq; durat per trigintasex horas, hæc
mora

mora non est tuta quia motus non est breuis & velox, ideo in extensis feb. aliter procedendum est, vt docebimus, in tertiana igitur transacta declinatione toto, cum iam ad integrum deuenerit interuallũ, cibi & medicamenta offerenda sunt, quod non faceretis in aliis in quibus aliquando cogemini circa statum cibum exhibere, habetis igitur à natura istius motus non esse aliquid exhibendum nisi transacta tota accessione, secundum accidens sunt tempora morbi, oportet vos scire quæ sint, quando incipit morbus, illud est principium, quando augetur, augmentum, quando stat, status, quãdo declinat, declinatio, secundaria autem sunt tẽpora quædam vniuersalia, sunt quædã particularia, vniuersalia verbi causa sunt in tertiana à principio suæ generationis vsq; ad finem, particularia sunt quæ sunt in vnaquaq; accessione, sicut in tertiana quando est rigor principium est, quando expanditur calor est augmentum, quando iam est expansus & stat, status est, quando ad pedes declinat, declinatio est, à temporibus particularibus in casu nostro, non sumuntur nisi illæ met indicationes quæ à motu sumuntur scilicet nihil esse agendum, nec medicamentis nec cibis vtendũ, sed quantũ ad vniuersalia tempora attinet, quæ sumuntur (vt

Ee dicit

dicit Galen. penes concoctionem & cruditatem materiæ) quando natura nihil adhuc agit, sed omnia cruda apparet, dicitur principium, quando incipit aggredi morbum, quod coquitur ex accidentibus quæ crescunt, augumentum, dicitur vbi omnia accidentia increuerunt, vbi iam concoctionis signa apparent, & status vbi omnia declināt est declinatio, ab istis temporibus indicationes non leues sumuntur. Sed primo scire debetis illud axioma, quod nunquam naturam ab istis operibus impedire debetis, & ratio est quia medicus naturæ minister est, & minister dominum impedire non debet, secundū prologum est, quod stante cruditate morbi nihil mouendum est, iuxta illud Hippoc. in 1. Apho. Apho. 22. concocta medicari &c. quia cruda existente materia est imbibita in meatibus, vel crassa, & viscida, & commixta est cum vtili materia, quæ nisi præparetur ac concoquatur nō educetur sine maxima violentia, & naturæ detrimento. His stantibus quod natura non est impedienda cum agit, cum verò nihil agit, nascitur indicatio, qui nos moliri debeamus, & tunc cibi exhibēdi nascitur indicatio, quia quando natura nō est occupata ad concoquēdum morbū, potentior est in se, & libera magis, sed dum pugnat nō debet impediri,

pediri, quando igitur nihil facit & ociosa est tunc ægrum ampliori cibo cibare debetis, quia natura nõ est circa concoctionẽ morbi occupata, secundo eã præparare debetis, vt cum pugnabit cum morbo sit validior, vbi postea ex signis cõcoctionis naturã pugnare iudicetis, tanto magis subtrahere debetis, quanto motus velociorem, si tardus non multũ subtrahere debetis, cũ est in statu maximè subtrahere debetis, in declinatione motus ad cibationem redire debetis, & aliquid plus exhibere, & ideo huiusmodi tempora indicant quantum, si verò cruditatem in se consideratis tunc nascitur indicatio quando sit purgandum, & quia certum est quod stante cruditate nihil est moliendum, igitur nascitur indicatio vt in principio non euacuetis nisi modo fuerit præceps, furiosa, nam cõcocta medicari dicebat Hippoc. &c. videte ergo quomodo à temporibus morbi indicationes nascantur quantum & quando. His stantibus hæ duæ dubitationes oriuntur, prima est cur nõ expectata concoctione mittimus sanguinem in febribus: eadẽ enim ratio deberet esse, si verum est quod non est medicandum cum pharmacis non concocta materia, quia mala materia permixta est cũ vtili, in sanguine etiã mixta est, nã nonne imbibita est in ve-

narum meatibus, ergo euelli nõ poterit: secunda dubitatio est nunquid occurrendum sit non apparentibus signis concoctionis, si natura mouet aliquid per aliquam regionẽ, sed non perfecte vtrum sit adiuuanda &c.

Indiscursu omnium indicationũ curatiuarum, quæ sumuntur à natura morbi, in hesterna lectione vidistis quomodo processimus, igitur quæcunq; ab essentia morbi sumerentur ostendimus, secundo de consequentibus essentiã loquuti sumus, quę sunt, tempora motus, & quomodo ab huiusmodi motibus indicationes sumerẽtur diximus, etiam quomodo à temporibus sumerẽtur, distinximus: vltimo duas quæstiones propo sueramus, quæ cognitu sunt necessariæ, prima erat, nunquid sicut expectamus concoctionẽ quando volumus euacuare per phar macum, nisi materia turgeat, an idem fieri debeat in sanguinis misione. eandem enim rationẽ possumus asignare non licere sanguinem detrahere nõ concocta materia. Si enim licet nõ cruda existente materia phar macis euacuare quia vtilis materia cum in vtili commixta est, nec facta est adhuc à natura separatio, ergo etiam neq; per missionem sanguinis videtur quod sit euacuandum ante concoctionẽ. Præterea ante concoctionem materia non obedit, sed quod

non

non debet attrahitur, nam si calida est, imbibita est in meatibus, si cruda viscida est, adherens parietibus, & difficulter attrahitur, nisi præparetur, licet etiã vasorum pręparatio aliquid faciat, idem in sanguinis missione esse videtur, humor enim crudus non est à bono sanguine separatus, ideo vbi euacuatur plus de bono quam de malo euacuatur, prætereà si materia calida est, imbibita est in meatibus venarum, si cruda per defectũ caloris parietibus heret, ideo propter eandem rationẽ idem inconueniens sequitur in sanguinis missione, quod sequitur in euacuatione per pharmacum ante cõcoctionem humorũ cur Hipp. & Gale. & tota schola medicorum in missione sanguinis concoctionẽ non expectãt, sicut in euacuatione per pharmacum? talis fuit dubitatio, & ratio dubitationis. Secunda quæstio fuit quando natura expellit humorẽ vel per secessum, vel per vrinã, aut per sudorem non apparentibus signis cõcoctionis, & nõ perfecte eduxerit, vtrum sit adiuuãda per easdẽ vias; quantũ ad primã attinet, dicimus breuiter, quod mittimus sanguinem non expectata concoctione in tribus casibus in aliis non tam facile. Primus casus, quando humores æqualiter sunt acuti vt in pletoria contingit, vbi quo ad vasa venæ repletæ
 sunt,

sunt, & æqualiter humores in ipsa aucti sunt in venis, & ratio est, quia dicere non possumus, quia tunc plus de iuuatiuo, quam de nocitiuo educatur, quia æqualiter aucti sunt. Secundus casus est quando humores permixti sunt sanguini non autem imbibiti, vt minimum vnius sit cum minimo alterius, vbi humores putridi ita fuerint cum sanguine permixti, sicut in febribus continuis, contingit in quibus humores intra venas cōputruere, tunc sine præparatione mittimus sanguinem quia non adest impedimētum, ex his dictis. Tertius casus est, quando sanguis cum aliquo humore ad aliquā partem confestim præcipitatur, & facit fluxionem, in inflammationibus huiusmodi repentinis nulla expectata cōcoctione seu præparatione mittimus sanguinē auertēdo ipsum ad partem oppositam in hoc casu etiam & si non adsint signa multitudinis sanguinis nulla alia expectata concoctione mittimus sanguinem, in aliis non ita licet vbi fuerint humores crudi intra venas, non est mittendus sanguis nisi prius præparentur, vt dicit Auic. quarta primi capit. de phlebotomia, tunc enim concoquendi sunt aliter ad ebullitionem cholericorum humorum, vel frigidorum in crudationem deueniret, & putredo vna cum febre augeretur, vbi igitur humores

mores crudi frigidi fuerint in sanguine, non tantum ita mixti, vt in secundo casu diximus concoquendi sunt antequam fiat sectio venæ, & idem est faciendum si calidi, & biliosi fuerint huiusmodi humores, etiam hoc voluit Rasis cum dixit, quando vis flebotomare prius mundifica sanguinem a colera, idem voluit Auicenna quarta primi, vbi dicebat more suo, quando cholerici humores simul cum sanguine fuerint aggregati, euacuentur cum aliquo subtili pharmaco, vel sedentur, id est, alterentur, non vult ergo Auicenna, vt mittatur sanguis, etiam si humores fuerint subtiles, nisi prius euacuentur cum subtili pharmaco, puta cum flore cassiæ, in qua est vis sedandi & euacuandi, non enim ita facile euacuare debemus, & accedere ad missionem sanguinis, vbi fuerint humores biliosi, nisi prius sedētur, aut euacuentur, & ita quo ad primum quæsitū, dicimus, quādoq; licere mittere sanguinem non expectata concoctione, vt in tribus casibus, quādoq; non idē est de medicamētis attrahentibus, nam quæ electiue attrahunt, oportet vt sint præparati humores, & apertæ viæ per quas transeunt, vbi autem sint permixti cum sanguine, vel plethoria, vel repente irruat sanguis ad aliquam partem, tunc potest fieri sectio venæ, non autē euacuatio

per pharmacum, quia humores sunt infra-
cti & permixti cum sanguine, & sic non po-
test fieri attractio ipsorum à pharmaco e-
lectiuè attrahente, & hæc pro primo quæsi-
to. Quantum ad secundum dicimus, quod
huiusmodi motus quē facit natura simpto-
matice, vel est propter imbecillitatem vir-
tutis concoctiuæ, aut propter fortitudinem
expulsiuæ, nam sæpe contingit in corpori-
bus humidis, vt contentiua virtus se ipsa
adeo reddatur imbecillior, vt nihil regat,
vel non contineat humores, & nihil resistat,
& morbus superet virtutem, & ita superet,
vt motus diaphoretici fiant per totum cor-
pus, in hoc casu vbi propter virtutis conten-
tiuæ imbecillitatem ad aliquam partē pro-
rumpent humores, per vrinam, aut per su-
dorem, vel per secessum, vt in pestilentibus
febribus, in quibus fit alui profluuiū, quod
syncopim vocamus, & vbi sudores apparent
frigidi diaphoretici, & maculæ illæ simili-
ter apparent, quæ vulgo petechiæ dicun-
tur, & ex tali motu nihil natura subleuatur,
quoniam natura nō regulat humores pro-
pter defectum ipsius & humorum redun-
dantiam, in casu isto non debemus auxilia-
ri ipsi naturæ, quia non essemus ei in auxi-
lium, sed morbo, quia natura non resistit,
sed diaphoreticè mouet humores, ideo nul-
lus

sit sanè mentis auxilium tunc præstabit, vbi fuerit ille fluor colliquatiuus prouocabit fluorem, neque etiam attractionem pethechiarum quæret, si fuerit motus ille simptomaticus, & diaphoreticus, quia natura non regit humores, & si quis vellet attrahere ad exteriores partes cutis quicquid virtutis esset residui in partibus intimis, attrahetur ad partes extrinsecas, & sic extinguèretur animal, ideo tunc temporis natura corroboranda est, vt retineat, & humores regat proprios omissa attractione ad exteriora, quum igitur talis erit casus considerare debetis, an sit virtutis contentiuæ imbecillitas, vel fortitudo expulsiuæ, quod cognoscetis ex pulsu, & vbi quod aucta fuerit ægritudo, quia virtus sit imbecillis, non euacuabitis, quia virtus non est fortis in regendo humores, sed ipsam corroborabitis, si vero materia simptomaticè quidem effluxerit, sed propter virtutis expulsiuæ fortitudinē quo ad vasa, vel propter acrimoniam, aut propter putredinem, vel propter aliquam malam qualitatem natura irritetur ante concoctionem ad expellendum, si ita expellit, tunc robur apparebit circa pulsum, & circa virtutem regitiuam, & sic cum videbitis ex aliquo dictorum naturam fuisse irritatam, & robur ipsius fuerit, licet materia

non sit concocta, & iam natura tentauerit euacuationem, perfecte autem expellere nõ posśit, tunc adiuuandum est illi, vt contingit in tertianis febribus, in quibus propriũ est vt humores circa paroxysmorum principia ad ventriculum moueantur, & per vomitum, & per secessum expellantur, vt contingit aliquando: at si non perfecte expellatur, sed natura tantum euacuationem incipiat, sed perficere non posśit ipsam, sed permaneant anxietates circa ventriculũ ex illa materia ibi contenta, & alia sæua insurgunt accidentia, & tunc si materia non sit concocta adiuuare debetis naturã, etsi per aluum euacuationem tentauerit, vos & per aluum ipsi naturæ præsidium afferre debetis, si per vomitum, & per vrinam per easdem regiones & vos euacuare debetis, & ita quomodocunq; natura se exonerare quærat, & expellere nõ posśit, eam adiuuabitis, sicut apparet ex Galeno in text. quando curat tertianam, & ita solutionem habetis secundæ quæstionis, modo deueniamus ad rem nostram. Hactenus deduximus rem, & primo indicationes declarauimus, quæ ab essentia morbi sumuntur, secundo quæ à motu, tertio quæ à temporibus, deerat indicationes quæ à moribus sumũtur, febris & varij mores sunt, & quia natura rei est quæ indicat

quid agendum, igitur naturam morum scire oportet, qui in ægritudine inueniuntur, & isti mores in hominibus indicant hominis naturam, nam si mali sunt, mala est etiam natura, si boni, bona, ita etiam mores consequẽtes morbos, naturam morborum indicant, & quoniam simptomata ista sæpe ita præualent, vt quandoque rationem materiæ habeant, ideo plurimæ ab ipsis indicationes sumuntur, si mores erunt benigni parum sunt curandi, quia non faciunt indicationes curandi, si aucti sunt & malitiam operentur, & rationem causæ habent, proprias habent indicationes, vt inquit Galen. in xij. therap. & aliquãdo curam ad se trahunt neglecto etiam morbo ipso, variæ igitur eorum indicationes sunt, prout variæ considerantur, verbi gratia: sincopa in febribus, est vnus malus mos, & illarum indicat malitiam, & sæpè coniungitur in feb. à bile pendentibus, & si ipsa sincopis contingat quod habeat rationem causæ, indicat quid agendum, ac si ab essentia morbi sumeretur, quia tunc incipit habere naturam morbi, & tunc causas sincopis cõsiderare debetis, an scilicet proueniat propter humorẽ biliosum ad os ventriculi affluentem, vel propter alios humores, vel propter vermes, & huiusmodi alia, & tunc quid agendũ inuenietis, & quia

simptoma

simptomata apparens occupat loca, & os ventriculi, & per consensum cor, indicat etiam vbi sint applicanda remedia, & cum motus sincopis præceps sit, & nisi occurrere tis cito interficit, indicat & quando agendum, & indicat statim, & quod de sincopa diximus, idem dicendum de delirio, & de dolore capitis intensissimo & de huiusmodi aliis simptomatibus, quæ malos mores indicant, & habent rationem causæ, nam ab illis indicationes sumere debetis, sicuti de sincopa diximus satis igitur sint ista de indicationibus, quæ à tota morbi natura sumuntur. His visis oportet ad reliqua deuenire, sed prius supponere debetis, quomodo omnes indicationes curandi sumuntur à tribus, à natura morbi, ægri, & aëris dispositione: notetis modo differentiã, licet tres istos scopos habeamus semper in qualibet curatione nihilominus à nullo istorum trium sumetis indicationes curandi de per se, sine comparatione ad aliquid aliud, nisi à sola essentia morbi, illa enim sola indicat quid agendum, reliqua præter essentiam non indicant quid, sed limitant circunscriptiones alias, si materiam inuenire vultis, & agendorum substantiam, sola essentia morbi indicat; & ratio est quia talis indicatio qualis est natura rei, est enim indicatio relatius

ætati

ætati cuius est indicatio, & tale est relatiuũ quale est fundamentum, igitur si vultis habere indicationem quid, oportet vt ab essentia, & alicuius rei quiditate, non autem à concoctionibus, quod autem essentia indicat quid, est enim morbus præter naturam, & omnis morbus quatenus dispositio præter naturam, indicat vt auferatur, si debet auferri, oportet vt hoc fiat cum aliquo instrumento, ideo essentia indicat quid, quoniam indicat vt tollatur, & eligantur materiæ, diuidendo prius quæ sunt causæ istius dispositionis præter naturam, vt ex diuisione ista distinctè nascantur indicationes, ita quod ab essentia morbi & à causis morbi nascãtur indicationes quid, à causis inquam, materialibus, & efficientibus, & quoniam causa materialis & effectus apud medicos idem est, ratione tamen differunt, & ita sola essentia febris tertianæ indicabit quid, motus eius, quando cibandum, & quando exhibenda pharmaca, tempora indicabunt, modo quando, modo quantum, modo quomodo, cum igitur satisfecerimus his quæ sequuntur morbi essentiam, quæ sunt motus, tempora, & mores, nũc dicemus quomodo ex variis comparationibus naturæ ægri ad naturã morbi, & naturæ dispositionis aëris, debeatis sumere indicationes: ex diuersa

enim

enim compositione, quæ est inter naturam ægri, & naturam morbi, videbitis quomodo variæ nascantur indicationes, & incipiamus à febre tertiana: cognita est huiusmodi morbi natura, scimus quod est morbus in complexione, & est calida & sicca intemperies, secundum formam, & secundum materiam, talis igitur est natura morbi, quẽ præ manibus habemus volumus curare, & iam ab essentia morbi, scitis quid agendũ, & scitis quomodo quo ad formam esse refrigerandum & humectandum, & quo ad materiam euacuãdum, modo vt reliquas habeatis limitationes, naturam ægritudinis comparabitis ad naturam ægri, scitis quid agendum, & quo ad formã, & quo ad materiam, nónne pinximus Socratem nostrum esse tẽperaturæ calidæ, & siccæ, cõparetis modo febrem tertianã, cum natura ægri, id est, cum tẽperatura Socratis, Socratis tẽperatura est calida & sicca, natura febris tertianæ calida est & sicca ex huiusmodi compositione quid nascitur, videbitis corpus illud calidum, & siccum, & similiter morbus se habet, dicebat Aristo. in secundo de gen. & cor. in his quæ habent conuenientiam & simbolum, vel in altera qualitate, vel in duabus facile sit transmutatio de vno in alium, hic est cõuenientia duarum qualitatum, ergo vt cor-

pus hoc haberet dispositionem febrilem nō indiguit transmutatione multa, & quoniam vt est sententia Gal. tertio therap. cum habemus hominem affectum aliqua ægritudine, non ipsum ad sanguinitatem simpliciter quærimus reducere, sed ad propriam illius indiuidui, ideo cum sit Socr. calidus & siccus in propria temperatura, & nunc ægrotat ægritudine calida, & sicca, si ipsum reducere volumus ad proprium temperamentum, non multa indigemus trāsmutatione: quid nascitur ex hoc discursu? nascitur indicatio quantum agendum, id est, quam magnæ debent esse vires medicinis alterātibus, sequitur igitur quod non multa indigemus refrigeratione, & humectatione, ex quo non est multus lapsus, si modo esset Socrates noster frigidæ, & humidæ temperaturæ, & in eandem incidisset febrem, multa indigeremus transmutatione, quia non haberet conuenientiam in aliqua qualitate, prius erat frigidæ, & humidæ temperaturæ, nunc calidus, & siccus effectus est, igitur maxima est facta trāsmutatio, quare multa refrigeratione, & humectatione indigemus, quia volumus hominem ad propriā reducere sanitatem, sed domini hic non est dissimulanda difficillima q̄stio si ita teneremus sicut Gal. vult in tertio methodo. & in prohemio ad

Glauconē, & sicut rei natura indicat, quod quanto maior est lapsus, tāto maiori indigemus alteratione, si ita hoc est multa sequerentur incommoda, verbi gratia, si sit senex frigidæ & humidæ temperaturæ, quia iam est effectus calidus, & siccus, igitur per fundamēta iam dicta maxima indigebit refrigeratione & humectatione si cum his prædictis occurreretis interficeretis hominem, contra rationem & experientiam faceretis, quantum ad rationē certum est, nam istius corpus frigidum & humidum existens incidit in febrē & in calorem igneum, & maxima facta est mutatio à proprio tēperamēto nihilominus huiusmodi calor igneus in corpore senis cum non debeat referri huiusmodi igneitas respectu cuiuscunq; caloris existentis in alio corpore sed respectu huius senis, quoniam calor igneus in sene respectu alterius caloris vt potè iuuenis non esset igneus, si igitur ita est, quod senis calor respectu sui ipsius sit igneus non respectu corporis temperati vel calidioris, imò respectu horum corporū non erit temperatus, si maxima refrigerātia exhiberetis huic corpori extingueretis ipsum, & esset contra rationē. Præterea hoc esset etiam contra experientiam, nam si haberitis senem istum & laborantem febre ardente, & velletis refrigerantibus

tibus in secundo vel tertio gradu uti, extingueretis non solùm igneum calorē, sed etiā naturalē, quid igitur dicēdum in hoc casu? nemini dubium est quod Gal. in cōtrarium est, qui vult quòd pro quantitate lapsus sumamus medicamentorū qualitatē, Domini ista quæstio orta est ex malo intellectu verborū Galeni & multorū quæ erunt intelligenda, & qui dubitant non intelligūt medicinæ principia, nam si supponenda supponant, nulla erit dubitatio, licet hæc inferius declarabimus, &c. Quomodo sumerentur indicationes curandi absolutè in febre tertiana ostēdimus in superiori lectione, & quomodo etiā sumerētur indicationes comparādæ essentiam morbi ad naturam ægri, & dispositionem aeris docuimus, in eo discursu incepimus à cōparatione quæ fit inter essentiam morbi & corporis ęgrotantis temperaturam, & vidistis quomodo ex his sumeretur indicatio quātitatis remediorū in exēplo Socratis superius posito & dicebamus quod cum corpus Socratis sit calidæ & siccæ temperaturæ & in ægritudinem calidam & siccam inciderit, non fuit lapsus magnus; & cum non fuerit lapsus magnus, etiā à quantitate lapsus indicationes quantitatis remediorū ostendimus, sequitur necessariò quod detur etiā gradus quantitatis

remediorum in alterando esse remissus, ista fuerat conclusio posita in hesterna lectione circa quam maxima oriebatur difficultas, quæ plurimos ętate nostra ingeniosissimos intricauit medicos qui non potuerunt se explicare ab ea, videtur enim ratione & experientia contrariū si quis rationē diligenter consideret imò si quis accipiat hoc corpus Socr. calidæ & siccæ tēperaturæ laborās ægritudine calida & sicca vt supposuimus, & cum remisse frigidis & humidis vellet humectare & refrigerare huiusmodi corpus ex quo diximus paruū esse lapsum in eo, nō tamē refrigerabit illud corpus & humectabit, sed potius augebit caliditatē & siccitatem, quia illa remissa frigiditas & humiditas deducetur, à calore illo igneo, & sic magis calefaciet & ignietur, vnde Aui. dicebat febricitantibus febre ardenti si pauca exhibeatur aqua magis calefaciet, sicuti & calx magis acuitur pauca super infusa aqua, prętereà si accipiatis alium extremū senē, scilicet habentē frigidam & humidā temperaturam, qui incidat in febrem tertianā lapsus iste erit maximus quia ex toto opponitur cū tertiana calida & sicca est, temperatura autē senis frigida & humida si maximus lapsus est, secundū quātitatē lapsus vt est sententia Galen. in tertio, quarto, & vndecimo metho.

metho. & in prooemio ad Glauconē vis & quantitas remediorū mensuratur, si hoc inquam verū est nemini dubiū est quod medicamenta intensissima accipere debemus frigida & humida, sed nulli dubiū est quod si huic corpori senis frigido & humido ad calidū & siccum lapso medicinas impēse frigidas & humidas exhibebitis, quod calorē eius non tantū igneum, verum etiā & propriū extingueretis, nec tolerabit hoc corpus medicamenta multum frigida & humida, quomodo ergo verum est, quod pro quantitate lapsus mensurari debeat quantitas remediorum in gradu? nam si hoc ita esset senem extingueretis, Socratem longe magis calefaceretis, & quando alterū experiri velletis cum dedecore vestro & cum morte infirmi experiremini. hæc est dubitatio & occasio dubitandi, quæ super rationem & experientiam fundatur, quomodo ergo dubitationi respondebimus? Dico si quis intelligit Galenū, vt intelligi debet, & artem medicā vt docet ipse & Auicen. non dubitabit, vt autem dubitatio clarior reddatur, supponemus tria, quæ quidē ita explicabuntur, vt pateant etiā singula sensui, quibus suppositis tres quæstiones ponētur quæsitum soluentes, primum suppositum est hoc, quod semper est perpetuò verum,

si indicatio ab essentia morbi sumpta in se nulla facta comparatione ad aliquid aliud, sed considerando gradum in se indicat esse illi occurrendum cum suo opposito, verbi gratia si morbus calidus & siccus erit semper corpus patiens hunc morbum refrigerandum & humectandum hoc est perpetuo verum, quia semper contraria contrariis curãtur. si vera est huiusmodi propositio vera etiã erit quæ consequitur per illum locum topicum, ita se habet magis, ad magis sicut simpliciter ad simpliciter, si igitur verum est quòd morbus calidus & siccus extinguẽdus est cum frigidis & humidis erit etiã verum, quod quanto calidior & siccior erit morbus, tanto maiori indiget refrigeratione & humectatione. Præterea etiam probatur hoc, omnis actio prouenit à proportione maioris inæqualitatis, si ergo augetur caliditas & siccitas, quæ expelli debet in frigidis & humidis, oportet vt frigida & humida superent, si actio fieri debet, nam si augetur caliditas & siccitas frigida verò & humida non augeantur, vertetur actio ex parte caliditatis & siccitatis contra frigidum & humidum, si erit æqualis, non fiet actio, & ita oportet necessariò vt si pasi augeatur resistentia, vt etiam augeatur vis agentis. si ergo caliditas & siccitas debet extingui

qui cum frigidis & humidis, quanto calidior & ficcior erit, tanto, maiori indiget extinguente frigido & humido, hoc est primum suppositum. Secũdum suppositum est hoc, quod quantitas virium medicamentorum tripliciter considerari debet, vel consideratur quantitas gradus, vel molis, vel temporis, verbi gratia oportet vt caliditati & siccitati occurratis cum medicamento frigido & humido, potest quantitas huius medicamenti considerari secundum gradũ, quod vel in primo, vel in secundo, vel in tertio gradu, refrigerandum & humectandum sit, & hæc dicitur quantitas gradus. Secundò quantitas molis suæ substãtiæ consideratur, quum stante paruitate gradus augetur molis quantitas, vt si medicamenta refrigerant in primo gradu posſimus maiorem exhibere molem, nec quantitas gradus augebitur, sed molis solum & substantiæ, consideratur quantitas secundum motionis tempus cum, scilicet longiori tempore applicamus medicamenta vt quod non potest vna forma fieri, duabus vel tribus fiat, & dicitur hæc viriũ medicamenti actio secundum quantitatem temporis, & sic tripliciter augeri potest quantitas viriũ medicamẽti. Tertium suppositum est, quod quantitas lapsus ægritudinis non absolute

intelligi debet, quoniam nec ægritudo absolutè intelligitur, sed in indiuiduo semper consideratur, verbi gratia quantitas caliditatis & siccitatis in singularibus considerata, non est absolutè considerata, sed tantum comparatione ad corpus in quo est talis ægritudo igitur si sit corpus Socratis calidum & humidum, habet naturalem calorem respectu calidi & sicci corporis vbi vertatur suus calor ad igneum, calor iste erit maximus in eo & igneus prorsus, quia excedit naturalem suam temperaturam, si postea huiusmodi calor igneus in ipso comparatur ad caliditatem Platonis, calor iste Isocrate, non solùm erit igneus sed potius erit remissè frigidus, ideo si seni occurretis qui ad tactum ardeat, tamen frigidus appa ret, ideo dicunt moderni febrem in senibus esse sepultã. ista sunt tria supposita necessaria ad hoc, vt quæstio proposita optime discutiatur, quæ omnia emanant à litera Galeni. istis tribus suppositis correspõdent tres quæstiones, quæ soluunt quæstionem propositam. prima quæstio primo correspondet supposito, est enim hæc, vbicunque inuenimus aliquam ægritudinem in qua excessus sit metiri debemus illum excessum, & pro eius ratione opponere medicamentũ æquale in gradu, secũda quæstio correspondet

det secũdo supposito, quæ talis est, vbicunque inueneritis ęgritudinem in qua excedit vel qualitas, vel humor, aut aliquid tale, vos non semper metiri debetis medicamentorũ quantitatem simul in gradu, & in mole, & in tempore motionis: quia plerunque extingueretis hominem, si consideratis excessum ægritudinis gradum tam in tempore quàm in mole, verbi gratia si corpus senis fuerit imbecillium virium, & sit lapsum ad calidum & siccum, si occurreretis cum medicamento æquali in gradu, simul & in mole atque etiam in tẽpore conuenienti ex inęqualitate illa calorem illius senis extingueretis, propterea pro virium ratione subtrahere oportet quandoque quãtitatem gradus, quandoque quantitatem molis, quãdoque quantitatem temporis, & medicinam exhibere remissam in gradu paucam in quantitate, & in pauco tempore applicitam relinquere, quia tolerari nõ poterit viribus imbecillibus existentibus, & sic ista secunda quæstio secundo correspondet supposito, quod medicamentorũ gradus consideratur penes illa tria, nec semper est necessariũ vt illa omnia adsint: sed quandoque vnum, quandoque aliud remouere debet: sed tamẽ facere debetis vt quantitas in gradu, vel in mole vel in tempore correspondeat gradui

 excessus,

excessus, ideo si nō poteritis occurrere cum quantitate gradus occurritis cum quantite molis, aut cum quantitate temporis, applicando quantitatem in tempore æquali vbi verò habebitis corpus robustum tolerans medicamenta occurretis cum medicamento æquali in gradu, in mole, & in tẽpore, & ratio est, quia vbi vires tolerant medicamentũ tunc medicatio debet esse cita, iocunda, & tuta, & sic vbi vires tolerant, exhibeatis & æqualia in gradu, in mole, & in tẽpore, statim sanitas sequitur, & tunc tuta, iocunda, & recta erit medicatio, iocunda quidẽ erit, quia vbi infirmus cõfertim deducitur ab eo quod est præter naturam ad id quod est secundum naturam, iocundus redditur, & voluptate afficietur, tuta autẽ, quia vires tolerabunt totum. tertia quæstio quæ respicit tertium suppositum talis est, occurrere cum medicamentis habentibus æqualitatẽ in gradu debetis, non quidẽ absolutè cõsiderando corpus temperatum, sed per comparationem ad corpus particulare & proprium, suppositi enim erratum quod quãtitas lapsus refertur ad vnũquodque corpus quod patitur ægritudinem, non ad lapsum à temperamẽto, ita quod si corpus Socratis sit frigidum & humidum, & patiatur tertianã huiusmodi corpus habebit

calidit

caliditatem & ſiccitatem, quæ quidẽ reſpectu illius maxima erit, quia lapſus, maximè à ſua naturali tẽperatura, quia redditũ ſiccius calidius, cum prius eſſet frigidũ & humidum, ideo hoc corpus plurima indiget alteratione, & propterea, ſi accipiatis materiam refrigerantẽ & humectantem, & comparetis eam ad hoc corpus, bona erit cõparatio: ſi verò acciperetis materiã quæ refrigerat & humectat corpus temperatũ, quod inciderit, in febrem tertianam non erit tota cõpoſitio, ideo ſi corpus temperatũ exceſſerit ad caliditatẽ & ſiccitatem ſecũdum caliditatis gradum & ſiccitatis debetis ita præciſe exhibere medicamẽtum frigidum & humidum, vt corpus ad temperatum deducatur, & ſuppoſito quod ſit lapſum ad calidum & ſiccum per duos gradus medicina frigida & humida erit in ſecundo gradu & ratio eſt, quia corpus temperatum recedẽs à temperamento per duos gradus caliditatis & ſiccitatis ſi debet reduci ad proprium temperamentum neceſſariò oportet quod adminiſtretur medicamentum æquale in gradu, habebit ergo medicamentum humiditatem, & frigiditatem in ſecundo gradu, dicit ergo tale medicamentum reſpectu hominis temperati, quia medicamẽta omnia vt dicit Gal. in tertio de temperamentis, &

quinto de simplic. medic. dicuntur talia, vel talia respectu corporis temperati, in corpore enim temperato semper frigida, & humida dicuntur medicamenta, vel talia & talia, respectu corporis temperati, quando, scilicet in eo est ægritudo calida & sicca, in primo, vel in secundo gradu, vel frigida & humida, in primo vel in secundo gradu medicamenta, dicit talia vel talia respectu corporis temperati, ad illos excessus lapsi, in corpore verò senis frigido & humido, quod lapsum est ad caliditatem & siccitatem per duos gradus, cum tamen esset frigidum & humidum: per duos gradus, si daretur huic corpori medicamentum frigidum & humidum, in secundo gradu respectu corporis temperati, interficeretur, quoniã illa qualitas non esset proportionata huic calori, licet calor ipsius sit in se ipso acutior redditus per duos gradus, non tamen acutior est respectu corporis temperati, & quoniam medicamenta frigida & humida sunt respectu huius corporis temperati, non autem respectu alterius corporis, ideo si medicamenta frigida & humida, in secundo gradu respectu corporis temperati, exhiberentur huic corpori senili à proprio temperaméto per duos gradus ad caliditatem & siccitatem lapso extingueretur, & ratio est, quia illa medicam

dicamẽta respectu illius corporis nõ essent frigida & humida, in secundo gradu, imò in tertio gradu. quare cum calor sit moderatus in sene, igitur medicamenta, in primo gradu frigida respectu corporis temperati, hoc corpus senile siue aliud quodcunque corpus ad frigidum & humidum declinans per duos gradus à temperamento cõmode refrigerabit, his stantibus facilè quæstioni respõdemus, si accipiatur corpus frigidum & humidum quod lapsum sit ad calidum & siccum, an conueniant ei æqualia in gradu verum est respectu huius corporis, non respectu temperati si modo accipiatis corpus calidum & siccum, vt corpus Socratis à nobis propositum, quod quidem patiatur febrem tertianam, maximus ille calor erit in corpore Socratis respectu alterius, sed respectu ipsius non habet calorem igneum, sed calor iste additus facit maximum esse lapsum respectu temperati corporis, si accipiatis ea quæ refrigerant & humectant, in secundo gradu respectu corporis temperati, & applicentur Socrati febrili calore tertianæ corrupto, corpus Socratis non refrigerabitur, & humectabitur ex his, imò potius actio vertetur ex parte caloris, quoniã frigida medicamenta: cũ inueniant calorem maximũ deducuntur ad actum, & calid

calidiora efficiuntur, vt inquit Gale. quinto de simplic. medic. de opio, de quo ait, si statim non extinguit hominem antequam deducatur ad actum à calore naturali, nõ amplius interficiet ipsum, quoniam incalescit & desinit esse venenosum, & ideo in corpore frigido & humido, licet esset caliditas, ignea sibi, non tamẽ erit magna respectu calidioris, nec respectu temperati corporis, ideo medicamentis refrigerantibus leuioribus respectu temperati, & leuioribus, adhuc respectu calidioris corporis occurrendum erit, quia refrigerantia debent esse respectu sui caloris, stante hoc principio, quia à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio. stat igitur veritas in hoc & in illo, & sic ex suppositis apparet mos Gale. & hæc satis sint de huiusmodi quæstione, vnũ verbum dicamus de alia dubitatione, quæ solet intricare homines, dixit Galenus quod quale in gradu applicandũ est morbo. verbi gratia, si morbus duos habet gradus caliditatis præcise, duo gradus oppositi frigiditatis scilicet debẽt applicari. hoc videtur contra fundamentũ à nobis positum, quia à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio, si igitur erit ęquale agens & patiens nõ sequitur actio, nisi augeatur quantitas virium ex parte agentis, non sequitur

actio

actio.quid igitur dicemus? dicitur quod ista dubitatio, vt pleræq; aliæ oriuntur, orta est ex malo intellectu verborum Galeni, quãdo dixit æquale opponendũ esse in gradu, mens sua fuit, si ægritudo excedit per duos gradus, debet reduci ad temperamentum proprium per duos gradus, & eligere medicamentũ illi æquale debemus, si enim augeretur actio, deduceretur ad oppositum, alterandũ igitur corpus esse voluit Galen. vt recedat ab illo secundo gradu, & ad propriũ temperamentum deducatur, quia si vlterius alteraretur ad oppositum gradũ deduceretur, & oportet tunc rursus medicamento vti calido, vt ad suum deduceretur temperamẽtum, & ideo dicebat Galen. metiri debetis actiones vestras à quantitate lapsus, nõ autem graduum medicinarũ, & secundũ quãtitatem virium, vt habeatis medicinã, quæ agere possit, quæ æqualis sit non in gradu tantũ, sed in mole, vel in motionis tẽpore, vt corpus lapsum ad temperamentum proprium deducatur, id enim æquale in gradu est quod suum tempus motionis tale est, & eatenus alterans quousq; deuenerit id corpus ad suæ sanitatis gradum. Hic nonnulli inquiunt medicamenta æqualia in gradu æquali gradui lapsus applicata posse corpus ad temperamentũ proprium reducere,

cere,& si quis obiecerit à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio,hic non est proportio maioris inæqualitatis, ergo non sequitur actio,dicunt quod ab æqualibus non prouenit actio ita quod victoria permaneat ex parte vnius,sed prouenit actio ex parte vtriusq; , quia ad temperamentum reducuntur,quoniam duo gradus frigiditatis & humiditatis agent in secundos gradus caliditatis & siccitatis,ex multa actione & reactione ad inuicem refrangentur vtriusq; vires,& ad medium deducentur,hæc responsio licet de corpore temperato veritatem habere posit,quod quidem à temperamento per duos gradus caliditatis recesserit, non tamen de calidiori corpore,quod quidem in sanitate determinat sibi duos gradus caliditatis & siccitatis veritatem habebit, nam si per duos alios gradus caliditatis & siccitatis recesserit à sua naturali temperatura,Medicamentum frigidum & humidum,per duos gradus non poterit agere,in illos duos gradus naturales,qui omnes simul vniti quartum gradum caliditatis & siccitatis determinãt, & eum id proloquium in philosophia & in medicina sit à proportione maioris,idest duos gradus frigiditatis & humiditatis huiusmodi corpus calidum & siccum vt quatuor

tuor conuertant in sui naturam,& ita calor augebitur,secundum igitur horum sententiam necessarium esset eligere medicamentum æquale in gradu,igitur opus erit,vt illud sit frigidum & humidũ,in quarto quoniam oppositus lapsus ad quartum gradum est,sed quæ in quarto frigida sunt veneni rationem habent, igitur tale medicamentum abiiciendum,sed vt à nobis determinatum est medicamentum eligatur æquale quidem non in gradu,sed in mole,vt quod non possemus ope gradus assequi, merito quãtitatis,& molis auctę assequamur,quod tamen Gale.dux noster in ardente feb.fecit, in qua cum medicamenta frigida & humida,& in quarto non posint commode exhiberi,cum venenosa sint,ad frigidæ aquæ potus confugit,& cum id nõ posit in gradu consequi, quantitatem adeò auget, vt etiam situlam aqua plenam ad potandum exhibeat,fretus vt quantitatis auxilio intentum finem assequatur,at si fortè fortuna vires medicamenti quantitatem sufferre nõ possent,ad tempus motionis confugeret,& viribus iteratis calorem auctum extinguerent,& corpus ad propriũ temperamentum deduceretur, vt de calce patet,supra quam tam diu aqua cadit, quod prorsus madefit,& extinguitur eius calor,iam igitur ad hoc

hoc deuenimus,vt expleuerimus comparationem morbi cum tẽperatura.Reliquum modo eſt,vt comparemus ea quæ ſumuntur ab eſſentia morbi ad ſtructuram corporis,ætatem,mores,& ad conſuetudinẽ,& ita exactè omnia pertractabimus,vt omnino nihil deſit.

Hodie determinabimus caſum Socratis patientis febrem tertianã,propterea attenti eſtote,ſi rectè meminiſtis in præcedenti lectione,nos de indicationum compoſitione agebamus,componebamus indicationes quæ ſumuntur ab eſſentia morbi cum his, quæ à temperatura ægri ſumuntur, circa quam compoſitionem ortæ fuerunt quæſtiones nonnullæ,quæ ſolutæ fuerunt,conſequens nunc eſt,vt cõparemus omnia quæ ſumuntur ab eſſentia morbi,& vt conferamus comparationem ad ſtructuram & habitum,ſeu ad totius corporis compoſitionem,ſicut ad temperaturam fecimus,variæ ſi quidẽ ab hac comparatione oriuntur indicationes,ſi enim comparatur morbus ad ſtructuram,ſicut varia eſt ſtructura,ita etiã variæ indicationes oriuntur, verbi gratia in Socrate præter temperaturam calidam & ſiccam adſunt ampliſsimæ venæ. Sicut in his contingere ſolet, qui habent talem temperaturam,pręterea ampli thoracis eſt,

vt eti

vt etiam suppoſuimus,& ſolidorum,muſcu lorum,ſi eſſentia morbi ad ſingula iſtorum comparamus,variæ oriuntur indicationes, ſi verbi gratia comparatis tertianam ad venarum amplitudinem, quid oritur?primò oritur indicatio,quod ſtante tali amplitudine facillimè euacuabitis per venas illas amplas,præterea docebit modum operandi,quia quanto latiores ſunt venæ, tanto facilius fit attractio per medicinam ſi verum eſt,quod corpora quæ purgare volumus,oportet fluuida facere,fluuida declarat Galen.attinere tum ad humores tum ad vaſa,quæ ſi ampla ſunt facilius fit attractio, vt docet Gale.in ſecundo de naturalibus facultatibus.ex amplitudine igitur vaſorum, ſcitis quomodo commodior fit attractio & euacuatio,& ſcitis quod venæ ſunt paratæ,ideo facile poteritis humorem peccantem euacuare,ſi verò referatis eſſentiā morbi ad amplitudinem thoracis aliæ naſcuntur indicationes,ſcitis quod in tertiana bilis,habet raptum ad ventriculum & per vomitum expurgatur,amplitudo thoracis indicat quomodo commodè poterit educi,& ſine periculo educi,quod ſi contrariam habuerit diſpoſitionem,non tuto,& ſi materia habuerit raptum ad ventriculum poterit euacuari per illam regionem,imò opus

erit vt diuertatur, quia licet opus sit euacuare per regionem qua natura repit, si conueniens regio fuerit id veritatem nō habet, si modo non adsit huiusmodi thoracis amplitudo, quærendus est alius locus euacuationi aptus, si verò comparatis eandē essentiam ad soliditatem musculorum statim oriuntur duo, primo oritur quantum cibi exhibere debeatis, & etiam medicamenti, & ita quantitas limitabitur, quia soliditas illorum musculorum, validas indicat virtutes non facilè resolubiles, ex quo resultant duo, vt inueniatur quantitas cibi, & medicamenti. quantum ad quantitatē attinet cibi, vt materialem inuenietis ægritudinem ratione sui non esset cibus exhibendus, sed indicationes quæ sumuntur à natura ægri, & à corpore affecto cogunt nos ad cibandū, vbi igitur inuenietis solidum corpus scitis quod non facile resoluitur, ex altera parte scitis quod materialis morbus alimentum non requirit, ideo per comparationem hāc scietis quod facile tolerabit famem, & ex tali tolerantia poterimus tenui dieta vti magis quàm in eo qui habet laxos musculos, quia iste calorem habebit resolubilem, quantum ad medicamentum, si materia est euacuanda sumpta indicatione à materia & forma scitis quod confertim & non paulatim

tim poteritis facere euacuationẽ,ita quod quantitas virium medicamenti indicatur à tali soliditate,quia curatio quanto citior, tutior, atq; iocundior, tanto melior est,si verò confertim fieri non possit indicatione sumpta à corporis natura quæ tolerare non possit, tunc paulatim procedere debetis apparentibus signis concoctionis,& seruatis seruandis.istæ sunt compositiones quæ sumuntur à structura corporis quę variæ sunt secundum diuersitatem signorum mẽbrorum, à quibus variæ sumuntur indicationes, de quibus exquisitè agemus,cum secundum librũ ad Glau.interpretabimur,quapropter de indicationibus quæ à singulis partibus corporis sumuntur in præsentia nihil dicemus,si verò comparatis essentiam morbi ad vires,tunc resultabunt indicationes aliæ diuersæ, & primo si quantitatem morbi cum quantitate virium comparatis, tria nascuntur diuersa,primo oritur indicatio,quid sit pronuntiandum in morbo.secundo quomodo sit ratio victus instituẽda, tertio nascitur indicatio quomodo sit occurrendum in gradu cum medicamentis an æqualibus in gradu,vel in mole,vel in motione temporis,primũ docet Gal.in primo lib.ad Glau.& inquit cũ cõparatis quantitatem morbi ad quantitatẽ viriũ,consideratis

an vires superent essentiam morbi, si superent, tunc facilè poteritis pronunciare hūc morbum esse resoluendū: si autem oppositū videbitis, valde etiam est pertimescendum, & ita scitis quid pronunciandū sit. præterea ex eadem compositione scitis quomodo sit ratio victus instituenda, si enim vires validæ sint, tenuiter agendum est, quia morbus quatenus morbus materialis est, non requirit alimentum, propterea si vires tolerant tenuem victus rationem eius instituetis, si debiles sunt, tantū adiicietis de cibo quantum cognoscetis vires tolerare. Tertium quod nascitur ex hoc satis eo modo ostenditur, nam semper hoc perpetuò verum est quod ab essentia morbi in se ipsa considerata sumatur quid agendum, à forma quidem cum in se consideratur, & forma febris cum in se cōsideratur sit caliditas & siccitas sumitur indicatio refrigerandi & humectādi, à materia verò faciente febrem perpetuò verum est, quod stante materia quæ putrescit, euacuāda est. cum igitur hoc sit perpetuum, si postea comparatis essentiā morbi cum viribus, istud quod perpetuum erat non tollitur quidem, sed limitatur, verbi gratia si vires debiles sint, & debeatis occurrere homini habenti temperaturam calidam & siccam: puta vt duo respectu sui debetis

betis habere gradum refrigerantem vt duo; sed iam suppositum est quod vires sunt inualidæ,& calor naturalis in quo radicatur calor febrilis pariter diminutus,si opposita æqualia in gradu frigida & humida respectu corporis temperati exibebitis,periculum est ne extinguetis calorem igneum, pariter & naturalem,licet igitur,quantum ad excessum attineat debeat opponi æquale in gradu nihil minus cum æquale in gradu non possit tolerari à natura,debetis recurrere ad quantitatem in mole, & nihil prohibet ad quantitatem motionis temporis recurrere debetis,quia vt scitis quantitas in medicamentis consideratur secundum gradum:sicut cum dicimus medicamenta hæc talia sunt in secundo vel in tertio gradu,secundum molem,vt quãdo poculum vel situlam aquæ exhibere vultis,vel si non tolerat sicut non tolerat natura debilis,recurrendum est ad quantitatem motionis temporis,vt si non possint exhiberi duo gradus intentionis frigiditatis & humiditatis, quia non tolerat natura, nec etiam duo cyati medicinæ frigidæ exibebitis medium cyatum, & cum non possimus,gradu & mole occurrere,cum tempore supplebimus,& dabimus parum & sæpe,& enim natura tolerabit pluribus vicibus,

 quod

quod non potest vnica vice tolerare,& hæc tria ex tali cōparatione nascuntur, diceret hoc loco aliquis,exhibeatur pauca quantitas verbi gratia medius cyatus,excessusq; sit caliditatis vt duo,ad excessum talē oportet exhibere duos excessus oppositos sed natura non potest tolerare gradū nec quantitatem:minuetur ergo gradus medicinæ in intensione,& in mole,sed à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio non à medicamēto & sic medicamentū calefaciet potius quàm refrigeret,quia calor aget in mendicamentum cū victoria,hoc verū est, sed tamen dico quod non potest confertim fieri,iteratis vicibus fiet,& iste modus felicem habebit euentū,& licet proueniat actio à proportione maioris inæqualitatis,& licet calor superet gradum,tamē calor repatitur à gradu medicamēti: quoniam omne agens in agēdo repatitur,& cōtinuando deuenit ad intentum,sicuti aqua paulatim inspersa super frustum calcis viuæ,primo insultu calor calcis excitabitur magis,si adhuc inspergatur excitabitur, sed si iterum atq; iterum inspergatur,eius calor extinguetur,& sic ex vltimis actionibus apparebit victoria ex parte aquæ,sicut cū aqua cadit super lapidem,primo vincitur,sed lapis patitur,& iteratis vicibus tantum patitur,

quod

quod tandem perforatur, licet ergo res refrigerans primo insultu non refrigeret, sed potius calor augeri videatur, tamen reiterando vices victoria remanebit ex parte rei refrigerantis, vbi verò validæ vires aderunt & maximus lapsus, tria hæc exhibere poterimus, frigiditatem in gradu in maxima quantitate & sæpe, maximè vbi sit maxima necessitas extinguendi, & ita medicamentorum gradus sunt diuersimode alterandi, secũdum varias compositiones morbi ad ipsas vires, si verò comparatur morbus ad ætatem, indicationes quæ sumuntur ex tali compositione ferè reducuntur ad eas quæ à viribus sumuntur, neque differunt nisi in paucis, si enim rei natura consideratur, æquales ferè vires sunt, vt æqualis calor in iuuene & adolescente, propterea si comparatur morbus ad vires, in hoc differunt, quoniam in ætate adolescentiæ & pueritiæ crescunt pueri & adolescentes, ideo indigent alimento plurimo, tum etiam quia laxioris & rarioris sunt texturæ, & facillimè euaporant, & licet sit virtus æqualis in iuuene & puero, hoc habet puer quia facilius resoluitur propter membrorum mollitiem, & laxitatem propterea virtus habet multa negotia, oportet vt suppleat & augmento, & alimento, licet igitur sint

æquales: diuersæ tamen sunt indicationes, si comparetur morbus ad ætatem, ideo si morbus indicaret sanguinis missionem, ætas pueri contrarium indicabit, non quia vires non sint validæ, sed quia facile resolubiles sunt, ideo si mitteretur sanguis, longe magis resolueretur, propterea indiget alimento, quod in iuuene ita non est quia ipse habet musculorum soliditatem & non ita resolubilis est, & non indiget augmento sed solùmodo nutrimento, & si fuerit in fine adolescentiæ pauco indiget augmẽto. pueri verò indigent augmento secundum omnes dimensiones, si verò ætates fuerint similes & vltra ista tunc vires minuãtur, quanto minuuntur, circa alterationem & euacuationem debetis limitare quantitatem pro ratione illarum ætatum sed omnia hæc referuntur ad vires. Si verò comparatur essentia morbi ad consuetudinem tanti momenti sunt indicationes quæ sumũtur à tali compositione vt idem morbus in eadem prorsus temperatura & ætate, & iisdem viribus, curationes verò oppositas ferè requirat. verbi gratia sit aliquis similis socrati nõ modò quo ad ætatem & cætera omnia, sed etiam quo ad consuetudinem, sit natura solitus comedere panem biscotum pessimũ, legumina, & carnes bubulas, & salsamenta, quæ ab alio

alio corpore confici non possunt, etiam si esse struthio vel camelus, primo in maxima quantitate vescatur, vescatur etiam pane azimo vt Græci & vino vinosissimo perfecto. si velletis nutrire hunc tertianam patientem ptissana collata intribus diebus morietur: si verò alius fuerit assuetus degere sub vmbra, & comedere perdices, hædos & vix patiatur vitulas carnes, & bibere vinũ subtile aquosum, si velletis hunc hominem nutrire sicut nautam vtrunque interficeretis, nam nauta suũ pedibus & cerebellis est nutriendus, & rebus habentibus solidum nutrimentum, delicatũ autem nutrietis sola ptisana. Ab exercitiis autẽ, licet exercitia cum consuetudine incidere, deberent tamen in hoc quia exercitia superflua corpus imbecille faciunt, aliquando robustius, si robustũ fuerit, sumentur indicationes eædem quæ à viribus, si imbecillius ad imbecillitatem virium reducentur, & omnino redibimus ad idem. istæ sunt indicationes quæ sumuntur per compositionem essentiæ morbi ad naturam ægri. Erat tertiũ quia iam sciuistis tres esse scopos comparandos ad veram curandi rationem inueniendã primus scopus sumitur à natura morbi, secundus ab ægri natura tertius à natura aëris ambiẽtis, considerauimus totã naturã morbi quæ est in essentia,

 in quant

in quantitate in moribus & temporibus, consideramus naturam ægri quæ existit in temperatura, structura, in moribus, ætate, exercitio, consuetudine. Erat tertia natura, scilicet dispositio aëris, & sciuistis quod aliquando medio modo se habet aëris dispositio ad morbum ipsum & ægrum, quandoque ita se habet vt sit similis morbo, & adiuuet ipsum, & contrarietur naturæ ęgri, quãdo similis naturæ ægri & morbo aduersatur si fuerit similis & propria morbo vt in tertiana febre vel ardenti vbi adsit aer calidus & siccus vt in estate, nemini dubium est quod adiuuat morbum, indicatio sumitur ab aëre hoc modo vt alteretur ad frigidum & humidum, ideo eligimus in casu cubile frigidus & alteramus & cum pluribus instrumentis, si fuerit aduersus morbum, ita quod morbus sit calidus & siccus, aër frigidus & humidus, debetis tunc permittere in eademmet dispositione in qua reperitur, quoniam habet rationem remedij, & sic habet indicationes omnes, quæ sumuntur ab illis fontibus tam comparando inter se quàm etiam absolutè. Dicamus modo duo verba quomodo huic Socrati sit occurrendum, & quomodo omnes indicationes applicentur, & erit finis, iam sciuistis Socratem nostrum esse temperaturæ calidæ,

&

& siccæ, annorum vigintiquinque, pluribus exercitiis deditum, quod febrire cepit febre tertiana, si nos modo velimus ex omnibus istis vniuersalibus habitis, per habitum tunc applicare ad Socratem, quem curare volumus. Primo quidem in ipso morbi essentiam considerare debemus, & quia morbi essentia semper indicat idem, forma est calida & sicca igitur frigida & humida sunt exhibenda, materia autem bilis est, debet igitur euacuari, vultis modo mederi Socratem, non estis contenti, nisi limitaueritis omnia, Socrates calidus & siccus est, morbus calidus & siccus, hic igitur non est multum excessus, præterea scitis naturam morbi, quod non tantùm calor iste non excedit intensiue, nec etiam extensiue, quia febris tertiana hæc (quam longissima sit) non perdurat nisi per duodecim horas, & nos supposuimus durare tantùm per octo horas, & ita in tribus diebus, cum vir iste tantùm per octo horas febriat, & reliquas omnes partes quietis sint proculdubio febris non erit extensiua, neq; etiam intẽsiua erit febris, quia morbus in vtraque qualitate est similis suæ temperaturæ, cum ergo neque extensiue neque intensiue magnus sit morbus, indiget quidem refrigeratione & humectatione sed non multa, in refrigerando enim non solùm

possimus

possimus augere medicamenta in gradu sed etiam in mole, & in tempore, & in variis instrumētis v... i vrget necessitas, & non solùm applicantur ea quæ per os sumuntur, vt sunt cibi & medicamenta sed etiam ea quæ exterius applicantur, vt linimenta, vnctiones, & etiam ea quæ exterius & interius vt aër, ita quod si esset hic maximus caliditatis excessus indicatione sumpta ab excessu, non tantum cibaria frigida & humida exhiberemus sed medicamenta etiam, & quæ exterius applicantur, & etiam aërem alterare mus, sed cum in Socrate nō sit intensio gradus nec extensio, sumus contenti tantum cibariis frigidis & humidis, nec admittimus medicamenta frigida, nec exterius, nec interius neque debemus alterare aërem alteratione de qua sit curandum, nisi fortè maximus esset aëris excessus, quantum attinet ad materiam quoniam euacuanda est, scitis primò quod materia pauca est, à quantitate cuius limitatur quantum sit euacuandum, & propterea expellitur extra venas, quoniam habet imperium supra se: propterea indicatione sumpta à dispositione corporis Socratis, quoniam habet amplas venas, & facile educetur, ideo leui pharmaco indigemus, & consequenter non debemus mittere sanguinem, quia morbus non

est

est magnus, nec ratione diuersionis, nec ratione euacuationis, itaque non transibitis florem casiæ, tamarindos, & mannam, & soli clisteres quandoque & prouocatio vrinæ sanat, si natura vergat ad eas partes, ideo si vomitum excitetis eritis contenti aqua calida, vel aqua calida cum modico aceti, nec vllus sanę mentis ad raphanum, vel helleborum se confert, quia indicatione sumpta à quantitate materiæ, & ab ipsius substantia non indiget forti euacuatione, & si vrina est prouocanda apio non est vtendum in huiusmodi corpore, cum calidæ & siccæ temperaturæ sit, sed sufficiunt diuretica frigida, vt est semen anguriæ, melonum, cucurbitæ, quæ prouocant vrinam, & cum hoc refrigerant, si modo aliquis esset frigidæ & humidæ temperaturæ, & lapsus in tertianam febrem, deberetis tunc exhibere apium in prouocatione vrinæ & licet Galenus afferat exemplum indistinctè de apio, supponit vos iam habere methodũ in qua vos semper exerceatis &c.

Audiuistis in præcedentibus lectionibus, quomodo propositæ fuerunt indicationes curatiuæ, à quibus sũmuntur modi curandi febrem tertianã, & tandem audiuistis quomodo proposito illo Socrate febriente febri tertiana, esset curandus, & dicebamus

in

in calce lectionis praecedentis quomodo primò esset curandus, applicando vniuersales indicationes, ad istum particularem hominem, & cum indicationes, quæ sumuntur ab essentia morbi à forma, & à materia, scilicet eędem semper & immobiles sunt, quia semper verum est vbi caliditas & siccitas adest, vt semper cum frigidis & humidis occurramus, & vbi materia sit in corpore, vt semper euacuetur, & si nihil aliud esset, omnes essetis medici, & in tribus verbis addisceretis artem medicam, sed inquit Gal. quod facit artem difficilem sunt, istæ limitationes quæ limitant actiones nostras, verbi gratia, si debetis refrigerare, quando, quantum, quomodo, & vbi, hoc indicat maximam hominis prudentiam, & circa hoc versatur medicus & ars, & facile est videre quid, quia scimus quod contraria contrariis curantur, nam si Socrates febriat febre tertiana, scimus in eo esse caliditatem & siccitatem, prę ter naturam & materiam redundantem, & sic facile est videre quod indiget refrigeratione & humectatione, deinde euacuatione, at quantum, quando, vbi, & quomodo, sit agendum, difficillimum admodum est inuenire, incipiamus igitur ad euacuationẽ particulariũ procedere cum his indicationibus, & quia suppositum est Socratẽ calidę

& siccæ

& siccæ temperaturæ esse, non habere intensionē lapsus in gradu, quia facile inducitur caliditas & siccitas in membro calido & sicco, & ex hoc sumebatur indicatio, quod non indigebamus multis alterationibus, nec multū euacuantibus, quia materia non erat multa, cōparauimus præterea morbum ad corporis structuram, ad vires, & quomodo prognosticādum, & quomodo ratio victus instituenda, deerat vt compararemus morbū ad multa alia, ad quātitatem, scilicet ad tēpora, & videremus in quo tempore sumus, quia inde nascuntur operationes necessariæ operandi, quid scilicet agendū, sciuistis autem quatuor esse genera temporum, his ita stantibus audiuistis quomodo in Socrate proposito omnia erāt quieta, nō aderat motus qui aliquis in eo in principio ægritudinis, quia supposito quod in principio occurratis ipsi; nō fuit motus criticus, quia in principio sumus, & motus criticus supponit cōcoctionem, sed in principio non sunt concoctiones, sed cruda sunt omnia, & humor quietus, nō fuit etiā motus simptomaticus: quia talis motus cōtingit, quādo humor est crudus, vel multus, vel multā acrimoniam & mordacitatem habet, & valida est virtus, tunc excitatur ad expulsionem natura, & motus ille simptomaticus dicit, & plerunque

que laudabilis est, in nostro Socrate nullus est motus nec criticus, nec simptomaticus in principio cum concocta medicari oporteat, & moueri debeant non cruda, vt Hipp. prima particula Aphorismorum, Aphor. vigesimosecundo, nascitur indicatio quod stante materia cruda in Socrate, non debet moueri nisi prius concoquatur, & ita à temporibus, cum sumus in principio non debemus euacuare aliqua euacuatione, nisi forte lenire aluum vellemus, vt fæces existentes in intestinis exire possint, & hæc de indicationibus in temporibus, si modo comparamus essentiam ad mores, duos habet malos mores, cum sit corpus cholericum habet æstuationem maximam vētriculi & inclinationem, ad sincopim, postea habet deliriū, isti sunt duo mali mores, qui quandoque habent rationem causæ, ita quod possunt esse causa magni periculi, tunc isti mores trahunt curationem ad se, & neglecto morbo vertetis vos ad malos illos mores, & quia in isto casu est inclinatio ad sincopam, & sincopa de medio tollit, & imminet periculum de morte, oportet statim illi occurrere, delirium etiam quantū sit periculosum, quia ex ea sequitur frenitis, quæ est inflammatio cerebri, ex vobis ipsis scire potestis, ideo ambob⁹ statim occurrere oportet, nec

permit

permittere, vt incalescāt, sed statim cum Socrates habet inclinationē ad vomitū, adiuuabitis vomitum, quia expulsa bile cessabit sincopa, quæ prouenit ex bile deueniēte ad os ventriculi, & mordicando cōuellitur os, & cor per consensum, si non habet inclinationē ad vomitū nec potest euomere, dabitis isti Socrati taliter effecto, vel modicum succi granatorum, vel miuam cidoniorum, quæ est vel vinum, vel succus cidoniorum quoniā ista sunt potissima ad reprimēdam bilem, quia habent vim refrigerandi & exsiccandi, & sua vi astringente faciunt bilem deorsum tendere, imò si inuenietis syncopā talem, vt statim deliquat animo, debetis tenui medulla panis infusa in illius vinis reprimere bilē, quia stomacus amplexabitur cibum, & refrigerabitur bilis, quia in eo est vis emplastica quæ contēperat & obtundit acrimoniā bilis, si igitur poterit vomere potando aquam tepidā bonum erit, sin minus, cum vino granatorū, & reliquis iam dictis procedetis, & ita domini iudicabūt, isti mali mores quid agendū, & locus affectus demonstrabitur vbi sit operandū, si verò fuerit deliriū sicut suppositū est, statim vbi accesseritis, procurabitis, ne vapores ascēdant ad cerebrum, & non debetis permittere, vt inualescat ascensus vaporum ad cerebrum,

quia cerebrum præparabitis ad recipiendũ magis illos vapores & debilius reddetur ex illis, & periculum erit ne fiat inflammatio cerebri, & ideo oportebit reprimere vapores cum oxirodino cõfecto ex optimo oleo rosato, & aceto, & debetis habere varias miscellas huiusmodi, si videtis quod inclinet ille homo cui occurritis ad somnum, præterquam quod delirat, duas aceti partes & vnam olei rosati apponetis, si enim duas partes olei rosati apponeretis, magis somnum prouocaretis, si fuerit inclinatio ad vigilias, duas olei rosati, & vnam aceti ponetis, & ita ista indicatio, quæ variat miscellas à moribus variis sumitur, & ita indicatione sumpta à moribus scitis quid agendum, habetis quomodo Socrates si curandus sumpta indicatione ab essentia morbi à temporibus, & quomodo à moribus, reliquum modo est vt sciatis quomodo Socrates sit curandus indicatione sumpta à moribus, à temperatura, & à consuetudine, suppositum est esse calidę, & siccæ temperaturæ in ætate adolescentiæ, exercitatum in omnibus exercitiis, multum comedebat, & bibebat etiam singulis horis, hæc erat Socratis tẽperatura, hi mores, hæc cõsuetudo, hæc exercitia, & primo comparãdo morbũ cum temperatura, quid sequitur est calida

& sic

& sicca, vt supposuimus quod sit excedens: attamen temperata per secundos gradus ægrotat modo & incidit in tertianã suppositum est, quod habeat vnum gradum per excessum à suo naturali temperamento, si ita est, habet duos gradus caliditatis, sed iam vnus gradus caloris accessit, & iam sciuistis quod febris est calor naturalis conuersus ad igneum: igitur maximus est respectu sui, & factus acrior se ipso, & qualis est calor naturalis in illo talis est febris, & calor est acutus, magnúsq; respectu sui sed si consideratur respectu alterius caliditatis, non perciperetur, & in ipso isto per contrarium est febris, vbi quis habet maximam copiam caloris naturalis, sicut Socrates noster, qui habebat duos gradus caloris naturalis, sua caliditas non est ignea, vbi postea aduenit adhuc tertius gradus: quoniam putatis caliditatis gradũ in eo esse si cõparetis ad temperamentũ, in alio non toleraretur, in isto toleratur, stãtibus his, in hoc debetis summopere aduertere, quoniã ex his scietis quæcunque dixit Gale. sine distinctione, dat ptisanã, lactucam, maluã, pedes suum, cerebellum suum, & hædorum, quid habẽt pedes simile cum ptisana, & lactucis, notetis modo distinctionem quando conueniãt cerebellã suum, ptisana, vel lactuca, ha-

bemus corpus istius Socratis, in quo sunt duo gradus caliditatis per excessum temperamenti, quando est sanus, accessit vnus gradus ignei caloris, cum habeat iam calorem istum febrilẽ, totus iste calor maximus est, ideo non potest extingui eum leuibus, quia quæ calida & frigida sunt dicuntur talia respectu tẽperati corporis, si exhiberetis huic Socrati ptisanam hordeaceam, quum sit frigida, in primo tantum, & huiusmodi frigiditas, dicitur respectu corporis temperati, nec potest refrigerare nisi corpus temperatum tantum, in primo, sed Socrates quando est sanus habet duos gradus excedentes in caliditate ita quod cum sanus esset, nec posset refrigerari, quid igitur agendum? nõ sufficit ptisana in hoc corpore, conuenit alteri corpori patiẽti tertianam febrem cum remissiore calore, quia suus calor naturalis erit temperatus, aut potius paucus, conuenient igitur Socrati cibi frigidiores, & licet non possint illi exhiberi frigida in tertio sicut est portulaca, conueniꝫt tamen quæ in secundo gradu sunt frigida sicut lactuca, attriplex, blitum, malua, & quæcũq; enumerat Gal. ex his autem omnibus quid magis conueniret? blitum & attriplex, quia in blito est frigiditas intensa, in secundo & humiditas intẽsa, in tertio, & quod non potest

test sua frigiditas poterit humiditas, quæ æqualis est, & propterea augebitis molem, etsi non tolerat molem, vicibus iteratis extinguetis calorẽ illum, in hoc igitur corpore habente fortitudinem virium, quia viginti quinq; annorũ est, calidum & siccum quod indiget maxima refrigeratione, debetis eligere maxima refrigerãtia, & dare magnam molẽ, & sæpe ipsum nutrire, & hoc est verũ, sed indicatione, à musculis solidis tolerat ieiuniũ, ideo non conueniet, quia extinguet caliditatẽ ipsarum virium, lactuca enim conueniet, sed erimus ne contenti hac re? vtiq; dum erimus propè statũ, sed indicatione postea sumpta à consuetudine, quia multum solebat comedere, & quia solidos habet musculos, & fortem calorẽ, in principio dabitis huic viro cõmodissimè, vel hedorũ cerebella optimè præparata, quæ humida sunt cum pane loto, & aqua ordeacea ad bibendum, & dabitis pedes porcellorum quos non daretis debiliori, & circa statum eritis contenti sola attriplice, ex hac indicatione sumpta à temperatura & robore, dabitis etiam pullos in principio præparatos cum dictis herbis, & iste erit optimus processus, si modo frigidũ hominem curaretis, & senem qui haberet sexaginta annos, esset frigidæ & humidæ temperaturæ cum est

ſanus & incideret in febrẽ tertianam, daretis ne illa lactucã & pedes & cerebella porcorum, qui etiam otioſe degerit & tandem comederit cibaria laudabilia? minimè, quia licet ſit calor igneus in iſto viro, eſt comparatus ſuo naturali, quando eſt ſanus, comparatus verò ad hominem temperatum frigidior & humidior eſt quàm ſit temperatus per duos gradus, modo febriat iſte & calor ſuus debilis ſit factus igneus, habeat vnum gradum, vel duos caliditatis, huiuſmodi calor quamuis in ipſo ſit ardens, reſpectu tamẽ temperati non eſt ardens, imò nec calidus erit ille homo, ideo ſi daretis ea quę maximè refrigerant & extingunt reſpectu tẽperati, interficietis hominẽ, ideo lactuca, attriplex, blitũ & huiuſmodi nõ conueniũt, quia refrigerarent adeo hoc corpus vt periculum immineret ne caderet in hydropẽ, & hæc ſatis de indicationibus quæ ſumuntur à temperatura, ſi verò ſumantur à conſuetudine erunt illémet indicationes, eadem etiam à moribus, ſi modo deeſſent omnes indicationes primo omnia hæc erũt exhibẽda Socrati, & primo debetis Socratem noſtrum in prima viſitatione percunctari, an habeat adſtrictã aluum, ſi adſtricta erit aluus, primo leniatur, & prohibeãtur vapores aſcendentes, & viæ apertæ teneantur, deinde

deinde instituetis victus ratione, & in principio nutrietis alteratis carnibus huiusmodi herbis: & poteritis, si erit tempus comedendi sues, dare pedes suum, sin minus, cerebella hedorum, & si æstas erit, dabitis pullas gallinaceas alteratas cum lactucis, blitis, & attriplicibus, aquam verò dabitis hordeaceam in potu, & hæc quo ad victum & potum exhibendum in Socrate nobis à principio proposito, postea vbi apparebunt signa concoctionis euacuabitis cum pharmaco, omissa sanguinis missione, cum cassia, vel tamarindis, & huiusmodi mitioribus, quoniam materia pauca est, & est naturæ obediens, &c.

Caput de tertiana notha.

MAXIME VERO IN HIS, QVAE EXQVISITAE NON SVNT TERTIANAE, &c. quamuis in quacunque febre curanda, imò in quocunque morbo curatio sit illa quæ principaliter excipietur à medicamento, & ratione curationis omnia perpenduntur quęcunq; perpendenda sunt, licet (inquã) ita sit nihilominus nunquam potestis rectè curare, imò nec cognitionem habere rectè curandi, nisi essentiam morbi rectè cognoueritis, quoniam ab ea curandi

indicationes sumuntur, licet inquam quantum ad intentiones cognitio præcedat curationẽ, nihilominus postea secundum veram cognitionem propositionis cognitio essentiæ morbi, quoniã ab ea dirigitur curatio, cum hæc ita sint cõtingit vt quãdoq; essentia morbi licet habeat conceptũ hunc vt non cognoscatis eam dum est in corpore Socratis, quoniam occulta est & intrinseca nec apparet, nisi per quædã simptomata indicãtia ipsam intrinsecus, ideo fuit necessariũ vt haberemus artem signorũ, hoc factũ fuit à Galeno in suis operibus, & nos ad maiorẽ vtilitatem vestrã, dedimus vobis compendiũ in quo totam tradidimus artẽ & signorum, & causarum, & indicationum, debetis igitur omnia ista rectè considerare si vultis secundum artem curare, signa autẽ licet in se habeant vt procedatur in ordine & cognitionis via, tamen nunquã percipietis, quoniam ex signis istis fieri non posset vt deueniretis in cognitionẽ rei, cum nunquam vidissetis. oportet ergo vt signa indicẽt quid præcognitũ in mente, in ordine doctrinæ. primo ars morborũ cognoscendorũ tradẽda est, secundo ars signorũ, & ordo iste perpetuo seruãdus est in curãdis morbis, vt scilicet primo sciatis morbi essentiam, & ab quot causis proueniat, secundo vt signa

sciatis

sciatis per quæ discernere possitis differentias causarum à quibus prouenit morbus ille. tertio secundum varium cóceptum cognitionis morbi rectas desumetis indicationes curandi. cum igitur nunc curaturi simus febrem tertianam notham oportet vt in illa tertiana rectè cósideremus essentiam morbi, id est febris, quæ in materia & in forma, ac etiam in causis efficientibus conside ratur, nam à causis efficientibus sumitur indicatio licet non curandi, saltem præseruandi ne deterior fiat morbus. debemus igitur habere cognitionem essentiæ morbi causarum atque signorum ostendentium causas post ad indicationes curatiuas accedere, hoc autem potestis dupliciter proficere, vel ex monumentis, ex quibus eliciatis omnia ista & memoria tenere catalogum causarum & signorum atque etiam curationis, & habere tria illa capita quæ ponuntur, in libris modernis, potestis prętereа arte & methodo procedere, qua Hippoc. & Galen. vsi sunt, vt verè dogmatici positis appellari, & artium doctores, non experimentatores, si vultis esse tales, oportet vt habeatis artem, si verò vultis addiscere veram artem, oportet verbi gratia in curanda ista febre tertiana notha indagare nó ex monumétis sed ex natura rei quæ sit, & quæ possunt esse

causæ huius febris,& elicere ex ipsa essentia quæ possunt esse signa consequentia, Galen. igitur in hoc capite cum sit verè perfectus artifex & idea huius artificij, proposuit tantummodo indicationes curandi, nec vllum quidem verbum fecit de signis & causis & hoc ideo, quoniam in his libris vtitur summo cõpendio, nec vult vti superfluis prout fecisset, si signa & causas commemorasset cum iam de ipsis egisset, quando de signis febris tertianæ, quartanæ & quotidianæ tractauit, sed aduertendum est, quod febris tertiana notha, vt in secundo de crisi tertio & in secundo de diff.feb.asserit Gal. nõ differt à tertiana simplici exquisita secundum causas, cum vtraq; prouenit à putredine bilis, nec differt secũdum exacerbationem, quoniam vtraque habet exacerbationes de tertio in tertium, & tandem non differunt in tota materia, sed in hoc tantum, quoniam tertiana notha paroxismos habet extensiores, & accidentia remissiora, vt potius differre videatur secundũ magis & minus, quã secundum speciem. pro quo est sciendum quod dicit Gale. secundo de dif.feb.tertio, quod longitudo tertianæ à tribus causis procedit vel propter materiæ multitudinẽ, vel propter qualitatẽ eius, vel propter ægri imbecillitatẽ, addatur quartũ quod sciuit

cum

cum alibi distinctè apposuerit, vel ob aëris qualitatem, dicebat enim Hippocra. æstiuæ quartanæ breues sunt, autumnales verò longæ, plurimum enim facit ad morborũ longitudinẽ & breuitatẽ anni tempus, & aëris dispositio, & constitutio, cum inquam tot sint causæ facientes longitudinem paroxismorum, non credatis quod vbicunque ab aliqua istarum causarũ paroxismi longiores fiant, quod propter hoc sit tertiana notha, verbi gratia si fuerit paroxismus tertianæ viginti horarũ à multitudine materiæ biliosæ sinceræ licet transeat duodecim horas, qui est terminus vltimus exquisitæ tertianæ, quoniã suppositũ est à bile sincera fieri licet multa febris hæc extensa, tertiana tamẽ pura dicetur, non autem notha, præterea si bilis sincera fuerit in corpore debili vel senili vel imbecilli alia imbecillitate & paroxismus excedat duodecim horas, non dicetur tertiana notha, sed pura extensa, idẽ dicendum de tempore anni, & de quacunque alia causa faciente hanc febrem extensam vltra duodecim horas, quia tunc non dicetur tertiana notha, sed pura extensa, nisi materia sit illa quæ degeneret, à qua fieret denominatio, & dicetur febris tertiana notha, quia degenerat bilis à sua sinceritate, quod potissimũ contingit propter duas causas

causas in genere, vel quia nulla alia re extrinsecus adueniente fit seipsa crassior, quia in propria natura alteratur, & per adustionem crassesit longè magis, quàm cõueniat, vel crassior fit non quia in seipsa alteretur, sed quod illi quod crassius quàm sit bilis admiscetur, & ex tali miscella fit vnum corpus mixtum crassum. Quæritur modo hic ab illis modernis, nunquid febris tertiana notha fit ex putredine crassioris bilis, quando fuerit crassefacta per adustionẽ & istam appellant bilem vitellinã maioris famæ, vel fiat à putredine bilis quæ non per adustionem crassior facta sit, sed per admistionem crassioris humoris quàm minoris famæ appellant, isti moderni quãdo loquuntur de tertiana notha & in colloquiis etiam dicunt fieri tertianam notham pro parte à bile vitellina maioris famæ, pro parte à bile minoris famæ, nec audent pronunciare modo simplicem, vt saltem aliquid veri dicatur, cum tamẽ curatio cõtraria sit, si à putredine bilis factæ crassioris per adustionẽ proueniat, vel per admistionem humoris crassioris, quid hoc loco dicẽdum? nolo ergo opinionem fundare authoribus, vel in falsis rationibus, sed volo vt rem manu tangatis, qua igitur ratione deueniemus in cognitionem à qua bile proueniat huiusmodi

febris tertiana notha?nulla alia nisi essentia rei prospecta, de qua dubitamus, ab ea enim incipit ratio dubitandi, vt Galen. admonet in quæstione illa, vtrum ars tuendæ sanitatis &c. ibi inquit se declarasse quęstionem nõ aliter nisi per methodum à natura rei incipiendo, ita & nos determinamus hãc rem hoc calle Galeno duce, quæ est ista res de qua dubitamus? est febris tertiana spuria si cognouerimus naturam istius febris, facilè iudicabimus à quo humore fiat, sed quomodo iudicabimus naturam huius febris? per suos mores, & sua accidentia, primo vos videbitis, quod extensa est, & quod durat viginti & trigintasex horas, vt Gale. inquit de iuuene illo. præterea non habet accidentia sęua, nec percipitur multus calor, sed remissus & languidus, ægritudo tuta est, & licet dixerit Galen. aliqua ex parte non esse tutam, hoc nõ dixit ratione febris, nec quatenus in se est interficit, sed perniciosa est, si perseuerat, quoniam obstruitur lien & hepar, vis appetẽdi destruitur, deueniunt ægrotantes ad cacesiam, inflammantur pedes, & ad hydropem aliquãdo deueniunt, ideo dixit Galen. propter hæc non vacat periculo, quando scilicet non rectè curatur, & vitium sit in ęgrotante vel in medico: est igitur mitis & languida & si contingunt accidẽtia in huiu

huiusmodi febribus, semper sunt accidentia frigiditatem attestantia, accidit profundus somnus, ventriculi languor, pallescunt plurimum pallore ad albedinem tendente & idem faciunt moderni à calidis iuuantur, & à frigidis læduntur, omnia hæc indicant naturã istius febris habere causam nõ merè calidam, & propterea longa etiam diu perseuerat, quæcunq; autem ægritudo licet calida fuerit in principio inquit Galen. si diu perseuerat, fit frigida, & cum tertiana notha per sex menses aliquando duret, habebimus quod causam habeat frigidam si talis est natura tertianæ nothæ. Videamus modo à qua bile putrescente cõtingere posset huiusmodi febris tertiana notha, quantum ad bilem quæ crassior fit per adustionem: dicebat Gale. in fine de facultatibus naturalibus, bilis flaua sincera cum aduritur fit crassior, & calidior adeo, vt etiam aduret, vt supra diximus & talẽ appellauit Gale. bilem vitellinam, quæ cũ fit feruentior & crassior merito adustionis, deterior longe est quàm sit sincera bilis, in qua nulla contingit adustio, stantibus modo his, potéstne prouenire ab huiusmodi bile dum putrescit tertiana notha? minimè, quia bilis hæc antequam putrescat feruentissima est, cũ verò putrescit longe feruentior est, ideo febres

quæ

quæ fierent ab huiusmodi bile calidissima, longæ & tertianæ erunt extensæ, sed nõ erũt tertianæ nothæ degenerantes à tertiana vera & sincera, sed erunt longe deteriores, & paroxismi à tali bile vitellina prouenientes perseuerabũt vsq; ad triginta & horas, post duas ad summum vel tres accessiones, imò quandoq; post primum paroxismum fiunt continuæ, & ratio est, quia huiusmodi bilis per adustionem facta crassior, dum postea putrescit fit feruẽtissima, tum propter adustionem, tum propter putrediné, atq; adeo ignea fit & potens vt reliquos etiam humores putrescere faciat, præterea vapores putridi crassi ab ea eleuati non difflantur facile sicut à bile sincera, meatus obstruuntur, putredo augetur, recluditur calor naturalis intra venas, imbecillior fit propter caliditatem igneam cõsumentem spiritum & calorem, virtus quæ consistit in temperamento decidit, non est potens expellere materiã ab intra venas ad extra, vnde post secundum paroxismum febres istæ continuæ fiunt & accidentia, quæ consequuntur has febres sæuiora sunt, itaque etiam est intensior, si igitur signa & simptomata quæ consequuntur tertianas nothas omnia sunt remissiora quàm sint accidentia quæ consequuntur verã tertianã notham, igitur febris

tert

tertiana notha non fiet ab huiusmodi bile adusta,& licet habeant febres istæ quæ à bile adusta proueniunt periodos de tertio in tertium nõ dicuntur febres tertianæ nothę, & hæ facile cognitu erunt,quoniam extensæ sunt,& sæua habent accidentia,in tertiana verò notha sunt paroxysmi longi quidem,sed accidentia remissa,quæ febris fit ex bile prasina? si verò bilis crasior fiat per adustionem vlteriorem,& prasina fiat, vel eruginosa,aut nigra, & putrescat,quæ natura febris fiet? moderni dicunt quod nõ potest fieri febris à tali bile,quia à natura statim extra corpus pellitur, dicatis vos quod fient febres pestiferæ à quibus nos caueat Deus,quæ habebunt paroxysmos extensissimos propter duas rationes, primo quoniam humor crassus est,& adustus,secũdo quoniam virtus propter venositatẽ imbecilla est,& propter materiæ putredinem vapores putridi & venenosi accedũt ad cor, & virtus statim concidit. vbi igitur facta adest adustio,& tanta adest putredo vt bilis eruginosa, aut prasina, vel nigra corrumpatur,fiunt febres pestilentes, quæ vel interficiunt, vel habent accidentia seuissima,in quibus apparent maculæ,quas pethechias appellant,variorum colorum,aliquãdo purpureæ & carbunculi aliquando apparent

parent pro varia adustione & humorum putredine, dicebat Gale. in tertio epid. quod tertianæ fiebant, in quibus vlcera detestabilia apparebant propter nimiam adustionẽ bilis, & istæ non debent tertianæ nothæ appellari, sed extentæ venenosæ, & pestilentes, & ita habetis, quæ febres ex bile contingere possint, quæ seipsa per adustionem crassior fit, ex quo apparet error illorum, qui dicunt à bile vitellina maioris famæ fieri tertianam notham, si verò crassior reddatur seipsa, non quia aduratur, sed quia aduenier humor extrinsecus, tunc vel iste humor erit sanguineus, vel melãcholicus humor, vel pituita, vel aliquis ex ipsorum adustis supra nominatis. Si sanguis cum bile misceatur, poterítne fieri tertiana? vtiq;, sed non erit notha, & ratio est, quia tertiana ista nõ poterit fieri nisi ratione alicuius inflammationis intrinsecæ, vel extrinsecæ, intrinsecæ vt in pleuritide, cum sanguis simul cum bile tendit ad membranam succingentem costas, & ibi colligitur & putrescit, fit febris tertiana, & licet ista sit cõtinua, habet tamẽ exacerbationes de tertio in tertium, si verò inflammatio sit extrinseca, vt in bubone, febris fiet cum tertianæ exacerbationibus & interuallis, & benigna erit ex permistione sanguinis cum bile, non tamen febris ter-

tiana notha erit, quoniam hæc non pendet ab inflammationibus, cur autem sit necessarium cum sanguis permiscetur cum bile vt oriatur febris tertiana, quæ necessario consequatur inflammationem, est quoniã sanguis non potest mitti extra venas à natura existens sanguis nisi ad locum inflammationis, nec in venis putrescit, nisi in maximis occasionibus, & tunc fiunt febres pestilẽtes, vel permiscetur humor melancholicus cum bile, & quia crassus est, fit tota substantia crasior, nunc quæritur an febris tertiana notha fieri posit ex huiusmodi miscella? nequaquam, asignauit rationem Nicolaus Florentinus, quoniã isti duo humores non permiscẽtur, & si quæris, cur non permiscentur? respondet, quoniam adeo sicci sunt, vt non posint permisceri, sed certè responsio hæc non est digna medico neq; philosopho, & oblitus est quod dicebat Gale. omnes humores sunt actu humidi, licet quidã eorum sint potentia sicci, ideo bilis rufa & humor melancholicus sunt fluidi actu, licet sint potentia sicci, præterea mixtio fiet ex pulueribus, vt ex rebus aridisimis, ergo quomodo siccitas poterit prohibere mixtionem? bene verum est, quod nunquam fiet febris tertiana notha ex tali miscella, sed fient febres pestiferæ, & ratio est, quoniam isti duo humo-

res

res non fiunt nisi à vehementi calore,& nisi caliditas in hepate,tam valida & venis fuerit,nunquam generabuntur huiusmodi humores. Si verò miscentur eruginosa bilis & prasina,vel vitellina per adustionem cũ bile ruffa,fiétne tertiana notha,de qua nũc loquemur?minimè,sed fient febres pestilentes.relinquitur ergo ex sufficienti diuisione, cum non possit fieri tertiana notha,nec per adustionem bilis,nec per miscellam sanguinis,nec humoris melancholici,neq; adusti, quod fiet per admistionem pituitæ,quoniã nullus alius humor potest misceri,ideo tertiana notha nostra nõ potest contingere nisi per admistionem bilis cum pituita,in qua mistione perinde est ac si misceremus vinũ cum aqua,sicut enim ex ea mistione refrangitur vis vini & aquæ,ita etiam refrangitur vis acrimoniæ bilis,& eius subtilitas à crassitiæ & frigiditate pituitæ,& ita pituita etiam quæ crassa est & frigida magis attenuatur & acuitur à bile & cum sit talis miscella,fit vnum,tertiũ quod spurium appellatur,quod neq; plane bilis,nec pituita est, sed sapit naturam vtriusq;,sicut mulus qui nec planè asinus,nec equus est,sed dici potest,quod sapit naturã mediã,inter equum & asinum,ideo febris hæc iure optimo dicitur spuria , quod autem ita sit,coniicere

potestis ex moribus huius febris, quoniam iam tradidit signa febris tertianæ, & quotidianæ, & quoniam febris illa habet signa, quæ partim tertianæ, partim quotidianæ assimilatur, vbi cognoscuntur extrema separata, facillimum est cognoscere: cum sunt simul mixta, & quod hoc sit verum videatis euacuationem factam à Galeno, qui vtitur calefacientibus & incidentibus, non tamen nimium calefacientibus, quia non absolute conueniunt calida & sicca, sicut in quotidiana simplici, & hæc est vera causa tertianæ nothæ, videlicet bilis permixta cum pituita, quæ si erit subtilior erit facilioris curationis, etsi erit crassior & viscidior difficilius resoluetur &c.

Dicebamus in præcedenti lectione, non tantũ in tertiana notha curanda sed etiam in omnibus aliis feb. & tandem in omnibus ægritudinibus, tria esse ante euacuationem principaliter aduertenda, primo oportet videre essentiam morbi, & quoniam sæpe latet, ideo oportet habere signa quibus possitis deprehẽdere eam vbi lateat, postea his rectè perceptis ad indicationes accedere debetis, quæ demonstrantur vobis, à morbi essentia cũ suis annexis, & quod in omnibus docuimus omne faciendum, idẽ in ista quam curaturi sumus, fieri debet, & quia essen

tia primo erat considerada,quoniam ea à Galeno supponebatur,nos declarãtes mentem Galen.cur id fecerit, ostendimus quæ esset,& diximus quod consistit in materia & forma,& quod à causa extrinseca fit,quæ erat bilis commixta cũ pituita,ex qua materia diximus, fieri vnam formam humoris,quæ à medicis colera vitellina maioris famæ appellatur,audiuistis postea,quando putrescunt reliquæ biles per adustionem, quod ex illis fiunt febres tertianæ extensæ non nothæ,& quod magna est differẽtia inter febrem tertianam extensam & notham. istis ita declaratis & cognita essentia morbi,quæ facit tertianã notham,ab huiusmodi, modo essentia sumuntur indicationes curãdi,sciuistis autem quod ab essentia rectè percepta indicationes sumuntur quid agendum,à reliquis autem annexis essentiã consequentibus,omnes reliquas limitationes sumetis,quia non sufficit scire quid agẽdum , sed quomodo , quantum, quando,& vbi,& nisi hæc ordinatè scieueritis , frustrà operabimini,& plerunq; errabitis,ideo ab indicationibus,quæ quid agẽdum ostẽdunt incipiemus,quę sumuntur ab essẽntia morbi,essentia quidem in propria materia & forma consistit,materia autem dupliciter, consideratur vnomodo,vt habet rationem

causæ antecedentis, quæ nondum actu facit morbum,& hæc efficiens etiã dicitur, alio modo consideratur sub ratione esse materialis, & vt substantia putredinis, à qua eleuantur vapores putridi,& permiscẽtur cum contentis cordis & fit febris, præterea est consideranda forma tertianæ nothæ quæ est calor præter naturam, & tandem reducimus rem ad hoc,vt quid agendum sumatur à materia, prout habet rationem esse antecedentis,& coniunctæ,& à forma quæ est calor præter naturam à qua autem incipere debeatis, alias ostendimus quidem causa. enim prout est actu semper necessario producit effectum, & sunt duo correlatiua, si inquam hoc verum est, non poteritis ægritudinem curare quæ actu sit,à causa,nisi intercipiatis eam,quia habet rationem causæ sine qua non,oportet igitur ab hac incipere, si vultis factum morbum curare, in quo est materia non amplius faciens morbum. Sed quæ iam fecit,sed quæ iam est ista causa effectus in tertiana notha?est pituita, cũm bile mixta,&huiusmodi humor cum sit redũdans in corpore, & præter naturam indicat quod debet euacuari,sed cum euacuatio fieri posſit dupliciter, vel per sanguinis misſionem,vel per purgationem,cum medicamẽto, quo instrumento vtemur, an misſione sanguin

ſanguinis an purgatione cum medicaméto? vt habeatis inſtrumentum oportet vti diſtinctionibus, nam vel huiuſmodi bilis talis eſt, vt tédat ad naturam ſanguinis ſubtilioris, nec multum recedat à natura ſanguinis, nec ſit ex natura illarum materierum, quæ alienæ ſunt à natura ſanguinis, & ſit pituita dulcis non craſſa, nec rebellis omni concoctioni, melior erit euacuatio per ſanguinis miſsionem, ſed ſcire debetis quod miſsio ſanguinis duplicem habet intentionem, vna euacuat multitudinem, alia aperit obſtructionem & materiã deriuat, quomodo quæ multitudini debetur conuenit, quando euacuare vultis materiam antecedentem, quando vultis aperire obſtructiones & materiã deriuare, hæc debetur materiæ coniunctæ, vel bilis mixta pituitæ craſſa eſt & feruẽtiſſima, & à natura ſanguinis recedẽs, & etiam pituita mixta, eſt admodum cruda, & ſic cõuenientius purgabitis cum medicamento quàm cum ſanguinis miſsione intelligendo per ſanguinis miſsionem, eam quæ multitudinem euacuat, vel eſt media, & tunc vtrunque facietis, & primo mittetis ſãguinẽ, ſecũdo purgabitis, hic diceret aliquis, quomodo cognoſcã quod pituita ſit dulcis, & quod bilis ad ſanguinis naturã accedat? ex antecedẽtibus cognoſcetis, dicebat enim Gal. in

ſecundo de diff.feb. nono cum putreſcit tenuior pars ſanguinis, calor eſt cum aliqua humiditate,& ſapit naturã ſanguinis, & reliqua accidentia ſunt remiſſa & benigna, ſi pituita dulcis fuerit, tactu calor percipietur mitis & accidentia erunt benigna, cõtra verò ſi fuerit,bilis vera,calor percipietur ardens, & cum permiſcetur cum pituita crudiſsima,& frigidiſsima,tunc illi miſeri affliguntur & caliditate & frigiditate, & hoc eſt quia illi duo humores diuerſi ſunt cõtrarij, primo enim eſt bilis feruentiſsima, ex qua fit febris ardens,& poſtea pituita frigidiſsima pexmixta bili,quæ non poteſt ex putredine ita incaleſcere,vt non habeat frigiditatem maximam, ſi vos intuebimini, primo ſigna & accidentia omnia ſimplicia, poſtea ex vſu etiam compoſita patebunt,non enim poteſt ars Hippocratica,quæ diuina eſt,vno intuitu addiſci,audiuiſtis ergo quãdo ſit euacuanda materia faciens tertianam notham per ſanguinis miſsionem, quando eſt ſub ratione cauſæ efficientis,audiatis modo quãdo ſit purganda per medicamentũ, dico tũc eſſe purgandam quando receſsit bilis à natura ſanguinis,& ſinceriſsima ſit, pituita verò frigida, qa ſi euacuaretis tunc per ſanguinis miſsionem, faceretis id quod Auic. quarta primi cap. xx.dicit caue cum phlebotomas ne ad

ne ad alterum duorum ægrum deducas, vel ad calidorum ebullitionem, vel ad frigidorum incrudationem, innuens ea, quæ clare dixit Galen. in quarto de tuen. san. qui dicebat, cum recesserit humor à natura sanguinis, purgari debet, cum verò accedit ad sanguinis naturam cum missione sanguinis, si medio modo se habet, medio modo procedere debet medicus euacuando, scilicet & purgando, euacuanda est igitur materia vtroque modo, sed cum euacuanda est cum medicamẽtis oportet prius eam disponere, vt facilius educatur, quia dicebat Hipp. cõcocta medicari, atq; mouere non cruda, sed quomodo disponetur? dupliciter vel concoquendo, vel præparendo hæc diximus, quoniam Moderni sæpe confundunt hæc, & cõcoquunt, quando præparare volunt, præparant autem, quando cõcoquere intendunt, concoquitur materia, quãdo separatur vtile ab inutili, & hoc facit semper natura, & ars: excrementa enim in qualibet cõcoctione separantur ab vtili, quæ concoctio siue fiat à natura siue ab arte semper fit cum moderato calore. Præparatio autem fit, quãdo humor crassus est, vt inciditur, si viscidus & impactus abstergatur, si subtilis deducatur ad moderatã substantiã, vt nec subtilis, nec crassus sit, si calidus ad temperamentum deducatur,

ducatur, ista est præparatio, videte ergo quantum differant hæc duo. huiusmodi ergo humor, primo concoquendus est, vt vtile ab inutili separetur, quia cum minori nocumēto euacuabitur illa materia, & facilius educetur, si fuerit viscidum & impactum, aperiētibus abstergatur, si crassum cum incidentibus, & subtiliantibus attenuetur, & hæc omnia fient, non tantū cum medicinis, sed & longe facilius cum cibis, & videbitis omnes illustres antiquos vti concoquentibus & præparantibus, quæ sunt sub ratione ciborum, quoniam natura melius & facilius deducit ad actum familiaria quàm non familiaria, ideo debetis in hoc casu, quia materia mixta cum bile crassa est & viscida, eligere cibaria quantum ad concoctionem calida & humida, in quantum ad præparationem: quæ vim habeant incidēdi sine intensa caliditate, quia huiusmodi materia licet viscida est magis quā sint reliqui humores corporis, & ita eligatis ptisanā pipere iniecto, potū verò præparatū cum hyssopo, pipere, spica: vel cinamomo, quoniā sua moderata caliditate adiuuāt concoctionem, & incidunt, potestis etiam adhibere medicamenta, modo opportunè adhibeantur, & non semper laudo syrupos, & ratio est, quia isti cum exhibent syrupos in aurora, & plerunque

runq; contingit, vt non dormierint ægri in nocte,& maxime fuerint affecti, & malè cō coxerint cibaria vbi exhibebitis ſyrupos in iſtis,præterquam quod exhibebitis eos à ſomno, alia multa mala faceretis, quia cum habeant iſti cibum incoctum in primis venis,per ſyrupos cum habeant vim incidēdi & penetrandi, facietis vt chilus crudus exiſtens in primis venis, per venas vltra hepar deducatur,ex quo augebitur putredo, obſtructiones, & febris. præterea vos ſcitis ꝙ exhibetis ſanis etiam aliquid præter cōſuetudinem in horis non conuenientibus quam male natura admittat talem rem. propterea non ita facile accedetis ad ſyrupos iſtos,ſed tunc ſolum, quoniam maximè conueniētes erunt,ad ipſos accedetis, fuerunt inuenti ab illis magnis viris nō ſine ratione,licet apud antiquos non viſi ſunt vnquam, poſtea poſteriores medici videntes id fuiſſe à magnis illis viris obſeruatum vſum hunc celebrarunt,nulla ducti ratione, ſed quod viderint ita obſeruatum & exiſtimantes id poſſe fieri in vſu remediorum quod in calceis conſpicitur, quandoquidem poſſunt vno & eodem calceo calceari,ſed res non ita ſe habet in re medica, quia quod remedij rationem habet in manu dogmatici,in alio veneni rationem habebit,quoniā ignorabit quando, quantum,

quantum, & quomodo ſit exhibẽdum. dico igitur quod tunc cõueniunt in febre acuta, in tempore ęſtiuo, quando ardent homines, & medici noluerunt ægro indulgere, vt in nocte biberet, quadamtenus humectaretur, cùm iam planè arefactus eſſet, opportuniſſime, tunc in aurora exhiberi poterunt ſyrupi, quia eadem hora in qua ægri quieſcunt, ardent, habent ſiccitatem & ſqualorem maximum in vẽtriculo præ nimio ardore, tunc enim humectatur ventriculus, refrigeratur, diſtribuitur ſyrupus per venas, refrigerat & actu & potẽtia, ſæpe dormiũt, ſudatur & maximum affert commodum, & credo quod medici per hanc cauſam exhibuerunt ſyrupos & hæc quantum ad ſyrupos videbitis vos hoc Galen. non exhibere ſyrupos ſed potiones, quæ habent vim incidendi & vtitur illis in prandio & in horis conſuetis, non autem in aurora, ſatis igitur dictum ſit quomodo ſit præparanda materia, cum quibus verò inſtrumentis ſit euacuãda, ſcitis materiam iſtam eſſe pituitam bili admixtam, poteſt per ſeceſſum & vomitum educi, ſi videbitis materiam vergere verſus ſeceſſum, maximè cum lenibus medicamentis quoniam quæ valida ſunt quãdam habent venenoſitatem, ratione cuius virtus deſtruitur, & in febribus putridis ni-

hil

hil deteſtabilius eſt, quàm vires deſtruere, quoniam in tempore maxime in quo morbus vrget in quo natura debet pugnare cum morbo, cogemini ægrum non ſine maximo veſtro dedecore, & ægri periculo nutrire, vt optime Gal. vndecimo therap. admonet, dico igitur quod partim eſt euacuandum, & cum medicinis lenibus, vt virtus ſuſtineatur, quandoq; etiam per vomitum euacuabitis, qui poſt cibum prouocādus erit & ratio eſt, quia pituita cum ſit mixta cum bile, & locus pituitæ ſit ventriculus ex proprio fonte educetur per vomitū, ideo merito dixit Gal. plurimos ſolis euacuationibus fuiſſe curatos, & ſic habetis quomodo ſit euacuanda materia iſta in febre tertiana notha curanda, quantū attinet ad materiam antecedentem. Quantū ad materiā cōiunctam, quæ actu putreſcit, ex qua vapores putridi proueniūt, & fit febris, quid faciendū? ſcitis putredinem generari, à calore præter naturam quarto metheororum Ariſto. calor autem præter naturā fit propter prohibitam tranſpirationem, ergo ſi volumus prohibere putredinem oportet vt corpus tranſpirabile reddatur? ſed quomodo reddetur? euacuata prius materia, quę habet rationē cauſæ antecedentis, & tunc vtemur his, quæ faciunt corpori tranſpirationem per interius

& exter

& exterius, per exterius cum frictionibus, quæ faciunt meatus cutis rariores, ita vt materia difflet, & putredo prohibeatur, prætérea cum linimentis & oleis quibusdam moderatè calefacientibus, vt est oleum camomellinum, aut irinum cum portiuncula vini maluatici, ex hoc linimento rarescit corpus, transpirat materia, sudor emanat, & febris cessat, quoniam prius materiam antecedentem euacuastis, & coniunctam transpirare fecistis, debetis autem ab aëre frigido cauere, quoniam meatus cutis constipat, & putredinem auget, interius autem exhibere debetis quæ aluum leniãt & vrinam prouocent, nam aluum leniendo, aperietis primas venas & humores crudos educetis qui obstructionem faciunt, & ita putredinem remouebitis, præterea dum prouocatis vrinã cum incidentibus & attenuantibus, non solùm obstructiones in primis venis aperietis materiam coniunctam euacuando, sed eam quæ in venis crassa est incidetis & attenuabitis, & ad vias vrinæ deducetis, & ita causam & febrem remouebitis, & ideo Auic. enigmaticè loquens vt sui moris est, duo esse in omni febre curanda dixit aluum lenire, & vrinam prouocare, nec dixit quando fieri debeat, nec quomodo, quando ergo euacuaueritis materiam antecedentẽ, lenire

aluum

aluum & prouecare vrinam, eſt remedium conuenientiſsimum propter rationes iam dictas, præterea in hoc caſu vtimini phlobotomia, quæ nõ fit loco multitudinis, ſed loco aperitionis & deriuationis, quia talis ſanguinis miſsio obſtructiones aperit, rarefacit habitum. tertia cauſa à qua ſumitur quid agendum, erit forma febris, quæ eſt calor naturalis verſus ad igneum, qui remouendus eſt, & plerunque in febribus iſtis, remouetur cum remouetur forma, quia non eſt impreſſa in membris, ſed in humoribus, quia membra ſunt poſita in caleſieri, non in caleſacto eſſe, ſi modo eſſet in membro facta impreſsio aliqua, remota cauſa faciente febrem, tunc vtimini refrigerantibus & humectantibus ad formam deſtruẽdam caloris impreſſam, & ita habetis omnia agenda quantum attinet ad quid agendum per indicationes quæ ab eſſentia in cauſis morbis ſumuntur. Nunc eſt videndum, quomodo, quantũ, vbi, & quando ſint agenda, quomodo ſit agendũ à quibus cognoſcitur? à moribus à cõſuetudine & à natura propria vnius cuiuſque, à moribus quidem, quia aliqui ſunt ita delicati, vt nolint medicamentum tolerare, non amarum, non fætidum, neque etiam liquidũ, aliqui nollunt pati pillulas. modus igitur operandi diuerſificatur à mo-

ribus,& medici debent indulgere ægris,dũmodo non noceant,nec adule͂tur, quoniam dicebat Cornelius Celsus, prouidi medici debent ægris cito, tuto, & iocunde, occurrere,ideo debetis medicamenta præparare, & si fastidit pillulas dabitis liquida, si non patitur fætida, dabitis odorata, si non vult tolerare amara, dulcia eligetis, quia tunc id facilius medicamentum assumetur, & à natura melius deducetur ad actum,& etiam medico ægri confident se,& illos amabunt, dicebat enim Hipp. quod longe magis proficit confidentia ægri in medicum quàm medicus cum remediis in ægrum, consuetudo quãtum faciat scitis, aliqui enim sunt consueti comedere quater in die,aliqui non sunt assueti sumere medicamentum: isti diuersimode regi debent, & modus operandi debet variari. Natura ægri præterea aduertenda est, sunt enim quædam proprietates naturæ,indiuidualis,aliqui non possunt tolerare agaricum, alij cassiã, alij scamoniũ, alij syrupum rosatum solutiuum,& dicebat Nicolaus Florentinus quod ipse incidebat syncopam ex odore casei,& Auerr. tantum æxtimauit proprietates istas, vt non sit ausus hanc artem exercere, quia dicebat ipse inter medicamentum meum & hominem illum curãdum curret forte aliqua occulta
prop

proprietas quod interficietur, oportet igitur medicum rectè perpendere medicamentum, & percunctari ab ægro an abhorreat aliquod ex medicamentis & dicere illi quo medicamento vti velit, vt sciat ex illa percunctatione si medicamentum sit illi infestum, & hæc obseruare debetis, quo ad modum, operandi, quantum verò sit agēdum, limitat ætas infirmi, vires & temperatura. non enim eadem proportione dabitis medicamentum stante eadem ægritudine imbecilli huiusmodi & robusto, nec idem pondus dabitis homini cholerico & sanguineo, prima pro ratione dispositionis tēporis anni limitabitur etiā quantitas nam in hieme tolerant facillimè homines, in æstate magis resoluuntur vires, ideo crebrius oportet afferre cibum in regione calidissima, in Aegipto non tolerabitur ieiunium sicut in Germania, in Aegipto mos est, vt medici ægris afferant potum quantū velint, & illis afferunt succum peponū ad libitum, quod nobis nō licet, quamuis medici in Venetiis permittant, quoniā non est eadem species ægritudinis hic & ibi, nec idem cælum, nec eadē corpora, nec eædem augurię siue pepones, præterea vires sunt illæ quæ regulant, nam ætas, temperatura, regio, cæli status, & aëris dispositio ad vires reducuntur, quare

non exhibetur idem puero quod viro, non imbecilli quod robusto, quare non in maximis caloribus quod in regione temperata? hoc est quando vires sunt imbecilles, cibaria etiam limitantur per comparationẽ morbi ad vires, vires volũt cibum, morbus id negat, in hoc ambiguo debetis vtrunque perpendere, si vires possunt inediam tolerare, donec morbus concoquatur nihil dabitis, dummodo terminaturus sit in secũda vel in tertia die, si verò futurus sit longus, nec vires tolerare possint inediã, donec concoquatur morbus tantũ exhibere debetis, vt vires sustineãtur, sed non sit in substãtia, nec in qualitate talis, vt possit concoctionẽ morbi impedire, quia habere oportet vnũ oculum ad virtutem, alium verò ad morbum, moderni dicunt oculum dextrum ad virtutem, sinistrum ad morbum. hoc nõ est semper verũ, quia si vires sunt validissimæ oculum dextrum & sinistrum habeatis ad morbum neglecta virtute, si inualidæ, ambos oculos ad virtutem habeatis, neglecto morbo, si medio modo vnum oculũ ad virtutem, alterum ad morbum habebitis, &c.

Audiuistis quę nam indicationes curandi in febre tertiana notha sumerẽtur, & primo quomodo quid ab essentia morbi, & etiam limitationes quæ circunscribũt quid agend

agendum, & præterea diximus quantum, & quomodo debere sumi à moribus ægri à consuetudine, &c. diximus quantitatem sumi ab ætate & reliquis & à quantitate lapsus, & nihilominus semper per vires diximus esse illas à quibus principaliter sumitur quantitas agendi, & talis quantitas non tantùm circa medicamenta consideratur sed circa cibum & potum, tantum enim cibi exhibere conuenit quantum videtis ipsas vires posse substinere, quando verò sit operandum heri non potuimus perficere, nunc videndum vnde sumantur indicationes istius quando, vt alias diximus ab ipsis temporibus morbi sumuntur, & quoniam sunt duo tempora morbi in genere, aliud vniuersale, aliud particulare, particulare intelligimus ipsa quatuor paroxysmorum tempora vt cum incipit vnus paroxysmus febris, augetur, stat, & declinat, vniuersalia tẽpora sunt illa, quando consideramus totum motum morbi à principio vsque ad finem, verbi gratia in ista tertiana notha vniuersalia tempora sunt à principio mansionis vsque ad vltimum diem, particularia sunt à principio vnius paroxysmi vsque ad finem ipsius, ab istis ergo duobus temporibus sumuntur quãdo agendũ, à tẽpore vniuersali sumpta indicatione vt à principio

 quant

quantum attinet ad medicamentum nihil dare debemus,nec euacuamus tũc, sed materiam solũ disponimus, quia cõcocta medicari atque mouere non cruda, in principio autem omnia sunt cruda, quia cruditas est illa quæ facit principium ægritudinis, ideo in toto eo tempore nihil damus medicamenti euacuantis,sed præparamus,& concoquimus. vt à natura & ab arte euacuari cõmode posſit, quantum verò ad cibum in principio plurimũ cibi offerimus, quoniã nondum aggressa est morbum natura,quoniam quum natura occupata est circa morbum,non oportet ipsam à proprio opere diuertere, & si daretur tunc cibus distraheretur ad cibi concoctionem, & morbum derelinqueret, quia ergo principio natura otiosa à pugna sustentamus eam,vt postea in pugna propriũ habeat alimentũ,nec tunc importune cogamur ipsam alere, in augmento,vbi incipit morbũ aggredi, in cibis tunc tantum subtrahere,quantum cognoscamus pugnam esse magnam, vnde in statu, quia maxima est pugna,nihil damus cũcta Hippo. præcepta in primo Aphorís.per multos Aphorismos. His igitur stantibus videtis, quomodo indicationes à temporibus vniuersalibus sumãtur tum cibi, tum medicamẽti in particularibus autem temporibus,

nec

nec cibi, nec medicamẽti dabimus aliquid, nec opus est vt aliquid detur in principio, neque in augmento, neque longe minus in statu, quo ad somnũ, ferè circa statũ, vt vtar verbis Auic. poterit concedi licet hic quæstio magna oriri posſit, an somnus in statu paroxysmi conueniat, qui volunt somnum conuenire habent hanc rationem, quoniam somnus non retinet superfluitates illas, quę per cutim exalant, & præterea melior fit in somno concoctio, neque natura diuertitur, & quicquid sit, fortè circa statum conuenit, non tamen cibus nec medicamentum, nisi in declinatione, tantum exhibendum est, & propterea bene dicit Hipp. primo de ratione victus in acutis, tunc exhibendus est cibus ægris quando calor ad pedes decubuerit, declarans Gale. illum locum, in quo inquit tum demum decumbit quando relinquit partes thoracis, & calor sit in extremis, & illa est declinatio. videtis ergo quomodo indicationes curãdi febres tertianas nothas, & omnes alios morbos sunt sumendæ, & quomodo indicationes quid agendũ ab essentia morbi sumuntur, indicationes verò quomodo agendũ à moribus, à cõsuetudine, & à natura propria, & quomodo indicationes quantũ agendũ sumũtur à viribus, à quãtitate lapsus, à tẽperatura, à tem

pore anni, & à constitutione, & quomodo indicationes, quãdo agendi sumũtur à quatuor temporibus morbi vniuersalibus, & particularibus. His stãtibus quomodo procedendum sit in curationibus, audiatis modo Galen. & videbitis ne tantillum quidem omisisse, quod ad veram faciat curationẽ, maximè verò in his quæ exquisitæ nõ sunt tertianis, quo ad fieri potest perspiciendum est, ne morbus increscat, deiiciantúrque vires, & in methodo indicationes audiuistis, & quoniam debet medicus semper in prima visitatione ordinare cibum, Galen. non curans seruare ordinem à principio proponit indicatione sumpta à quantitate lapsus MORBI, ET VIRIVM: IDEO INQVIT MAXIME, &c. domini cum morbus prorsus cibum abneget, vires autem cibum velint, cũ morbus iste longus sit, si non paratis cibos vires deiiciuntur, si exhibebitis cibum, morbus increscit, non inquit Galen. caueatis ne in tertiana notha curanda cum longa sit, ne vires deiiciantur nõ alendo, vel morbus increscat alendo, iuxta illud Hipp. septimo Aphorismũ, Aphorismo 63, si febricitanti cibus afferatur sicut sano robur, ita laboranti morbus est, vt enim cibus alit sanum, ita vbi est ægritudo, ægritudinẽ alit, & propterea bene admonet hoc loco

Gal.

Galen. vt caueatis, & dat modum quomodo hanc euitare debeatis syllam & charibdim, ideo inquit, in his tertianis nothis quã diligenter prospicere oportet, ne morbus increscat, & vires deiiciantur, quas conseruare diutius necesse est, quod nõ est ita pertimescendum in tertiana exquisita, quoniã breuis est, vtrunq; enim tenere difficile est, quia quantum inedia ad concoctionẽ morbi prodest, tantum vel plus etiam vires offendit, omnia ista clara sunt, sed & hic NOSCENDVM EST AD QVANTVM GRADVM, MORBVS PERVENTVRVS SIT, ET QVANTVM LABORANTIS VIRES DVRATVRAE SINT, &c. nunc dat materiã Gal. quod debeamus euitare huiusmodi periculum, & est vt videatis quantũ sit lapsus, & quando futurus sit status, vt etiã admonet in secundo de ratione victus, si morbus futurus est longus, tuto in principio debetis vlterius cibare, vt vires circa statũ non deficiant. si verò cognoscetis futurũ statum propinquum, parum cibare debetis ne status oneratã virtutem occupet à cibo, & ita morbus perdat ægrum, & ideo caueatis à communi errore medicorum, qui semper incipiunt à prinsipio cum tenui dieta, postea per sex aut octo dies alere cogũtur vberius infirmum, quoniam vires

afflictæ sunt, & ita ægros interficiunt, hæc quidem in omnibus aliis morbis cõsideranda sunt, vt scilicet perpendatis morbum & virtutem, & si morbus facilis concoctionis præterquam quod breuis sit foré iudicabitis, & vires potentes, tunc in principio ægrũ parum nutrietis, & si longum & difficilis resolutionis iudicabitis, tunc etiam si vires erunt fortes vberius à principio illũ patientem nutrietis, & tandem nunquam errabitis, si metiemini morbum cum viribus, neque verò statum per initia in spuriis lauare salubre est, sed vbi primum concoctionis signa apparuerint, id est audiuistis quomodo indicatione sumpta à materia quæ debet euacuari, quod nunquã euacuari debet, nisi concocta fuerit & præparata, siue per aluum, siue per vrinã, siue per sudorem, siue per difflationẽ euacuatur, vt possit remediis vestris obedire, quum vultis inquam per hæc loca euacuare, oportet vt sit ita parata, vt remediis obediat, & si aliter facietis, contra præceptum Hipp. erit in primo Apho. vigesimosecundo, in quo præcepto fundãs se Galen, in hac indicatione (inquit) non est saluhre per initia in his spuriis curare, quia materia cruda nõ debet aliquo genere euacuationis euacuari, sed materia faciens tertianam notham, & pituita

mixta

mixta eum bile, quę est cruda per eius crassitiem, nec facilè concoquitur, sicut sincera bilis, quę statim à qualibet alteratur causa, & propterea per halitum facilè difflatur, quia parata est expulsioni, sed in spuriis, quia materia est impacta per halitum non euacuatur, imò per balneum aquæ calidæ, in primo die subtiliatur & importune obstruet poros subtiliores & angustiores, & facilè præcipitabitur ad aliquod viscus, & aliquam faciet inflammationem: sed vbi concoctionis signa apparuerint, quia materia iam erit attenuata, tunc opportune lauabitis, quia materia per balneum facilè difflabitur, NEQVE QVOTIDIE CIBARE OPORTET, &c. Scitis quod in tempore paroxysmi: non licet cibare, sed in istis febribus extenduntur paroxysmi per diem integram, ergo per totam diem integram cibum exhibere non licet, sed in alia die febris non adest, igitur indicatione sumpta à quatuor temporibus non licet dare cibum, nisi alternis diebus, quoniã febris altera quaq; die inuadit, & quum inuadit per integrã diem affligit, igitur per illam diem abstinere oportet à cibo, & cum dico non esse exhibendum cibum eo die quo inuadit febris, intelligatis vos solidiorem, quia dare potestis aquam mulsam, &

oximel ad incidendum, præsupponẽdo semper si vires ægri tolerant, si non secus est agendum, quia semper debet haberi ratio virium, non est igitur alendus æger cibo solido, sed decocto aliquo quod nutriet, incidet, & concoctionem materiæ adiuuabit, propter istam præparationem & concoctionem inquit Gale. ERGO ET PRAECORDIORUM, &c. Audiuistis quomodo materia quę debet euacuari primo erat concoquenda, secundo præparanda, & audiuistis quomodo concoquitur cum calido & humido, ideo calor naturalis est ille qui concoquit morbum, præparatur aliquid quod opponitur vitio materiæ, si materia crassa est, attenuetur, si viscida, abstergatur, si subtilis, crassefiat, semper occurrendo cum oppositis, & in hoc differt concoctio à præparatione, quia concoctio fit cum calido, & humido, præparatio autem cum opposito, ita igitur videtis quomodo materia hoc loco sit concoquenda indicatione sumpta à materiæ cruditate: IDEO AUTEM QUIES, &c. facit ad materiæ concoctionẽ, nam quãdo de tuenda san. dicebat Gal. cum humores crudi sunt, in corpore, tunc non nutriendum, nec cibandum, nec sudandum, sed quiescendum & dormiendũ, & ratio est, quia dum sumus quieti calor naturalis non est

est occupatus circa operationes nec animales, nec motiuas, sed tunc maxime viget, & ideo maxime concoquit, nec facietis sicut nostri iuuenes, qui dum habent cruditatem aliquam in ventriculo & sentiunt se defatigatos, exercent se, & credũt exercitium sibi conferre & prodesse, cũ mirum in modum noceat, quia destruitur calor naturalis, & illas materias crudas, per totũ corpus trahit, est igitur quiescendũ, cũ percipitis cruditates, & à cibo abstinendũ, vt concoquantur, præterea iubet Gale. vt fiant circa Hippocondria fomenta, quia circa primas venas sunt cruditates, & circa venas existentes in ambitu venæ portæ, atq; etiã in ventriculo, & hoc etiam indicatione sumpta à materia cruda, quam vult concoquere antequàm euacuet, & SORBITIONES &c. nunc pro alia indicatione, dandas esse sorbitiones asserit, quæ facile admittant concoctionem in tẽpore, in quo materiam cõcoquitis quiescendo, & præcordia fouẽdo, & inquit sorbitiones, non cibos solidos, vt virtus sustineatur, sed non aggrauetur, clisteres quoq; nõ admodum molles aluo indantur, factis concoctionibus, & cũ quiete & fotu Hippocondriorũ, & sorbitionibus, oportet post quod iam est coctum euacuare, & hoc est quod dicebat Auicen. prima

quar

quarti cap.de cura feb.phlegmaticæ,quod paulatim concoquere & paulatim euacuare debemus,ideo inquit,clisteres verò admodum molles idest nõ tendentes ad acutum indantur vt euacuetur id quod iam est coctum,clisteres molles sunt illi qui aluum molliunt,& fiunt ex malua,violarum foliis, ex betis,& iure simplici,acres sunt illi qui habent medicamẽta hieram picram,agaricum,coloquintidam , & huiusmodi alia,& dicuntur acres,quoniam ex rebus acribus conficiuntur:medij sunt qui habẽt quidem aliquid, quod educit non tamẽ acutum,& in his ingreditur mel rosatũ,& similia.Gale. intellexit de mollibus & de mediis nõ autẽ de acribus,QVOD SI SANGVINIS MISSIONE, NEQVE EA OMITTENDA EST &c.scitis quod indicatio quid agendũ sumitur à materia,& vidistis quod materia erat euacuanda,quæ euacuatio poterat dupliciter fieri & cũ medicamentis & cũ missione sanguinis,non meminit Gale.de missione sanguinis nisi postquàm fuit euacuatum aliquid de materia cũ clisteribus quàm prius præparauerat,& cum fomentis hipocondriorum,& quiete,ne faceret cõtra proprium præceptum in libro de ratione curandi per sanguinis misionem,& in quarto de tuenda val.vbi inquit cum missurus

es san

es ſanguinem caue ne cruditas ſit in primis venis: quia ſi aderit, quid crudum trahetur ad venas epatis & tranſibit per venã cauam & ita augebuntur obſtructiones, & hoc ſemper eſt in febribus obſeruandũ, quia nõ intendẽtur febres, niſi plurimæ cruditates ſint in illis partibus, & quod hoc verum ſit apparet ex hoc, quia aliquando ex ſolo vomimitu curantur, donec igitur erunt humores iſti in ipſis venis nunquam mittetis ſanguinem & dixit ſi ſangninis miſsione opus ſit, quia non ſemper in tertiana notha ſanguis mitti debet, ſed tunc ſolũ cum pituita eſt dulcis & bilis ad naturam ſanguinis tendat, iuxta illud Galen. in quarto de tuenda ſan. vbi dicebat, quod vbicunq; humor multum recedit à natura ſanguinis cum medicamentis educẽdus eſt, ſi verò ad ſanguinis naturam accedat cum miſsione ſanguinis ideo Auicen. enigmaticè dixit in cura tertianæ nothæ ſi vrina fuerit rubea craſſa, mittes ſanguinem alludẽs ad id quod dixit Gal. ſi materia faciens tertianã nothã ſit pituita dulcis quæ craſſa eſt & bilis illa tenuior pars ſanguinis quæ rubea eſt, & ab Arabibus colera rubea appellatur, neceſſario vbi colera rubea illa miſcetur cum dulci pituita, quæ craſſa eſt, vrina apparebit rubea & craſſa, ſi igitur vrina talis apparebit

ſang

ſanguis mitti debet, quia tunc mixta eſt huiuſmodi colera rubea cum pituita dulci, rectè igitur dixit Galen. ſi opus ſit, nec determinauit iſta, quoniam alibi determinauit, & in libro ſecundo de phlebotomia & in quarto de tuend. ſan. ideo ſubdit, ſed initio ſtatim, poſt ſcilicet humoris crudioris præparationem, TOTA VERO RATIO VICTVS &c. vidiſtis quomodo indicatione ſumpta ab ipſa materia quæ putreſcit indigemus his quæ incidunt & moderate calefaciunt, quoniam ſi pituita mixta cum bile viſcida eſt & craſſa, abſtergere & incidere debemus cũ calidis moderatè & cũ incidentibus: ideo nunc docet quomodo ſit præparanda ipſa materia, & inquit debetis moderatè calefacere, quia materia pituitoſa eſt mixta cum bile, & ratio victus nõ ſit tota vt in tertianis exquiſitis, in quibus vtebamur ſolum refrigerantibus & humectantibus cũ materia ipſius eſſet bilis ſincera, quæ eſt calida & ſicca, & in huiuſmodi notha bilis mixta eſt cum re frigida & humida ideo calefieri debet & incidi cum his quæ habẽt aliquam vim calefaciendi & incidendi, dixit aliquam vim non plurimã, quia nõ indigemus ita calefacientibus & incidẽtibus ſicut in quotidiana ſimplici & enim materia non eſt ex toto frigida & humida, ſed ex parte

tant

tantũ,ideo pro ea parte quæ frigida & humida est calidis & incidentibus vtendum est, HIS ERGO MAXIME PRODEST PTISANAE SVCCVS PIPERE ADIECTO &c. postquàm Gal. dedit intẽtionẽ operandi, nũc dat materiã,&(inquit) ptisanæ igitur succus pipere adiecto maximè cõuenit, quoniam ptisana habet vim refrigerandi,& humectãdi, penetrandi,& aperiendi obstructiones, nihilominus quia in febre ista cum bile cõmixta est pituita quæ frigida & humida est, si vteremur simplici ptisana causæ occurrere nõ possemus, quę mixta est ex pituita & bile, ideo debet habere ptisana aliquid quod calefaciat, additur cum ptisana piper, quod licet per se solũ habeat maximam vim calefaciendi & exsiccandi, tum quia miscetur cũ ptisana quæ frigida & humida est, in totum hoc moderate calefacit & incidit, præterea in aqua, quam pro potu exhibet, vult vt decoquatur mel, quæ potio dicitur mulsa & hidromel à Græcis, sed nos loco mellis conuenientius zuccaro vtimur,& Galen. non meminit de zuccaro, quia antiqui non habebant copiam ipsius, vult etiam vt in ipsa aqua decoquatur origanũ, aut Hysopum, vel spica nardi, sed cõuenientius decoquatis cinamomũ in quo est vis moderate calefaciendi & penetran

tran

trandi etiam vſq; ad profundum, alia quæ habent vim prouocãdi vrinã ad bibendum propina, quoniam ea incidũt: maximè verò abſinthij coma, non docet Galen. hic an abſinthium in ſubſtantia vel decoctum eius ſit exhibẽdum, creditis vos, quod velit potius dare comam in ſubſtantia, quoniã vbiq; cauet ne ante ſeptimum exhibeatur abſinthij decoctum, quoniã in decocto remanent tenuiores partes, craſſæ verò & terreſtres in quibus eſt vis corroborandi, deſident, ideo non eſſet commodũ abſinthij decoctũ, quia nocet ſtomacho, abſinthium verò in ſubſtãtia ſtomaco confert, quia adiuuat concoctionem ventriculũ corroborando propter adſtrictionem habet & caliditatem. igitur factis omnibus iam dictis cum in tertiana notha ſit periculum ne augeatur materia in ventriculo & febris foueatur, vult vt abſinthij coma deglutiatur, NVLLVM AVTEM ACETVM &c. pręterea vult vt acetum mulſum exhibeatur ideſt oximel, quoniam plurimis profecit ſola potio ex oximelite, omnia huiuſmodi remedia faciunt pro calefactione & inciſione & præparatione materiæ crudioris facientis febrem tertianam notham &c.

Declarauimus in præcedenti lectione quod Gale. ita ſingulis quibuſcunq; indicationi

tionibus à nobis propositis satisfaciebat, vt nec minimum quid relinqueret, & deuenimus vsq; ad hanc vltimam partẽ in qua dicebat Galen. & aliquo ex his medicamentis quæ blande aluum subducant vti oportunum erit. in qua parte proponebat postea omnia iam dicta, quæ per purgationẽ conueniant, indicatione sumpta à natura materiæ quæ euacuari debet, & quoniam materia faciens tertianã notham est mixta ex bile & pituita, quæ cum sit crassa non facile euacuatur quia quod crassum est difficulter attrahitur propter crassitudinẽ, & visciditatem, quod verò facile attrahitur ideo indigemus medicamento longe validiori quàm in his humoribus qui tenuiores sunt & leues, magisq; parati ad attractionẽ, hæc autem medicamenta valida in corporibus febrientibus tuta non sunt quia reddũt primo virtutem imbecilliorẽ, præterea si remedium illud sit leuius quàm sufficiat ad integram euacuationem materiã attrahit, id autem quod attractũ est, dummodo possit ad locum excussionis deduci ratione debilitatis medicamenti decumbet iam materia illa mota ad locum nobilem, & faciet inflammationem: ideo Gale. semper cauet ab his medicamentis tanquam supectis in feb. quid ergo faciendũ? sunt eligenda medica-

 menta

menta quæ & si non sint æqualia in gradu, nec dari posint in æquali dosi, sint saltem ęqualia in vicibus; quia diximus alias quod si morbus est expellendus, oportet vt medicamentũ vires habeat morbo æquales, hãc autem æqualitatẽ diximus trifariã in morbis considerari scilicet vel in gradu, vel in mole, vel in vicibus, & quia non posimus aliquando nec cum æqualitate gradus nec molis morbo occurrere, quia virtus nõ tolerat, occurrimus cum tertia æqualitate in vicibus sicut natura facit impulsibus in velocitate, & quando non potest cũ his æqualibus supplet in vicibus cum frequentia, ita etiam nos facimus, nã si non posimus occurrere cum gradu æquali, neq; cũ æquali mole, sępe & parum euacuabimus, & tandẽ, cum hoc medicamẽto iteratis vicibus tantum euacuabimus, quantũ vna vice cũ potenti pharmaco. & hoc dicebat Auicen. in cura febris phlegmaticæ, & ad hoc alludit Gale. hic, licet breuibus, quia fusius agit de his in therap. Quæ modo sint ista quæ blande euacuant, audiatis, scitis quod euacuare debemus pituitam, propterea si florẽ casiæ, syrupum rosatũ solutiuum cũ tamarindis, mannam & rheubarbarũ eligetis nõ facietis conuenientẽ euacuationem, ideo caueatis ab his erroribus, & isti qui sunt diligent

gentióres,& qui volunt præceptis Gale. parere,caueant medicinas validas,neq; ad has leues se cõferant.medici tempore meo erãt audaciores,isti sunt meticulosi, & vtrunq; extremum vitiosum est,vos autem conside rare debetis,an tantum bilis euacuanda sit, & tunc aut rheubarbaro solo cũ manna,aut cum syrupo rosato solutiuo & tamarindis euacuare potestis,quia huiusmodi materia obedit,sed vbi materia crassa est, sicut est ista tertiana notha, non euacuabitis cum istis medicamentis sed ad altiora accedetis,& ideo non permittatis agaricum cum vultis crassum humorem & pituitosum euacuare,dico agaricum non quod non sint alia medicamenta quæ id efficere possint, sed quia leuissimum est chartamus quæ cnicus à Græcis dicitur. conuenientissima est, & ita his medicamentis vti poteritis,correctis tamen,corrigitur autem agaricum commiscendo cum eo ratio grauantem ipsum,quia ob suam leuitatẽ supernatat,supernatando petit os stomaci,& tunc dupliciter facit euersionẽ,tum quia mordicat etiam ratione suæ amaritudinis abstergit, tum quia attrahit ad os ventriculi materiam,os autem ventriculi non patitur eam:ideo facit nauseam agaricum non quidem ex sua natura illud facit,sed quia

adhæret orificio vētriculi, vnde omnes medicinæ leues vt colochintis, quia adhærent, nauſeam inducunt, propterea iſti admiſcetur ſal gemmæ, vt ratione ponderoſitatis teneat agaricum in fundo ſtomaci, eadem de cauſa admiſcetur zinziber, & præter hoc, quia corroborat ſtomacum: in feb. autē ita componatis agaricum, vel cum flore caſsiæ vel cum diacatholicone, vel cū rheubarbaro & flore caſsiæ in ſimul, poteritis etiam cum electuario lenitiuo componere ipſum, blande & purgat cnicus vel carthamus, & apud Gale. in vſu eſt in quinto de tuen. ſan. & conficit ipſum ex vna parte caricarum pinguium & vua, & purgat ſine moleſtia pituitam è corpore, quid autem ſit cnicus notiſsimum eſt Venetiis ſunt ſacculi, & vulgo dicitur ſimenza di papagallo, quoniā pſitaci eo veſcuntur, SI AVTEM FEBRIS INVETERAVERIT, PRAESENTANEVM REMEDIVM ERIT VOMITVS &c. Notetis hunc punctū, domini audietis quomodo pituita generetur in corpore idest in ſtomaco, & dicebat Gal. quod febres quotidianæ ſunt ex debilitate ſtomaci, quia ibi pituita generatur, tertianæ fiunt propter hepatis caliditatem vbi generatur bilis: quartanæ verò propter lienis imbecillitatem, tamē ergo cum hæc febris ex bile & pi

& pituita proueniat non inueteratur non à bile quia bilis facit feb. quæ septem periodis ad summum terminãtur, igitur vitio pituitæ id euenit, si ita est quod prolongetur hæc febris ratione pituitæ, ergo nihil magis præsentaneũ est quàm vomere, quia vomitus destruit pituitam, & extrahit eã à radice antequam ad venas deueniat, & hoc remedium domini erit commune feb. à pituita pendentibus: quia eadem vtrobiq; ratio est, & hæc satis de cura tertianæ nothæ.

Caput de quartana.

In quartana febre domini idem quoq; faciendum est quod in reliquis fecimus, non possumus vnquam curare ægritudinem aliquam nisi cognoscamus essentiã eius, materiam & causam quæ morbum facit, ita etiam in hoc oportet facere, si eius curationes exactè scire volumus vt eius essentiã dignoscamus, & inueniamus causas eius existentes, materiales, & formales, vt à singulis indicationes sumamus, sed iam à materia incipiamus, quæ natura est materia faciens quartanam, ô diceret aliquis quis nascitur? certum est quod ab humore melancholico prouenit, facilis profecto est responsio, sed nisi primo declarabo quæ declaranda

sunt,in maxima eritis ambiguitate,iam igitur ad rem accedamus. isti Moderni qui diligentiores sunt,in causis quartanæ inueniẽdis, sicut est Nicolaus Florentinus, & Gentilis fulginas dicunt,quod à quodcunq; humore adusto fieri potest quartana, ita quod primo fiet ab humore melancholico naturali,qui si aduratur quartanam etiam causabit, à bile etiam crassa adusta & à pituita si fuerit adusta causabitur, imò dixerunt etiam à pituita salsa,non adusta posse quartanam febrem fieri, & propterea ponent quartanam notham, & sicut est de tertiana notha,ita de huiusmodi existimant,& quod deterius est citant Gal.in primo ad Glauc. cap.iiij. vbi inquit, sicut sunt duæ tertianæ vna notha, altera exquisita, ita etiam sunt duæ quartanæ,sed hoc dicũt,quoniam hunc librum ad Glauc. habent traductum nescio à quo interprete, & citant isti illum locum falso, quia deprauatus est, ideo vos nolite credere,an fieri posit febris quartana ex his humoribus, & quis sit propriè iste humor qui facit quartanã, nemini bubiũ est quod humor faciens hanc quartanam febrem est humor melancholicus clamante Galeno & omnibus Arabibus & Latinis, sed quis sit iste humor, hoc opus,hic labor est,domini ista sit conclusio quæ probabitur nunquam fieri

fieri poteſt quartana niſi à ſucco melancholico ſolo non aduſto, intelligo per ſuccum, ſuccum totius maſſæ ſanguinis, capiendo maſſam ſanguinis, in qua ſunt quatuor humores ſanguis purus, pituita, bilis naturalis flaua, & illa etiam pars quæ dicitur melancholia, quæ eſt craſsior pars, & fex totius maſſæ, quæ propriè ſuccus melancholicus appellatur; ex qua ferè putrefacta fit febris quartana, iſta ſit concluſio, quæ facile probabitur ex Gal. auctoritatibus, ex ipſa rei natura, domini ſicut fecimus in tertiana notha idem in iſta faciemus, videamus mores febris quartanæ, in primis dum febris iſta incipit, cum maximo frigore inuadit, quia humor melancholicus tranſiens per membra ſenſibilia cũ frigidus ſit, facit frigus poſt frigus, feruor inuadit, nec alia adeſt moleſtia, imò multi exercent ſua negotia, quando nõ habent febrem; adeo placida eſt. præterea longiſsima eſt, ſi quæ vnquam alia longior, & ſi aliquod facit incommodum facit timorem ſplenis, ex quo liene tumefacto poſſunt fieri Hydropes, facit præterea flatum & rugitum, in ventre ſine aliquo alio accidente, ſed nemini dubium, quod hæc procedãt ab humore craſſo frigido, malitia carente, qui cum ita ſit, relinquitur quod ab humore melancholico ſolum, & non ab aliis humori-

 ribus

ribus adustis factis, posſit fieri quartana febris, & quod ita ſit probatur, quid contingit ex bile iſta aduſta quæ ſit nigra? multa mala contingunt, quia præter quam quod excoriat in tranſitu membra, & ſi decidat & terram ipſam errodit, vt dicebat Hippocr. quarto Apho. vigeſimoquarto, quod qui egerunt nigra, moriuntur, quoniam vbi modo humor iſte interius facit vlcera ſæuiſsima & interficit, ſi exterius idem facit, & dicebat Gal. in tertio prognoſt. commento vigeſimonono vbi loquitur Hipp. in text. de humoribus facietibus quartanam dicit ibi Gal. duplex eſt humor melancholicus, alter eſt fex ſanguinis, alter ex aduſtione, aduſtus deuicit ſingulas partes, & quaſi excludit hũc humorem poſſe facere quartanam: cum ergo ita ſit, ſumendo notionem à natura rei, non poteſt fieri quartana à bile ruffa aduſta, & nigrefacta ab aduſtione, & humor melancholicus facta, quia vbi putreſcit interius, exulcerat & excoriat, vt patet ex Hipp. loco iam citato & morſo infert, exterius verò vbi ad aliquam partem decumbit, putrefacta vlcera facit, & fagedenica, ſi ergo in ſua natura tam ſæua eſt, ſi putreſcens eſſet tam furioſa, quod in vno paroxyſmo interficeret, & ideo neſcio ego quomodo dixerunt ex bile rufa aduſta fieri quartanã, quod

etiam à ſanguine aduſto non poſsit fieri, intelligo per ſanguinem eam partem, quæ diſtinguitur contra reliquos humores, vt aſſerit Gale. in ſexto epyd. ſect. tertia circa finē. quod inquam non poſsit fieri febris quartana à ſanguine puro aduſto, patet, quoniā nunquam ſanguis purus eiaculatur, vt faciat febrem, imò nunquam ſanguis purus facit febrem, niſi ſit in aliqua parte extrinſeca, vt in bubone, & ibi putreſcat, quod etiā nō poſſet fieri à pituita, hoc eſt neceſſarium apud omnes, qui mediocriter calent doctrinam Gal. pituita aduſta non facit humorem melācholicum, licet Arabes aliter ſentiant, imò eſt cōtra Gal. & contra rei naturam, videatis pituitā aduſtā, in omnibus partibus ad vltimam partē terreſtritatis ſemper videbitis eſſe albam, & nō habere nec aduſtionem, nec aciditatem, quæ inſeparabilis eſt ab huiuſmodi humiditate melancholico, ſi modo velletis facere ſyllogiſmum in ſecunda figura: ex affirmatiuis hoc modo, pituita aduſta eſt frigida & ſicca, humor melancholicus eſt frigidus, & ſiccus: ergo pituita eſt humor melancholicus. verum eſt quod frigiditas & ſiccitas eſt in illa pituita aduſta, ſed non ſequitur, habet qualitates primas humoris melancholici, ergo eſt humor melancholicus, quia non habet alias

qualitates , quia non habet aciditatem, quæ inseparabilis est ab humore melancholico , & quod non sint idem pituita adusta & humor malancholicus , patet quia semper talis pituita adusta in rophis, & in glandulis euellitur cum ferro ignito etiam sine molestia : at in cancro qui ab humore melancholico non adusto fit , loquor de latente, si aduratur ferro ignito,& euellatur humor ille , videbitis eum irritari , & maximè furere,igitur multum interest inter humorem melancholicum , & pituitam adustam , licet ergo Arabes dixerint ex pituita adusta fieri humorem melancholicum , nugas dixerint,& nunquam videbitis hoc à viris illis magnis Græcis fuisse dictum . si ergo non potest à pituita fieri humor melancholicus, & quartana fiat ab humore melãcholico,ergo à pituita adusta non fiet quartana , non potest etiam fieri à bile rufa adusta,nec à sanguine adusto,nec etiam ab ipso humore melancholico adusto , vt dicebamus , relinquitur ergo per sufficientem diuisionem , quod quartana febris solum fiat à succo melancholico non adusto,& ita semper vos videbitis authoritates idoneas, hoc dicere , & Galen. in tertio prognost. commento vigesimo septimo (inquit) quando efferuescunt humores inferius, in tali feruore fex

re fex multa refidet, & plurimum humor melancholicus generatur & aggregatur, & hinc eſt quod poſt longas febres quartanas ſuccedit, ſed quod iſta fex ex feruore facta non ſit aduſta, patet ex hoc, quoniam vbi ſanguis in longis febribus ebulliuit, & abundauit humor melancholicus, fieri ſolet cancer, melancholia, elephantiaſis, & quartana, ſed cancer, melancholia, & elephãtiaſis non generantur ab humore melancholico aduſto, licet mania generatur ab humore melancholico aduſto, relinquitur igitur quod etiam iſta febris quartana fiat à tali humore non aduſto, ſed quoniã iſti nõ adinueniũt expreſſe Gal. dicentem febrem quartanam fieri tantummodo ab humore melancholico non aduſto, non poſſunt credere, quod à tali fiat humore, quoniam rei naturam non conſiderant, & ita domini quoniam vultis curare quartanam, ſi credetis ipſam ab aliquo alio humore dependere, præterquam quòd à melancholia non àduſta, nunquam curabitis eam, & ſi conſiderabitis Galen. curationem, videbitis quàm belle ad humorẽ melancholicum non aduſtum accommodatur. huiuſmodi autem humoris duplex eſt generatio, alia generatio eſt à cauſa extrinſeca, vt à labore, vigiliis cum accidentibus, à cibis craſſæ ſubſtantiæ, & à conſimilibus,

bus, alia ab intrinseca, vt à febribus perseuerantibus quæ sanguinem adurunt, & partes subtiliores resoluuntur à massa sanguinis, & fex multa residet, ideo post hæc fit quartana, vt plurimum. ista igitur sunt supponenda, si vultis totam naturam quartanæ scire, quibus suppositis, quid sequitur? primo sequitur hoc, cum redundat humor melancholicus, non adustus in omnibus corporis partibus, & in tota massa sanguinis, necessariò totum corpus infrigidatur, quia humor ille frigidus & siccus, & etiam crassus est, & cum sit crassus, & redundat in toto sanguine, & talis frigiditas opponatur calori naturali & spiritibus, spiritus enim & calor naturalis sunt complexionis calidæ, & humor melancholicus redundat qui frigidus & siccus est: igitur ex tota regione succus melancholicus oppositus est calori naturali & spiritibus, & cum hoc ita sit, qui tali abundant humore, necessariò corpus eorum reddetur seipso frigidius & siccius, stante autem corporis frigiditate & siccitate, cruditates multiplicantur, si verum est quod concoctio fiat à calido, & humido, & redundet huiusmodi. Succus, refrigeratur etiam hepar & ventriculus, ita quod redundante plurima humiditate in splene, statim habent concoctiones, & primam, & secundam,

dam, & tertiam, & tertia deteriores, ita vt inflentur pedes & totum corpus fiat chacecticum ratione cruditatis, in ventriculo, etiam multiplicantur pituita & cruditates, ideo fiunt negitus plurimi, ideo qui abundant plurimo humore melancholico abundant etiam pituita & flatu, ideo Aristo. in problematibus vbi de coitu loquitur, proponit problema cur melancholici iuuentur à coitu, & soluit: quia plurimo flatu & plurima pituita abundant, & plurimum appetunt coitum, quoniam plurimam habent ventositatem in pene, non possunt postea multum coire, quia nō habent sanguinem, & frigidi & sicci sunt, flatu autem abundāt, quoniam calor diminutus agens in pituitam frigidam viscidam, inflat eam. cum igitur multiplicetur pituita, & humor melancholicus, quia crassi ambo sunt inde sequūtur obstructiones per totum corpus, & tunc prohibetur euentatio, prohibita euentatione fit putredo, hac inducta fit febris. His positis facile apparebit curatio, hic etiam esset dicendum quod à nobis propositum fuit, an fieri possit quartana notha, isti dicunt quod sic, & dicunt quod sit quartana notha, sicuti tertiana notha, quantum ad hoc verū est, quod in qualibet febre quartana semper pituita cum melācholia mixta est,

est,quæ cum putrescit cum humore melancholico,nec potest absolui ab ea, vnde si volumus, dicere fieri quartanã notham, quia misceatur pituita facile concedatur, sed ad hunc sensum non est notha, sicut tertiana quæ maximam facit varietatem à tertiana exquisita, si enim pituita superat fient paroxysmi quotidiani,si melancholia fient paroxysmi quarto quoque die, inuadentes. si tamen vultis dicere sic quartana notha admittatur,his omnibus suppositis ad indicationes curãdi deueniamus,quæ sunt istę indicationes in genere? sunt illæ eædem quas diximus in curatione febr. tertianæ nothæ, de quibus in præsentia dicam, nec idem sæpius repetatur,oportet vbi inueneretis,quid sit agendum primo materiã antecedentem, secundo coniunctam ipsam,scilicet putredinem cõsiderare,tertio formam impressam, ab his enim tribus sumũt indicationes quid postea considerare debetis ea quæ limitant & circunscribunt operationes vestras, & per illas discurrere,incipiamus à causa efficiente,seu à materia antecedẽte, ista materia est humor melancholicus, redundans in toto corpore, debet humor iste,vt diximus de tertiana notha euacuari, & hoc perpetuo verum est, quoniam humor rationem causæ efficientis in actu habet, & cum est sub ratione

tione causæ antecedentis, habet ratione͂ sine qua non. si igitur volumus curare hanc febrem à causa antecedente debemus incipere, quia humor iste continuo generetur & extra venas expellitur, & putrescit, ab euacuatione igitur istius humoris mela͂cholici incipere debemus, sed quia crassæ substa͂tiæ admodu͂ est, imò crassior quocunq; humore existente in corpore, & rebellis co͂coctioni longe magis, quàm aliquis alius humor, debemus tame͂ euacuare ipsum, sed quia duplex est euacuatio per sanguinis missione͂ & per medicamentu͂ purgans, videndu͂ est an euacuatione per phlebotomia͂, vel per pharmacum purgans indigeamus, quantum ad phlebotomia͂, quandoq; co͂uenit, quandoq; non. dicetis est ne aliqua regula certa huiusmodi? docet eam Gal. hic & inquit, quando cognoueris humorem, hunc esse redundantem & magis in vno loco quàm in alio, aut in toto ambitu venarum, si fuerit æqualiter permixtus sanguini, à sanguinis missione incipere debetis, & quonia͂ sæpe coniecturæ fallunt, & licet videamus venas vrgentes nigras in toto corpore, potest hoc esse, quia sunt plenæ flatu crasso & facient tunc falsam imaginationem spectantibus, vt credant venas esse sanguine refertas, & tamen non sint, dat documentum hic & in libro de

sanguinis

ſanguinis miſsione cap. decimo & in tertio de locis affectis, cap. ſeptimo, & vult vt mittatur ſanguis, & medicus præſens ſit, & videat quod ſi fuerit craſſus & niger, non amplius dubitare debet ex venis turgentibus & magnis ſe falſa coniectura concepiſſe, quoniam videt oculis quod prius cõceperat, & trahatur tunc pro ratione virium. ſi verò coniecturæ prius conceptæ fefellerint vos & ſanguis exeat aquoſus ac tenuis indicans dominium bilis potius, quàm melancholiæ, tunc ſtatim iubet, vt medicus ſupprimat.

Cum maximè referat, imò totum ſit, antequam ægritudinem curemus eius eſſentiam cognoſcere, propterea oportet exactiſsime cognoſcere ipſam, & quoniam ſcio præſertim apud iuniores maximã eſſe difficultatẽ cum videant totam Arabũ ſcholam diſſentire ab his, quæ diximus ex Græcorum ſententia, vt remoueatur omnis difficultas à mẽtibus veſtris ſcire debetis Auicennam & ſequaces oppoſitum tenuiſſe, & crediidiſſe à quocunque humore melancholico facto per aduſtionem, ſiue ſit per aduſtionem bilis, ſiue pituitę, ſiue ſanguinis, atque etiam naturalis etiam melãcholiæ ſint, poſſe febrem quartanam curari. quam opinionem, ſi etiam vos tenebitis nunquam curabitis quartanã, & ſi Auicenna vnquam curauit

curauit perperam ægritudinem aliquã, pessimè curauit quartanam, nec vnquam vos ex præceptis suis curabitis eam, quia nō cognouit essentiam huius febris. volui igitur vos aduertere, quoniam Arabes vt plurimũ solent non tantum in hoc, sed etiam in pluribus aliis errare à mente Græcorum legatis totum Hippocratem & Gale. nunquam videbitis hos viros dixisse fieri quartanam ab humore aliquo, nisi à melancholico succo naturali, & quod ista sit vera sententia eorũ ostẽdam, nec aliter dici posse, præterea videatis Aetium, Paulũ, Oribasium, neminem videbitis extra bilem adustã fieri quartanam, & si videbitis Rasim in suo continenti, in quo colligit omnia dicta Græcorum, & Arabum, nō citat aliquem nisi labri ara omne dicente à quatuor humoribus fieri quartanam. causa autem quare errauit Auicenna facillimè apprehendetur, quia semper sequutus est Auicen. in suo magno libro meth. diuisiuam, & considerauit naturam rei diuisæ, & circa huiusmodi diuidẽdi partẽ fuit maximè exercitatus, licet quandoq; etiã aberret. cum igitur videret Auicenna quod nihil aliud est succus malãcholicus nisi cinis humorũ cunque concepisset hoc, considerando naturã rei huius, fecit suã diuisionem & dixit potest fieri humor me-

lancholicus vel per adustionem sanguinis, vel per adustionem pituitæ, aut bilis ruffæ, vel per adustionem melancholiæ ita quod ponit quatuor species humoris melancholici, & cum quatuor sint, atque à putredine humoris melancholici fieri quartanam videret, dixit ab istis quatuor humoribus fieri febrem quartanam. Alij sequentes Auic. vti principem, idem dixerint. audiatis ergo in quo deficit Auicenna, quia non considerauit naturam rei prout debebat: erat enim hoc faciendum, naturam scilicet quartanæ considerare debebat, & quomodo occupet hominem, & quæ sunt eius accidẽtia, ex altera parte considerare debebat humorũ naturam, maximè naturam bilis ruffę adustę, de pituita enim quod non possit fieri atra bilis cũ multis aliis sumus concordes, quod ex sanguine super assato fiat humor adustus, cõceditur, difficultas est circa adustionem bilis ruffæ, si Auicenna hæc considerasset, & fecisset hanc comparationem animaduertissetq; quomodo, cum aduritur & nigra fiat, bilis ruffa excoriat, abradit, & facit vlcera pessima in ventriculo, si interius moueatur ad excretionem per vomitum, & si per aluum eiiciatur facit intestinorum exulceratioñe, itaque dicebat Hipp. 22. siue per superius siue per inferius moueatur huius

ius materia ſemper mortale eſt, ſi ex altera parte poſtea conſideraſſet accidentia quartanæ vidiſſet ex putredine huius humoris non poſſe fieri quartanam, incipit quartana cum frigiditate, & dicebat Galen. in 2. de diff. feb. & in ſecũdo de criſ. cum expellitur extra venas humor iſte facit frigus ſine rigore & concuſsione, quia rigor fit vt aſſerit Galen. in libro ſecundo de cauſis ſimp. cap. 5. & in libro de tremore cap. ſeptimo cum acumen humoris tranſit per muſculos, ex illo enim fit cõcuſsio quę dã illorum membrorum, qui nituntur expellere eſſe mordicantem, ſed vbi non adeſt humor mordicans, non fit concuſsio, ſed ſimplex frigus, cum igitur mouetur melancholia per muſculos ad putredinem nulla fit cõcuſsio, ſed frigus, ac ſi quis eſſet in niue, nõ poſſumus igitur dicere quod humor ille ſit aduſtus, quia mordicaret, & exulceraret, præterea nónne in quartana ſemper augetur ſplen, & intumeſcit, ſed ſplen nõ attrahit humorem illum aduſtum, ſed attrahit humorem melancholicum naturalem vt ex eo nutriatur, præterea ſi videtis ſcirros qui fiunt propter quartanam in liene non fiunt cum vlcere, neq; cum eroſione, ſicut fierent ſi cauſarentur ab humore illo aduſto, & non eſt mirum ſi errauit Auicenna, quia teſtatur An-

dreas de Alpago Auicennam fuisse principem & primarium regis Persiæ, neque exercuisse artem. hos autem deridet Galen. qui volunt medicinam profiteri sine experientia, sed est vna alia ratio, cui non possimus refragari, videlicet quod humor melancholicus qui appellatur melancholia naturalis, sit ille qui facit quartanam febrem, & ratio sumpta est ab ipsa curatione, nemini dubium est quod curatio sumitur ab essentia morbi, talis enim est curatio qualis est essentia morbi, sed si consideratis curationem istam quam tractabimus, videbitis nõ posse fieri nisi ab humore melancholico naturali, sicut curatio tertianæ nothæ ostendit non posse cõuenire alteri humori, quàm pituitæ permixtæ cum bile, & quædam concoquentia & præparantia, atque etiam tota ratio victus in eadémmet febre ostendebat curationem non conuenire alteri humori, idem etiam dicendum in curatione quartanæ, quia videbitis quod isti magni viri consentiunt sibiipsis. vellem etiam vos remouere ab vno errore, posset quis dicere, nónne post tertianas & ardẽtes febres fiunt quartanæ? igitur ex hoc vim quod huiusmodi febres fiãt ab humore cholerico adusto, qui putrescebat in ipsis tertianis, domini qui dubitãt in hac re, non aduertũt quando

do fiant periodi febriũ,& quomodo terminentur,& quod dixit Gal. in hac materia in secundo de diff.feb. quãdo incipit paroxysmus materia putrescenda ab aliqua parte corporis transfertur ad loca putredinis, & ibidem putrescit,& in tali putredine exhalat quicquid est de eo quod cõtinuè putrescit, & tãdem reliquæ quædã paucæ permanent,quæ postea educuntur vel per sudorẽ, vel per similia, sed quid contingit in febr. cum ebullit massa sanguinis? contingit vt in ea ebullitione pars subtilior sanguinis euaporet,& crassior remaneat, modo in eo seruare semper fex multiplicatur, ex quo duo contingunt, primo refrigeratur totum corpus propter multitudinẽ materiæ frigidæ, secundo remanet corpus exangue, ideo cessat bilis generatio, & ex cõtinenti cessat tertiana,augetur autẽ quartana, quia refrigeratur corpus & factis obstructionibus fex illa sanguinis putrescit, & noua febris inuadit, & hæc est causa cur post continuas febres, & post edulia calida & sicca, & postea, quæ faciunt ebullitionẽ in sanguine augetur fex ista, quæ aucta putrescit, & facit quartanam, & ista erunt semper perpetuæ ciuitatis. His exactè perspectis videamus curationem, heri incepimus causam & diximus à causa existente, quæ rationem ha-

bet causæ antecedentis esse incipiendum, diximus quod huiusmodi causa existens est humor melancholicus, qui tolli debet atque euacuari, & quod euacuatio duplex altera quæ fit per sanguinis missionem, altera quæ fit per medicamẽtum purgans: quo ad sanguinis missionem, diximus, quando esset mittendus sanguis & regulã dedimus, docuimúsque tum sanguinis missionẽ competere, quãdo humor iste melancholicus toti massæ sanguinis fuerit permixtus, quod diximus cognosci ex sanguine, qui fluit. si enim videbitis sanguinem fluere tenuioré, credatis vos fuisse deceptos, & ideo tunc supprimendus est, si crassior erit non modò erit comprimendus, sed audacter mittendus, quia iudiciũ vestrum fuit optimum, quantum ad euacuationé per medicamentũ purgans, & per alia instrumenta scire debetis quod euacuatio fieri potest dupliciter primo inedia, & victus ratione recta, secundo medicamẽto purgãte, quod inedia & ratione victus humores & sanguis absumatur, manifestũ est, & licet Gal. cõcedit sanguinẽ posse absumi inedia, sed si in acutis expectare vellemus euacuationem humorũ per solam inediã interirent ægri, quia inedia non euacuat nisi in tempore longo & missio sanguinis subito, & ideo cum in acutis eadem die

die medicari bonũ ſit, ideo in ipſis ſola inedia non ſufficit, ſed debemus trãſire ad miſſionem ſanguinis, & in hoc Gal. reprehẽdit Eraſiſtratum. hoc eſt igitur primum inſtrumentum quo vti debetis cum humores mali redundant in corpore, quia corpora impura dicebat Hippoc. in ſecunda particula Aphoriſmorũ Apho. decimo, quãto magis nutries, tanto magis lædes, ideo oportet minorem inſtituere victus rationem, quàm ſanitatis tempore, quoniam calor naturalis non eſt fortis in ægris ſicut in ſanis, & quia adeſt hic cacochimia quę vberiori alimento fouetur, augetúrque: ideo debetis cibos eligere, qui facilè concoquantur, & ſi fieri poteſt quod habeant rationẽ medicamenti quo ad ſuas qualitates: quæ autem ſint alimenta quæ in ſubſtãtia & in qualitate cõueniant quartanæ videbimus ex Gale. debent eſſe quidem facilis concoctionis, quia natura occupata eſt in cõcoctione materię, pręterea debet opponi humori peccãti: ſi enim humor craſſus eſt, alimentum debet eſſe tenue: ſi humor tenuis, alimẽtum ſit craſſum: ſi frigidus, cibi ſint tendentes ad caliditatẽ, & tandem ſecundum omnes qualitates & ſecundum ſubſtantiam debent opponi morbis. quantũ ad euacuationẽ per medicamenta, ſcitis quod concocta medicari, atq; mo-

uere non cruda oportet, igitur antequam euacuatur humor peccans prius concoqui debet,& si quis humor vnquam in humore corpore indiget præparatione est succus melancholicus, quia frigidus & siccus, atq; terrestris est omnium quam crassissimus, & omni euacuationi rebellis, prætereanisi præparetur optimè priusquã euacuetur, ex simplici quartana fient duæ, & ex duabus fient tres,& tandem continua,& tandẽ mores,in principio igitur debet mitissimè tractari,quia rebellis est humor iste cõcoctioni & euacuationi, quoniam terrestris est,& quia ex parte qua siccus est,cum talis sit per euaporationem non possunt nec per calidũ nec per frigidum resolui in vapores, quia fuerunt per assationem coagulati & exsiccati,vt patet de lateribus: sed quæ à calido tantum coagulata sunt per frigidum & humidum resoluentur, vt patet de sale, si verò per frigidum tantum coangulantur, per calidum resoluuntur, vt patet de glacie, sumus igitur in casu de humore melancholico, qui terrestris est factus per resolutionem partium tenuium, postea accessit frigiditati faciẽs ipsum terrestriorem. ideo si adhibeatis calidiora incidentia, ipsum facietis terrestriorẽ, si frigidiora ipsum non modo non cõcoqueretis, imò magis cõstringeretis

tis vias. ideo non poteſtis præparare humorem iſtum, neq; cum validè calefaciẽtibus, neq; cum valide refrigerãtibus, ſi enim cum valde calidis procederetis, ex vna ſimplici quartana duas faceretis, ſicut fecerunt illi medici, qui Eudemũ Platonicum curarunt tempore Gal. qui ante concoctionẽ ex theriaca exhibita aucto humore melãcholico ex vna quartana fecerunt duas quartanas, & tandẽ tres, vt refert Galen. in lib. de prognoſt. igitur à principio debet blande tractari humor iſte. quæ autẽ ſit iſta blãda tractatio, audiatis. primo blãde cõcoquendus eſt, ſecũdo præparandus, cõcoctio fit à calido, & humido tẽperato, præparatio cũ contrariis, ſi craſſus eſt humor debet incidi, ſi frigidus debet calefieri, ſi ſiccus, debet humectari. His ſtantibus ſatisfaciamus iſtis intentionibus, primo vt ad vlteriora procedamus, humor iſte benigne tractãdus, quoniã concoqui debet, & præparari. quæ ſunt iſta domini primo conſiderare debetis cruditatem exiſtentẽ in primis venis, propter frigiditatẽ humoris redundantis, plurimi flatus fiunt, & dum præſentia materiæ frigidæ, in venis adhęſit & flatus, non fient concoctiones debitæ, perpetuo augebuntur obſtructiones, perſeuerabit febris, & nouus humor melãcholicus generabitur, ideo primo pro-

 uidend

uidendum est vt bonæ fiant cōcoctiones in ventriculo, & quicquid in primis venis & in ventriculo est tollatur, quid ergo agēdum? quantum ad concoctionem humorum, qui sunt in primis venis, & in ventriculo, primo debetis fouere Hypocondria & ventriculū sicut diximus in tertiana notha cum rebus calidis moderate & humidis, & cum fomentis primo, vt cum pannis calidis moderate, secundo cum oleo chamomelino, de spica nardino, vel cum oleo de absinthio mixto cū istis, post illa fomenta, exhibere diatrion pipereon, diaspoliticum, vel piper cū aqua, licet apud Auic. non nisi in fine exhibeātur contra mentem antiquorum: causa autem erroris fuit, quoniam existimauit ista esse ponenda in ordine confectionis eius, in qua ingreditur cirenaicus succus cum mithridato, & thyriaca, sed errauit Auic, & omnes sequaces eius, vt ostendam, nam diatrion, pipereon debet in principio exhiberi, & similiter diaspoliticum & Gal. post fomenta Hipocondriorum exhibet per os diatrion pipereon, aut diaspoliticū, quoniam habēt duas maximas virtutes, vt asserit Galen. in quarto de tuen. san. primo adiuuat concoctionem humorum, qui sunt in primis venis, & etiam ad flatus discussionem sunt maximè efficacia: quod autem vt flatus discutiantur,

tiantur, vtilissimũ sit, patet ex eo, quia ventriculus non potest cibum cõtinere, nisi remoueantur flatus, quomodo enim amplexabitur ventriculus cibum, nisi ventositates quæ dilatant substantiam ventriculi resoluantur, ideo tollendi sunt flatus, & adiuuanda est concoctio, quod vtrũq; facit diatrion pipereon. diceret aliquis, nónne regula generalis est, vbi sunt in primis venis cruditates non debent dari ea quæ distribuant per venas materias crudas? modo hæc sunt calida & tenuissima, quæ ad profundum penetrant. ideo sicut debemus mithridatũ & thyriacam in principio euitare, ita etiã debemus euitare ista: ratio hæc decepit illos Arabes, ista duo medicaméta sunt quidem calidæ & tenuissimæ substantiæ, vt patet ex ingredientibus in diatrion pipereon, ingrediuntur tria genera piperum, zinziber, thimum, & anisum, sed antequam transeant ad hepar euanescit virtus, quod non est in diacalamentho, & in reliquis calidioribus medicamentis: quoniam caliditas in diacalaméntho fundata est in substantia crassiori ob id transit ad hepar, & facit distributionẽ. ideo in principio diacalamentum non conuenit, nec ea quæ sunt calida, cum crassiore substantia. in diaspolitico verò, vt patet ex ingredientibus, non ita res se habet, constat

enim

enim ex ſemine rutæ, nitro, ſeu ſpuma nitri ex cumino & pipere, quæ omnia adeo ſunt tenuis ſubſtantiæ, vt eius virtus in ventriculo, & in primis venis euaneſcat, nec fit diſtributio, nec exagitatio humorum. in principio conuenit diatrion pipereon, diaſpoliticum, & piper cum aqua. quantũ verò ad cõ coctioné, quę fieri debet, in principio blande fiet cum fomentis iam dictis, & cum cõfectionibus enarratis; non tamen ſingulis diebus videntur hæc exhiberi: ſed in quibus non fit inuaſio per exemplum, vbi hæc feceritis euacuabitis, quicquid concoctum eſt in primis venis leniter cum clyſteribus primo mollibus, vt nihil violenter educatur, ſi videbitis materiam obedire euacuationibus, cum clyſteribus acribus educatur, & hæc eſt vera curatio facienda in primis diebus. Vbi verò præceſſerint dies aliqui, neq; cruditates ſint in ventriculo, nec flatus, nec eructationes, & optime fiant coctiones, nec percipiatur odor aliquis malus, nec ex cruditate percipiatur grauitas in ventriculo, & egeſtiones ſint cõpactæ, ita vt quantum ad primas venas, & ad membra naturalia omnia bene ſi habeant, & maximè ab iſtis, quæ habẽt rationem cibi & potus. materia autem iſta ſuccus melancholicus eſt, qui debet concoqui, & præparari, quoad cõ

coct

coctionem cum calidis & humidis fiet, quo-
ad præparationem, quia humor peccans fri.
gidus, & ſiccus eſt, quoad frigiditatẽ debet
calefieri, quoad ſiccitatem debet humecta-
ri, & quantũ ad hoc eadem erant cõcoquen
tia, & præparantia, ſed quoad craſsitiem nõ
ſufficient calida & humida: ſed oportet, vt
incidentibus craſsities tollatur, & viſciditas
abſtergatur. humori igitur melancholico
quatenus craſſus eſt inciſio debetur. duo er-
go ſunt inſtituta ad præparationem huiu-
ſmodi humoris neceſſaria, & accommoda-
ta, primum eſt ea quæ ſunt calida & humi-
da, ſecundũ quæ habent vim incidẽdi. quã-
tum ad calida, & humida, quæ habent ra-
tionem cibi, quoniam illa maximè præpa-
rant, debetis vti cibariis calidis, & humidis
boni nutrimenti, & qui optimũ ſanguinem
faciunt: vinum debet eſſe tenue ſine acrimo
nia, & ſine acerbitate, & tendere ad modera
tam dulcedinem: ſed in primis vinum iſtud
dulce noceret: quoniam non tranſiret, cum
in ventriculo, & in primis venis ſint crudi-
tates. oportet igitur, vt ventriculus & pri-
mæ venæ recte ſe habeant, vt vinum poſsit
penetrare, & cum humor craſſus eſt, nõ de-
betis eſſe contenti his cibariis, ſed debetis
exhibere ea, quæ incidunt, ita tamen, vt non
valde calefaciant, ideo Galen. eligit carnes
ſalſ

ſalſas,& piſces ſalſos: quoniam vſum obſeruabant antiqui, vt declarat Aurelianus libro de ægritudinibus chronicis ab humore craſſo pendentibus, & hanc medendi rationem, & cibandi appellabant recorporationem, & ita facit Galen. per quatuor, aut ſex dies, ægros nutriebant cum ſalſamentis, & ſinapi, & cum incidentibus: quumq; hoc feciſſent cogebant eos euomere, & poſtea nutriebant cum optimo nutrimento cum carnibus pulli, & cum vino optimi alimenti: ſecundo redibant ad ſalſamenta, poſtea euacuabant, vel cum vomitu, vel cum ſeceſſu: tertio ad optima cibaria redibāt, & modus iſte regendi notiſsimus erat. noſtra autem ætate neſciunt medici aliud facere, niſi ſyrupos, & medicinas exhibere, & ſemper obruunt ægros cum hoc inſtrumento, propterea mirum eſt, cur aromatarij & ipſi nō inſurgant, & medeantur. eſt ita igitur faciendum quantum ad præparationem. his præparationibus factis cum his, quæ habēt rationem cibi, non debetis iſtis ſolis eſſe contenti: ſed accedere ad medicamēta, propterea ſyrupi erunt conuenientes dummodo tales ſint, vt frigiditate & ſiccitate, atq; etiam craſsitudini humoris occurrere valeatis, & ego in tali caſu ſoleo præparare humorem hoc modo: per tres aut quatuor dies

dies soleo exhibere syrupum calefacientē, & humectātem, accipio radicem Glycyrizæ & polypodium, in quo est dulcedo, & radices altheæ, & deinde concoquo omnia in iure pulli, & cum modico Succhari iubeo vt bibant in mane, hoc facto ad oxymel, & ad syrupum acetosum, & de fumoterræ accedo: rursus redeo ad syrupos calefacientes & humectātes: & hęc est optima pręparatio huiusmodi humoris. vbi videbitis aliqua signa concoctionis paulatim euacuabitis, & iterū paulatim concoquatis. vbi autē videbitis validā cōcoctionē, tunc valido medicamēto vt helleboro, & purgabitis nisi natura fecerit aliquam crisim, & hac ratione curantes vos quartanā, nō transibit mēses tres, nisi vitium erit in medicamēto, vel in infirmo.

Iam vidistis in curatione quartanæ sicut in reliquis curationibus, quomodo indicationes sumere debeamus, quid agendum à natura morbi, quoniam curaturi sumus, & remotis quibusdam difficultatibus, diximus quid erat dicendum in hoc inuenta natura quartanæ, quæ consistit in suis causis efficientibus & materialibus, atq; etiam formalibus, & ostendimus quomodo indicationes ab ipsis causis efficientibus sumantur. causa autem efficiēs quartanæ erat succus melancholicus naturalis, tunc nos intelli

telligimus tanquam efficientem, quādo est sub ratione causæ antecedentis. materialis verò quādo cōiunctus est putredini, ab hac enim sumpsimus indicationes quid agendum sit. quando consideratur humor ipse melancholicus sub ratione causæ materialis indicat, quòd debeat euacuari, quoniam aliter morbus tolli non potest, nec vnquam remouebitur quartana, nisi remoueatur eius causa in actu: vidistis quòd erat euacuanda. dupliciter autē fieri potest euacuatio vel sanguinis missione, vel pharmaco purgante: quæ euacuatio per pharmacum purgans non debet fieri diximus nisi concocta sit materia, ideo prius concoquendā diximus, & præparandā venire materiā optime antequam fiat euacuatio, sed hæc materia duplex erat, alia in ventriculo & in primis venis, alia in toto venarum ambitu: & ambæ indigent pręparatione & concoctione, sed diuersimode & diuersis instrumentis. quæ quidem in ventriculo, & in primis venis est, vt contingit in omnibus febribus, concoqui & præparari debet, non cum his quæ sua caliditate valida, & sua maxima vi incidendi attenuant, & distributionē faciūt: quoniam si in ea essent materiæ crudæ, distribuerentur per venas, & augerēt obstructiones & febrē, & esset contra rationem, &

præc

præceptum Galeni in quarto de tuen.ſan. debetis ergo in febre tertiana, primũ cauere ab his, quæ valide cõcoquunt: & Moderni faciunt regulam vniuerſalẽ, quod primũ curationẽ febrium cauere debemus à ſyrupis diureticis, & maximè vrinam prouocantibus, hoc ſolebãt ſub vmbra: ſed non dicebant: quia cauent etiã à pipere, cum ſit calidiſsimæ & tenuiſsimæ ſubſtantiæ: credunt materiæ ſuæ ſubſtantiæ, & caliditatis, maximè quòd penetret, & diſtributionem faciat: ſed nõ viderunt Gale. nec rei naturam ſpeculati ſunt, qui vbiq; clamat piperis naturam, & virtutem, cum in tenuiſsima ſubſtantia ſit in primis venis euaneſcere. vos autem audiatis diffinitionẽ claram, conuenimus cũ Modernis, quòd in principio non fiat diſtributio materiæ crudæ exiſtentis in primis venis, ſed quòd enarrata talia ſint negamus. Igitur debetis fouere mẽbra extriſecus modo dicto, & cum rebus calidis interius adiuuare concoctionem, quæ ſimul etiam habẽt vim præparandi materiã incidendo, & attenuando: vt eſt diatrion pipereon, & diaſpoliticum, quæ propoſuit Gal. quia hæc calefaciunt, & incidũt ſuauiter, & non penetrant ad hepar. quantũ ad cibum & potum eundẽ ſcopum ſeruare debetis, ne diſtributio fiat, & augmentũ crudorum hu-

morum.facile id feceritis, si cibaria exhibueritis, quæ difficulter non cōcoquuntur, & etiam cauere debetis ab iuniorū errore, qui statim exhibent aquam coctā, & panē lotum; postea coguntur ægros importunè nutrire: nam si vultis exhibere cibū indicatione sumpta à toto morbo in primis copiosiori cibo vti debemus. cum verò multæ cruditates sint in ventriculo, & primis venis debetísne principio vti cibo crassiori? minime, sed in primis duobus diebus vel tribus vti debetis cibo tenuissimo, ideo illi à methodi triduanū ieiunabant ieiuniū, existimantes ægritudinem omnem à cruditate prouenire. ideo per allusionē diatritari, appellati sunt. debetis ergo vti tenui diæta in principio morbi ratione cruditatis, sed postea debetis redire ad cibum crassiorē secundum status longitudinem metientes ciborū quantitatē cū fortè fuerit in venis, & cholericus, qui haberet materias crudas in ventriculo & in primis venis: tunc enim nō vtemini tenuissima dieta in principio, sed in his tantū, qui habent in primis venis materiam pituitosam, & melancholicam, ideo in quartana nō debetis attendere ægritudinis longitudinē, & ab ea in principio instituere rationem victus crassiorē: hoc quidē verū est, si cruditates non sint in primis venis,

quo

quoniã eas primo remouere debemus, postea ad id quod intenditur accedere. vtrũ verò debeatis vinum exhibere in principio? errant medici in hoc, quia vidẽtes Auicen. & Gal. vinum exhibẽtes in primo occursu, & ipsi exhibent, & pessimè faciunt, & ratio est quia humores in primis venis, & in ventriculo existentes, à vino, distribuuntur, obstructionesq; maximas faciunt, & febres, & accessiones maiores inducunt. ideo cauere debetis à vino, & aqua illa præponenda est, quam Gal. proponit viris doctis, & ea est in qua piper decoquitur, quæ in primis diebus conuenit, donec in ventriculo, & in primis venis cruditates, flatus, rugitus, & nauseatiuæ societates apparent. vbi verò humores crudos præparaueritis, & concoxeritis in illis primis diebus cum instrumẽtis iam dictis, si natura eduxerit, nihil moliendũ, sin minus debetis clysteribus primo mollibus quod præparatum est educere, & natura nõ obedient cum clysteribus verioribus. Vnde dicebat Auicẽ. in quarto c. fen. prima trac. cap. 8. sæpe, & magis dilecta apud me est administratio clysteriorum, quod est recte dictum, si vellet intelligere per euacuationem crudorum humorum in primis venis, & in ventriculo existentium, sed aliquando magis dilectus est vsus medicinarum

pro euacuatione scilicet, Aliorum humorũ. vbi igitur euacuaueritis materiam, quæ in primis venis est, & in ventriculo, tũc accedere debetis ad materiam, quæ est in toto venarum ambitu, quæ adhuc facit quartanã. Quid autem sit agendum, & quibus scopis vtendum, nemini dubiũ quòd eisdem prorsus vtemini scopis, & sumpta indicatione ab eadem causa ab humore scilicet melancholico euacuari, sed vt prius dictum est cõcoqui debet, secundo præparari. quantũ autem attinet ad concoctionem, quæ fieri debet in toto ambitu, primo cum cibis optimum sanguinẽ generantibus fiet, quoniam ex generatione optimi sanguinis calor naturalis, & spiritus fiunt temperati, quos spiritus & calorem innatum scitis à sanguine fieri. si sanguis est crassus, spiritus crassiores erunt: si tenuis tenuiores erunt, si tẽperatus temperati. materia autem ciborum est ex perdicibus, pullis, ex carne hædorũ, & ouis etiam recẽtibus. vinum autẽ sit tenue, albũ, maturum, & subdulce, quia huiusmodi est maximè conueniens in cõcoquenda materia. quia dum tenue est penetrat, dum maturum & subdulce vim habet calefaciẽdi, & humectandi, & augendi calorẽ innatum, ratione cuius concoctio adiuuatur. Quantum ad medicamenta concoquentia syrupi

omn

omnes calidi, & humidi tẽperatè sunt idonei,& adiuuant concoctionẽ humoris melancholici cuiusmodi sunt syrupus de glycyrrhiza,syrupus de pomis,de succo boraginis,de succo buglossæ, decoctum etiam istorum commodum erit,&glycyrrhizæ,& altheæ,camomillæ iuris pulli præcipue iuuenis,in quo decocta sint iã enarrata.quomodo autem pręparatur huiusmodi materia?materia ista crassa est,& frigida præparatur ergo cũ medicinis moderatè calidis. si enim exhiberetis admodum calida,quoniam humor terrestris est,& frigidus,& siccus,etiamsi cõuenirent ratione suæ tenuissimæ substantiæ,quoniã incideret,tamẽ ratione suæ maximę caliditatis adustionẽ facerent succo melancholico,quod si aduratur,longe deteriorẽ febrem faceret:quoniã fortè exacerbaret de quarto in quartũ:sed maligna & pestilens febris esset,scopus igitur in præparatione est,vt acriter incidentia sint,sed non multum calefacientia:ideo quoad præparationẽ humoris melancholici oximel & syrupus acetosus maximè conueniunt:& hoc facit Auicenna dubitare,an in concoctione humoris melancholici acetum conueniat,quia videbat ex parte vna acetum cõuenire quoniam incidit,videbat ex altera parte acetum frigidum,& siccum

 esse.

esse. igitur ambigebat vtrum acetum, & syrupus acetosus conueniret in concoctione quartanæ, qui deceptus est: propterea quod non distinxit concoctionem à præparatione, dicimus nos pro concoctione humoris melancholici, quæ nihil aliud est, nisi separatio vtilis ob inutili, acetum non conuenire, neq; etiam syrupum acetosum, sed pro præparatione conuenire, conuenit etiã syrupus de marubio, de hysopo, bisantinus, de fumoterræ simplex, de epitymo simplex, quoniam habent vim incidendi, & moderatè calefaciũt. si postea vultis miscere duas intensiones & concoquere, & præparare, syrupus. s. de epitymo compositus, de fumoterræ compositus, de buglossa, & sabi regis maximè conueniunt. His præparationibus factis quãtum attinet ad materiam, quę in uenis continetur, debetis euacuare eã subito, & postea residuum præparare, & iterum pedetentim euacuare. itaq; minimo apparente concoctionis signo in vrinis, imò etiã non apparente, si verisimile videatur vobis per multos dies potuisse materiam præparari, debetis eum leui pharmaco euacuare. nunquid modo in ista euacuatione leui, quę proculdubio facienda est conueniat medicina, quæ fortis debilis appellatur ab Auicen. an verò ex toto genere debilis? per huiusmodi

modi medicinam fortem debilem intelligit Auic. medicinam, quę in sua natura fortis est, sed debilis: quia in pauca quantitate exhibetur, verbi gratia scamonium validissimum est in sua natura, si tamen granũ eius solum exhibeatur debilissimũ erit, & sic ratione quantitatis debilis erit. in sua autem natura fortis, medicina autẽ à tota substantia debilis ita benigna est in sua natura: vt si darentur vnc. iiij. sicut casia adhuc debilis esset, similiter manna: & reliquæ omnes medicinæ, quæ benedictæ dicuntur. Quæritur ergo hoc loco cum dicimus humorem melancholicum esse euacuandum sæpe iterando cum debili medicina, an cõueniant medicinæ fortes debiles? an solùm, quæ ex toto genere debiles sunt & benignæ? Auic. & ipsius sequaces eligunt fortem debilem, Galenus verò in oppositum est, quia ipse in euacuando humorem melancholicum non trãsit vsum hyerę simplicis cum epithymo, nec vnquam ante optimas, & perfectas concoctiones exhibet heleborum, quid igitur dicebatur? dico domini naturã rei, quam tractatis distinguendam esse, si habebitis corpus, in quo viscera sint debilia, & hepar sit paratum ad excremẽta sucipiendum, splen, intestina, vel plurima, aut aliqua, aut paucio ra sint debilia, præterea in toto sit redũdãtia

materiæ,& vasa per quæ euacuātur sint debilis debetis cauere in isto casu à medicina forti debili. Et ratio est, quoniam humor redundans in corpore cum melancholicus sit, vel medicamentum nihil attrahet, vel attrahet: si non attrahet, frustra est: si attrahet, cum materia plurima sit, & medicina debilis, exagitabitur, & natura insurget ad expellendum quod aggrauat, postea non fiet attractio: quia deficiet motus medicinæ, quippe quæ debilis est. Et cum iam materia in motu sit & multa, præcipitabitur à natura, maximè cum inuenerit vasa laxa, & si vasorum aliquod debile erit, detrudet ad ipsum, & ita fiet inflammatio, & hoc admonet Galenus in secundo de ratione victus in acutis, dum in pleuritide vult vsum medicinæ esse cauendum: quoniam intrinsecus est membrum debile, & quicquid permanet nō euacuatum, dum mouetur, necessario transit ad illum locum, & sic inflãmatio augetur. Quare cauēdum est ab ista medicina forti debili, si verò corpus habeat sana mēbra, & materia non sit multa, & partem ipsius velletis educere, quæ in venis est, videatis quam materiam esse in venis, quæ præparata sit, sed non tota præparata, debetis tunc euacuare eam, nō quidem cum medicina à tota substãtia benigna, sicut cassia, aloe, manna, quo

niam

niam non transirent primas venas. cum aliqua verò validiori non licet: quia materia non est præparata, ideo medicina forti debili vtemini, propterea quòd ex ea parte, quæ fortis est fiet attractio à venis. quatenus verò in pauca quantitate est, deficiet attractio, antequam attrahat quod præparatum non est: quia omnis vis attrahens primo attrahit quod præparatum est, quàm id, quod violenta indiget attractione. Itaq; scitis quando vti debetis remedio Auic. id est medicina forti debili, & quando non.

Pro curatione quartanæ audiuistis quo modo sumantur indicationes à materia faciente quartanam prout sub ratione causæ antecedentis, vel efficientis in actu, vidistisq; distinctè quo modo huiusmodi indicationes sumptæ ab hac causa existente duplices erant, quædam sumebantur ab ipsa, vt est in ventriculo, & in primis venis, quædam sumebantur, vt in toto ambitu venarũ reperitur, reliquũ erat, vt inueniremus indicationes, quæ sumuntur á causa coniuncta, videlicet ab eadẽ materia pro vt est sub putredine, & propinqua vt putrescat, & accessiones febris faciat: quoniã huic quoq; debetur euacuatio, propterea debet esse aliqua via & modus, quo debeat euacuari & expelli, ne fiant exacerbationes. neque alius est,

nisi naturam huius humoris inspicere: quia iam putrescit. sciuistis humorem hunc eundem esse, sicut cum est sub ratione causę existẽtis. in hoc differt, quia ibi est materia futura subiectum febris, hic iam acta est subiectum febris, est igitur humor melãcholicus hic materia coniuncta, qui dupliciter cõsiderari debet: primo ꝓut est in motu, & fluit ab internis partibus venarũ ad extremas, & sic est principiũ accessionis febris. potest secundo considerari ista causa coniuncta prout actu putrescit, & sic actu subiectum est febris, quæ calor præter naturam est. si considerato eam primo modo, & in eo fluxionis impetu refrigeratur valdè totum corpus & ita refrigeratur, vt circa augmentum, & statum frigus quandoq; sit intolerabile, & indigent ægri tunc adiumẽto propter frigus, & iam symptoma hoc habet rationem communem, & trahit ad se curam: quia corpus reddetur ex eo imbecillius, & quartana firmabitur, quod stantibus membris imbecillibus ad fulliginem paratis, & stantibus mẽbris generantibus humorẽ melancholicum non cessabit iste circulus, nisi vtique incommodo occurratis. pro conseruando igitur corpore, quod incidit in hoc incõmodum propter materiam influentẽ, oportet, vt medici vtantur prouidentia. quid ergo faciendum?

dum? natura rei docet esse humorem frigidum, crassum, terrestré, quem oportet considerare vnde nascatur: sciuistis quòd generatur in hepate, postea ad lienem deuenit: generat autē hepar plus de isto humore, quàm de alio: quia male affectum est, oportet igitur prouidere, vt hepar, lien, & ventriculus, bene disponantur: & quoniã lien & ventriculus redduntur frigidi propter succum istum: ideo post præparationem, & concoctionem causæ antecedentis, atq; etiam post euacuationem oportet prouidere vt corroborentur membra, quæ mandant succum istum mistum cum pituita, deinde vt nõ amplius generent huiusmodi humores, & vt singulæ partes corporis incalescant, & humor etiam ne frigiditatem in mẽbris imprimat. ideo factis omnibus iam dictis euacuationibus materiæ antecedẽtis, insigniter calida & sicca conueniunt, quorum qualitates sint permanẽtes, non amplius cito insolubiles, sicut cum materia erat in primis venis: tũc enim vtebamur calidis & siccis validis, sed tenuissimæ substantiæ, & cito resolubiles erant, & hic indigemus calidis & siccis in substantia crassa, vt permaneat calor, & perseueret, donec per totum corpus, & per omnes venas transeat, vt humor incalescat & totum corpus, & frigiditatem impressam corrigat, &

faciat

faciat humorem per halitum difflare, & ita præstantissimum est remedium mitridatũ, vel theriaca, vel confectio ex succo cyrenaico, quæ omnia calida & sicca sunt: quorum caliditas & siccitas pertinaciter hæret, & per vniuersum corpus pertransit, calefacit totũ corpus, & spiritus corroborat. si modo hæc medicamenta exhiberetis, cum corpus repletum est humore melancholico, & crudi sunt humores in primis venis, exagitaretis humores, qui non sunt concocti, nec præparati, sed misti sanguini, & tunc magis inflãmarentur, nec concoquerentur: propter eà quia sunt nimis infarcti in venis. Ideo potius febrẽ augerent, & ex vna quartana duas efficeretis, & etiam tres: vt in Eudemo Peripatetico patuit. Quod erat ergo in principio detestabile, factis euacuationibus commodissimè exhibetur. ideo qui vtuntur his medicamentis, factis purgationibus & apparentibus signis cõcoctionis in vrina ante paroxysmum quartanæ, rectè faciunt: deinde sumatur portiuncula vini aromatici, vt adiuuet penetrationem medicamenti per venas, breuissimũ fiet frigus, citò transibit humor melancholicus iam calefactus à pharmaco ad musculos, nõ percipiet ęger frigus, & calor non durabit, & iam humor ille attenuabitur, & citò resoluetur, & si nõ prima vice,

vice,ſaltem in ſecũda, & tertia remouebitis febrem dicto modo:quia corrigẽtur membra mandantia,& generantia ipſum humorem melancholicum. & quoniam iam genitus,& tranſmiſſus eſt ad ipſa attenuabitur & reſoluetur. quantùm ad materiam iam actu putreſcentem, ipſam corrigere oportet:ſed non in principio,& in augmento,neque etiam in ſtatu aliquid moliri debetis. Sed in declinatione paroxyſmi tantum. & quoniam materia putreſcit ob prohibitam tranſpirationem:prohibetur autem tranſpiratio propter obſtructiones ob id prouidendum eſt, vt commode difflari poſsit.difflabitur autem aperiendo meatus, & tollendo obſtructiones:quibus remotis,putredo tolletur. præterea facilius diſcutietur reſiduũ materiæ, quæ computruit, & facilius difflabitur fuligo illa, quæ ſemper remanet in membris poſt paroxyſmum cauſans imbecillitatem membrorum, & calorem obtundens.ideo vbi in fine paroxyſmi aperietis meatus iſtos, facietis materiam difflari, & obſtructionem tolli, ratione cuius putredo remouebitur:& iſte eſt modus curãdi quartanam,quantum attinet ad quid agendum. Quomodo verò, & quantum ſit agendum, iam toties docuimus,vt iam ſuperfluum ſit repetere. Sciuiſtis quomodo à moribus, à

natura

natura infirmi, & à consuetudine sumitur: quantum verò ab ægri natura sumitur, ab ætate, à viribus, à regione, & cœli statu: & quod omnia ista rediguntur ad vires, & ratione virium limitantur omnia, dico tam in cibo & potu, quàm in medicamentis, quando sit operandum, audiuistis sumi à temporibus morbi tam vniuersalibus, quàm particularibus: & ita cõsequenter apparet tota curatio quartanæ: & si hac procedetis via, & ægri voluerint parere, si pertransierint tres menses dicetis me esse fallacem. his omnibus rectè perspectis tam quoad essentiam quartanæ, quàm quoad eius curationẽ, videamus modo quædam in tex. Gal. DEINCEPS AVTEM &c. Audiuistis quando curabamus febrem istam, indicatione sumpta à causa efficiẽti, quid dixerimus, videlicet si quis humor concoctioni rebellis est, succus melancholicus primum locum obtinet, indicat tamen, vt concoquatur, & præparetur cum his quæ valde incidunt: quæ duo secundum rectam rationem fieri debent. & hoc cõmune est omnibus humoribus, vt concoquantur, & præparentur: succus verò melancholicus hoc habet proprium, vt blãde pertractetur, aut concoquatur, vel præparetur: atque etiam euacuetur. sin verò contrà adeo exacerbabitur, vt ex vna fient duæ quarta-

næ,

næ,& tres etiam.ideo dixit Galen. ab initio leniter, & blande pertractare oportet nullum forte medicamentum, aut euacuationem exhibentes. ET SI SECTA VENA &c. Excipit Galen. hoc loco, & inquit non debemus vti in principio medicamento habente vim, nisi forte opus sit, vt sanguis mittatur: tunc enim si opus erit, per initia mittendus erit. Quæritur modo hic quare non expectatur cōcoctio in missione sanguinis, sicut in reliquis humoribus: ad hoc dicendum quòd quandoq; etiam possumus secūdum rationem, & secūdum methodum mederi, aliquando coacte, & præter rationem medemur: coactè quidem cogimur nonnūquam sine aliqua præparatione sanguinem mittere, sed si regulariter operabimur, semper sanguinē euacuabimus facta prius præparatione. non ergo dixit Gal. concoctionē non esse expectandam, quoniam in quarto de tuen. san. distinxit, & in lib. de missione sanguinis, quando sanguis mittendus sit, & quando præparandus sit: & inquit cum humores sanguini permisti fuerint, tunc satis præparati sunt, cum vultis eos per sanguinis missionem educere: si verò humores viscidi, & impacti fuerint parietibus venarum, & crudi, deducetis ægrum cum ea sanguinis missione ad crudorum refrigerationem, & inde

& inde totũ corpus refrigerabitur. vbi igitur humor, quoniam vultis educere per sanguinis misionem; non fuerit præparatus, oportet vt præparetur, & incidatur, ita vt sanguini permisceatur, si fuerit humor melancholicus, qui resideat & separatus sit non permistus sanguini non educetur per sanguinis misionem. ideo Auic. dicit vbicunq; volumus mittere sanguinem, debemus (vt more suo loquar) inspicere in vrinali, & si vrina fuerit crassa, & rubea, mittere sanguinem expedit: quia tunc indicium est, quòd humores peccantes permisti sunt cum sanguine, si verò vrina fuerit subtilis, cauere oportet: quoniam humores permisti non sunt cum sanguine: quoniam si essent permisti videret is colamẽtum sanguinis, vrinam scilicet tinctam, & crassam, sed quoniam frequenter huiusmodi præparatio in sanguine apparet, ideo statim ferè semper mittitur sanguis. est igitur vniuersalis regula, quòd nunquam euacuare debetis humorem per sanguinis misionem, nisi fuerit sanguini permistus, hoc voluit dicere hoc loco quoniã dixit, si videbitis sanguinẽ exuberare, & crassus sit, dum exit, audacter mittẽdus est: Secãda verò vel in terna, vel ea, quæ in sinistro cubito media &c. hic vellem quòd esset auditor cuiusdam magni medici, vt viderẽ

quid

quid dicere vellet, quam ob rem in ipsis ægritudinibus lienis secetur vena sinistra potiusquam dextra, & potiusquā vena pedis? Galen.hoc dicit & omnes sequaces eius, sed quæ sit ratio, non video, si considero totam venam, & viam ascendentem, & descendentem, ne minimam quidem venam video, quæ ad lienem nutriēdum accedat, inuenio paruam sub lobo sinistro hepatis, quæ tēdit ad nutriendas costas, & spinam, & musculos adhærentes ipsi spinæ, & prope lienem accedit, sed nō ad lienem, propterea si debemus secare venam illam ex eodem latere, quia ratione situs & ductus fibrarū facilis fit attractio, non video commerciū aliquod venarum, nam besilica dextra, & sinistra in iugulo à caua diuidūtur, & vna tendit ad axillam dextrā, & altera ad sinistram: membra autem quæ habent commercium per eam venam sunt ventriculus, costæ, musculi thoracis, diaphragma, quoniam nutriuntur ab ipsis ramis venientibus à vena conçaua. & tunc bene dicerem hæc: si in regione dextra, vel sinistra in aliquo istorū membrorum esset affectus, quòd conuenienter fieret diuersio, si seruaretur rectitudo situs, sed in hoc affectu cum dicat Gal. secanda est vena sinistri cubiti, quia ipse dicit sic, tunc etiā dicam, quòd etiā vena pedis, & capitis secāda

est propter dicta. cæterum vos debetis recordari eorũ quę diximus in extrahẽdo sanguinem, dicebat Hipp. v. Aphorismorum, Apho. 69. semper debemus κατ' ἴξιν, id est, rectitudinem seruare, etiam si nullum adsit commercium venarum. ideo dicebat Hipp. dolenti parte posteriori capitis vena frontis secta cessat dolor, & tamen non videmus venas secundum rectitudinem: seruata tamen natura rectitudinis situs auersionem commodissimè facimus. hoc idem etiam cum cucurbitulis præstamus. existente enim dolore in superioribus partibus cucurbitulis in cruribus appositis trahimus materiam. debetis igitur auertere stante inflãmatione, vel humore euacuãdo in sinistra parte: vt in liene, an sit melius ducere sanguinẽ à basilica eiusdẽ lateris? si dicemus melius quidẽ esse, quoniam seruatur rectitudo, ac propinquitas situs, & oportebit deuenire ad quoddam archanũ, quòd oportet an verum hoc sit perquirere: certum est, quòd vena porta dum transit ab hepate ad lienẽ duos ramos facit, qui multipliciter bifurcantur, & lienẽ nutriunt, & ita maxima portio venæ portæ transit ad lienem: fibræ autem venarũ multum faciũt ad auersionem, & oportet supponere, quòd auersio, & attractio fiat non à natura, sed ab arte: & quòd natura adiuuatur

ab

ab arte: omnis enim attractio naturalis fit per suas fibras,& per villos,vt inquit Gal. in lib. de fac. naturalibus, si verum est, quòd fit per villos longos, consideretis rotunditaté: venæ habent villos vndique destrorsum, & sinistrorsum. quãdo verò vena porta transit ad lienem habet ramos rotundos vndiquaque cum suis fibris: contineatur autem vena ascendendo vsq; ad hepar,& totam substantiam hepatis pertransit: ob quam caussam excellentissimus Andreas Vessalius tenuit contra Gal. ab hepate venas non habere ortum, quæ fuit prima opinio Arist. vbi postea continuatur ad concauam, concaua ascendit adeo, vt perpetuus sit fibrarum ductus per omnes partes: & si verum est, quod attractio fit per longitudinem fibrarum à principio ad finem: & vbi incepit attractio à natura, ex ea occasione & ipsa per partem post partem attractionem efficit, donec attractio deueniat vsq; ad partem affectam. igitur, si aliqua est causa attractionis, ista erit. diceret aliquis, si per partem post partẽ in basilica incisa oportet, vt ad venã cauam deueniat attractio, & à caua ad hepar, & per hepar transeat ad venam portam, à qua vena porta ad lienem, hæc est maxima distantia, & via longissima. dico quòd hoc nõ est mirũ, nónne etiam à capite fit attractio

secta vena pedis, quæ saphena dicitur, & hæc non est minor distantia, quàm sit illa, hoc enim facit natura, postquam ars inuenit modum operandi ipsa ab arte adiuta perficit opus. A SVILLA AVTEM CARNE, &c. Quoniam omnia quæ generant crassum, & viscidum succum obstructiones faciunt, & succum melancholicum generant, ideo ab his cauendum est: & huiusmodi est caro suilla: QVAEQVE REFRIGERANT, ET EXICCANT, &c. Iste interpres est imitatus Leonicenum, re vera tamen omnes codices habent à cibis humectantibus & refrigeratibus cauendum, sed debetísne cauere à cibis frigidis & siccis? ita est. Sed non vitupero traductionem vt falsam, imò vt non fidelem, quia debet stare cibi nec refrigerent nec humectent, quia sequitur ex dictis, A SVILLA CARNE, &c. Tales cibi refrigerant & humectant: frigidi verò & sicci non sunt glutinosi, at frigidi & sicci cibi generant humorem melancholicum, verum est: sed volui vos aduertere. VINO VERO ALBO, &c. Dixit quando vinum sit exhibendum: quando verò non. & dicit quòd medici perperam faciunt, qui in primis diebus quartanæ exhibent, sed factis primis euacuationibus materiæ existentis in ventriculo,

culo, debetis exhibere vinum. EX QVIBVS, &c. Clara sunt. SALSAMENTVM AVTEM, &c. Audiuistis quantum ad salsamentum, quando debeatis salsis carnibus in quartana vti, & quare. diximus quòd his vtimur: quia incidunt, & attenuant humorem melancholicum. quando autem? quando quęrimus incisionem humorum existentium in toto ambitu venarum. & cõuenientius hoc fit cum cibis, quàm cum medicinis, & Auicen. quia non potuit intelligere, quomodo in ægritudine, quæ dependet ab humore melancholico sint danda salsamenta, cum hæc generent humorem melancholicum, dum videret hoc Auic. fortè abhorrens ab hoc dicto Galeni locum hunc volens emendare non vituperarẽ, inquit, quando volumus prouocare vomitum, post multa dixit salsa exhiberi poterũt: postea oxymel ex aqua & aceto, ita vt videtur Auicenna his remediis non debere vti, nisi quando volumus, vt æger euomat. & quamuis expositio ista Auicennæ ingeniosa sit, nihilominus Galenus non dixit hoc ad hunc sensum, quia Gal. non vult, vt euomat ante statũ, sed post statum: nunc vult tantummodo præparare humores, qui sunt in venis, & his incidẽtibus vtitur. nec dubitare debetis in hoc, che exhibet, quæ generant humorẽ melan-

cholicum: dico quod Galenus vult, vt vtamini cibis optimi nutrimenti, & cum voluit hæc administrari, voluit, vt hæc essent veluti condimenta in gratiam accipientis, & vt victus attenuans & nutrimentum bonum sit mistum cum his. & sint hæc salsa veluti irritamentum appetitus, & cum hac sua vi incidendi adiuuarent concoctionem, ET CAETERIS DIEBVS INTERPOSITIS, &c. Malè interpretatus est locum hunc interpres, quod cæteris diebus interpolatis detur dia trion pipereon, vt sit sensus, quòd sint danda salsamenta: postea interceptis quibusdam diebus detur diatrion pipereon, & diaspoliticum: sed non vult hoc, imò in primis diebus vult, vt hæc exhibeantur non diacalamentum, aut mithridatum, neque theriaca,& quòd iam antedicta interpretatio non sit mens Galeni, vt dentur ista interiectis quibusdam diebus: sed in principio, litera Græca ita stat, διὰ τινῶν ἡμερῶν, id est per quosdam dies exhibeatis diaspoliticum, quasi dixerit in principio exhibendũ. dicetis vos: tu exponis per quosdã dies, id est in principio: rectè expono, quia ostendo diaspoliticũ conuenire in principio,& dedi rationem quare, & ego nolo esse, qui id dicã: videatis Paulũ Aeginetam, qui sic dicit, per tres dies exhibeatur

tur

tur diaſpoliticon : ſed per tres dies in principio ſumus, quoniam curantur in principio cruditates.

SI VERO IN STATV MORBI PRAECIPVAE AEGROTVS ESSE VIDEATVR, &c. Poſita iam omni curatione feb. quartanæ à principio vſq; ad ſtatum: modo Galenus vult quatuor à nobis obſeruari in ſtatu. primũ eſt, vt tenuiſsima imperetur victus ratio: ſecundũ vt foueãtur omnia, vt hypochondria, & viſcera: tertiũ quo admonet nos, vt imperemus quietem: quartũ & vltimum eſt, vt euacuemus. Iſta erant à nobis conſideranda, & vt ſciatis rationes, & cauſas omnium quare hæc præceperit, ſcire debetis, quod in ægritudine chronica, vt in quartana non ſumus in ſtatu ratione humorum cõtentorum in venis, quia non eſt eadem materia in principio vſque ad ſtatũ: ſed bene ſumus in ſtatu in febrib. quæ terminantur in ſeptimana, vel decima quarta ratione humorũ cõtentorũ in venis: in his enim materia quæ ſemel fuit aggregata in principio in ambitu totius, eámet perſeuerat vſq; ad finẽ: ſicut verbi gratia in ardẽti febre vera cõtingit: in qua multitudo bilis aggregata in ambitu venarũ, & depaſcitur febris per materiã iſtã, qua ceſſante, quia nõ habet minerã generantẽ bilem,

 ceſſat.

cessat. In hoc casu dico materiam eandem esse in principio, & in fine, sed in chronicis febribus non est ita, vt in febre, quæ per annum perseuerat. Illa materia quæ putrescere incipit, vel in venis, vel extra: non est eadem vsque ad statum: sed perseuerat, quia membra affecta ob intemperiem per plurimum tempus, donec remediis corrigantur, humorem nouum generant, verbi gratia: vitio hepatos generatur bilis, vitio lienis multiplicatur succus melancholicus: quia nõ expurgatur, nec lien attrahit ipsum: vitio ventriculi generatur pituita, de febribus illis, quæ habent eandem materiam à principio vsq; ad finẽ loquemur, quãdo de continuis sermo habebitur. de statu verò chronicarũ, in quibus non perseuerat idem humor, sed generatur in suis mineris loquimur in præsentia: ideo modo attendatis, vt sciatis quãdo sit status: non est status in his, vt deueniat morbus ad actum summum, in quo pugnet natura cũ humore præcedente, quia non adest, sed continuo generatur, sed status est tunc, quando natura totis viribus aggreditur non quidem materiã, vt vincat eam, ac paratior fiat ad expulsionem, vt in acutis cõtingit, sed aggreditur intemperiẽ, atq; ita præualet intẽperiei existẽti in membro, postquã correxerit vel à se ipsa, vel à nobis

bis coadiuta, vt dicet se superasse non humorem peccantem, quia nullus adest, sed intemperiem membrorum. quę facta erant mineræ humorum nouorum generandorũ, in quibus mineris continuo generabantur, sin minera sit hepar, siue ventriculus, siue lien, superante natura vtile prorsus separatur vti causa ab inutili, & fit iam præparatio ad expulsionem, vt totum corpus mundatum remaneat, & toto conatu natura insurgit ad emẽdandam intemperiem: & iste dicitur chronicarum status, & indicatur status à signis in excremẽtis concoctis, & tunc corpora percipiuntur ab ægris aggrauata, cum vis pugnæ sit in illis visceribus. si consideretis totam naturam status quartanæ iam apparet quando ista quatuor sint facienda: in statu debetis vti victus ratione, quia natura cum iam parata sit ad expulsionem humorũ, quoniam separauit inutile ab vtili, vt membra remaneant mũda, non debetis distrahere eam, propterea quòd iam vincit. Itaque debetis prohibere, ne natura sit occupata in suo laudabili opere, atque imperare quietem ægris, & ratio est, quia iam natura intenta est ad expulsionẽ materię. si inquietaretis corpus, distraheretis materiã: & periculũ esset, ne humor iam paratus ad exitũ deflueret ad aliquod viscus: ob

id circa statum quiescere melius est. tertio fouere omnia viscera, & hypocondria debetis: quia scitis, quod vis expulsiua maximè roboratur à calidis, & humidis, & etiã concoctiua. ideo cum iam natura in statu cõcoxerit, vel proxima sit, vt cõcoquat, si foueatis hypocondria, adiuuabitis naturã, vt perficiat concoctionẽ, quam cum calidis & humidis perficimus. quarto euacuare debetis, sed non semper: verũ vbi natura non satisfecerit, quia vbi imperaueritis longã quietẽ, & vbi tenuissimũ victum institueritis, & foueritis hypochondria, & natura non expellat in die sua critica, tunc vos euacuationem facietis. istud igitur vltimum est faciẽdum, cum natura non fecit: sed quomodo faciendum? prout natura magis parata est ad hoc, vel illud: sicut præcipiebat Galenus in curatiane tertianæ: & vt dicebat Hippoc. primo Aphor. vigesimo primo si superius natura mandat, & facilis sit æger ad vomitum, per ipsum euacuabitis cum suis instrumentis, itidẽ & per secessum cum suis instrumẽtis, si natura potius per secessum inclinauerit euacuare: reliqua in text. facillima sunt.

Caput de quotidiana.

Nunc restat, vt curationem quotidianæ aggred

aggrediamur,& vt habeatis rectas intẽtiones, debetis colligere singula iam dicta: si rectè memoria tenetis, in principio dum tradebamus vniuersalẽ methodũ diximus, quòd calor præter naturã,quẽ febrẽ appellamus vbi terminatur ad spiritus ephemera dicitur, si ad solida membra hectica: si ad humores humoralis. determinauimus primas,& ad humorales deuenimus,& quia humores sunt quatuor, deberent esse quatuor genera feb. nihilominus tria tantũ sunt inuenta: quia sanguis dum putrescit, si subtilior pars dicitur bilis, si crassior dicitur melancholia. igitur prima est de genere cholericarũ, secunda de genere melancholicarũ, tertia de genere pituitosarũ,ideo non debẽt multiplicari genera istarũ trium febrium: quædam erant continuæ quando humores putrescunt in venis: quædam interpollatæ, quando extra venas putrescunt. incepimus de interpollatis agere, & prima erat tertiana, quæ pendet à putredine bilis cum suis speciebus: secunda erat quartana, quæ pendet à putredine melancholiæ: tertia erat à putredine pituitæ depẽdens, quæ quotidiana dicitur. Et cum egerimus de illis duabus, de quotidiana agendũ erat, & cum satis superius cõsiderauimus essetiã, & signa, nihil aliud deest, nisi curatio; ad eam igitur
accedam

accedamus: quæ quidẽ curatio sumitur ab essentia morbi, essentia ista consistit in suis causis, causæ sunt tres, efficiens in actu, quæ antecedens dicitur & coniuncta, materialis & formalis, omnes huiusmodi causæ sunt considerandæ: causa efficiens est pituita. sed nõ sufficit hoc dicere, quia vniuersales sunt pituitæ species, quædã enim est dulcis, quędam acida, quędã salsa, & quædam insipida. prima quantũ ad substantiã attinet, quædã tenuis, quędam crassa, quædã vitrea: omnes istæ pituitæ species cũ putrescunt faciũt diuersa genera febriũ. incipiamus igitur à putredine pituitæ salsæ: vbi ipsa putrescit, non oportet vos multum solicitos esse, quia ita similis est tertianæ nothæ, quoad signa, & accidentia, atq; etiã quoad curationem, vt non posſitis errare, & licet habeat alias periodos. quia quotidie inuadat, cum pendeat ab humore pituitoso, tamen idem est, ac si esset pituitá permista cum bile, ideo rectè dixit Auicẽ. quoad hoc, salsam pituitã fieri, vel ex mistione bilis, vel ex adustione, licet dixerit salsam non peccauit, quia vterq; humor calidus est, & ferè circa principiũ causæ similes sunt, eodemque modo curantur. hinc est quod in quarto de ratione victus in acutis Hipp. & Galen. cũ dixerint duas species esse causi, aliam dixit à bile sincera, aliã

à pit

à pituita salsa prouenire, ita vt proportio, quæ est inter ardentẽ febrẽ ab exquisita bile, & tertianam interpolatã, eadem est inter ardentẽ nothã à pituita salsa, & inter quotidianam à pituita salsa, & nulla est differentia, nisi quod humor febris ardentis intumescit à venis: tertianæ verò interpolatæ, atq; etiam nothæ extra venas, & ita quantũ ad hoc non multũ eritis soliciti. Quantum ad pituitã dulcem, & insipidã ad modũ similes sunt, & in accidentibus non multũ sunt dissimiles, acida verò facit accessiones longiores, quàm faciant aliæ duæ: quemadmodum frigida est, & habet accidẽtia longe diuersa, & facit diuersum prognosticum, & curationem diuersam, quæ iam pẽdet à vitrea pituita, & crassa putrefacta est diuersa febris: nam ex putredine huius fiunt feb. lippariæ & epiale. quæ sunt malorum accidentium, & difficilis curationis. Quæritur modo hic quam febrẽ curauit Gale. cum dixit IN CVRANDA VERO QVOTIDIANA &c. Facile respondetur Gal. curare hoc loco omnes prorsus à pituita pendentes cuiuscunq; generis sint. dixerit aliquis cur nõ curauit particulares febres? hoc fecit, quia (vt ipse dixit) debetis elicere particulares humores ex scopis quibusdam cõmunibus. quid ergo facere debemus? primo curabimus

mus omnes febres in communi, quæ à pituitoso humore dependent, postea videbimus, qui sint illi scopi omnes particulares, qui faciunt ad curationem singulorum, circa vniuersalem curationem quoad omnes febres ex putredine pituitæ sit quæcunque velit, vnde incipiamus à causa efficienti, vel ab antecedenti, quæ est ipsa pituita non distinguo pituitam, quia curatio est communis. est igitur pituita causa, quæ frigida est & crassa, dico crassa, non quod vna comparata alteri non sit crassior altera, sed comparata ad alios humores est omnium crassissima post succum melancholicum. sicut aquam grauem dicimus respectu aeris & ignis, ita crassam pituitã appellamus, quia inter humores comparata crassa est: comparata enim sanguini & bili crassa est, si cõparetur succo melancholico dicitur tenuis. est igitur crassa comparata ad alios humores: præterea frigida est & comparata cuicunq; viscida est & cruda: cruda inquam, quia calor naturalis non potuit attingere formam sanguinis in concoquendo, & ducendo eam ad actum, reliqui humores sunt excrementa alimenti, & sanguinis. ideo pituita sola cũ formam non attingit, propriè frigida, & cruda dicitur propter imbecillitatem ventriculi, & membrorũ concoquentium,

tium,hæc sunt considerãda ad rectam cura-
tionem inueniendã.cum ergo frigida sit,&
crassa genita ob membrorum imbecillita-
tem,duo insurgunt consideranda:primo vt
concoquatur,quod concoqui non potest è
corpore educatur:secundo vt membra,quæ
non possunt continere alimentũ corrobo-
rentur, ne id faciant.debet igitur materia
cõcoqui,& euacuari:quia redundat.euacua
tio autẽ duplex est,altera per phlebotomiã,
altera per pharmaciam:hic non immerito
quæri potest,an in febre ista sit faciẽda phle
botomia?quia curamus vniuersalem febrẽ,
non possumus respondere sine distinctione,
si sit pituita dulcis,& mista sanguini,debe-
tis mittere sanguinem:si sint aliæ pituitæ
nequaquam,quia maximè recedunt à natu
ra sanguinis.Quantum ad purgationẽ per
medicamentum, debet quidẽ euacuari,sed
prius concoqui:quoniam cõcocta medica-
ri,&c.materia autem quæ concoqui debet
duplex est,quædam est in ventriculo,& in
primis venis,quædã in toto ambitu corpo-
ris: quæ in ventriculo, & in primis venis
est,prius concoqui,& euacuari debet,ante-
quam concoquatur,& præparetur ea, quæ
in ambitu totius est:quod si secus faceretis,
febrem augeretis.ideo debetis habere cu-
ram,si estis in principio ægritudinis,vt isti
hum

humores prius euacuentur,posteà ad illos, qui sunt in ambitu totius corporis accedetis. Quomodo autem vos cognoscetis humores esse in primis venis?ex nausea,grauitate,rugitibus,& egestionibus, quæ impactæ erunt,& ex vrina,quæ tenuis erit,neq; quid segregatum habebit,& si inquiesserit plurima cibaria. Debetis ergo prius procurare concoctionẽ, & præparationem horũ humorum,& euacuationẽ:cum quibus autem instrumentis ne sint calida,attenuantia,ne transeant primas venas & hepar,& humorem crudũ deducant ad venas,& obstructionem faciant & febrẽ. quoad cibaria stante cruditate in primis venis, abstineat æger ab omni cibo in primis diebus & per tres dies vtatur saltem tenui diæta,nec aliquid,quod distributionem faciat,exhibeatur. Ideo oxymel conueniet in primis diebus:quoniam tenuissimæ substantiæ,& sua vis non ita calefacit,nec facit turgere materiam,sicut faciunt calida & sicca:Quoad medicamenta dia trion pipereon,& diaspoliticum cõueniunt:nã vis sua exhalat in primis venis. A vino verò abstinere oportet, quia distributionem facit humorũ per corpus,post euacuationem verò horũ humorum in primis venis crudorũ existentiũ,debetis vti vino,& diureticis incidentibus &

atte

attenuantibus,vt humores in ambitu totius corporis existentes cõcoquantur,& præparentur,vt posſint educi.factis istis euacuationibus & purgationibus humorum debetis instituere victus rationem respiciẽdo ad statum, & quia longus est,debetis nutrire ægros ex pullis,& auibus, & ferculis quæ habeant aliquid attenuantis, vt est piper, vel cinamomum:& tũc exhibebitis vinum tenue limphatum cũ decocto ex cinamomo,vel aniso,cũ modico zucchari propter absterſionem,& hæc ratio victus erit attenuans,& cum isto victu perseuerabitis vsq; ad statum.& differt curatio hujus febris à curatione quartanæ,quia quartana indiget incidentibus nõ abstergẽtibus,quia humor faciens quartanã non est viscidus:absterſio autem debetur viscidis, incisio crasſis humoribus.& licet etiam humor pituitosus sit crasſus,ex quo indiget & ipse incidentibus,tamen differẽtia est inter incisionẽ horum humorum,quia incidẽtia in quartana non debent esse calida,& sicca nimis,quia siccus est humor,& magis exiccatur,sed hęc nostra quotidiana calidis indiget & siccioribus,quia non timemus vt exiccetur humor pituitosus, quia frigidus & humidus est.ideo syrupi cõuenienteſ quoad absterſionem attinet sunt mel rosatum,quod ha-

bet vim abstergendi,& corroborandi ventriculum,geneliabin Zuccharinũ ex succo ex rosis confectum,Græci rhodosaccharũ appellant,quasi ex rosis & sacharo confectum. conueniens præterea ad abstergendũ est syrupus de prasio,syrupus de absinthio,de hysopo,de calamento,de bisantiis,syrupus acetosus de duabus & de quinq; radicibus, oxymel compositum,oxymel Iuliani,hæc omnia abstergunt,& incidũt,& potestis exhibere per sola,vel commista,& decoctis ex herbis & seminibus calidioribus componere,vt cum decocto ex aniso,cinamomo,gariophillis,nuce muscata,hysopo,& similibus quorum ingens est sylua.

His præparationibus factis ad euacuationem accedetis cũ his,quæ pituitã euacuant: quoniam vt inquit Galen.in libro quos,& quando euacuare oportet:& in quinto de simpl.medic. singulis medicinis inest vis euacuandi propriũ humorẽ,hęc satis quantum ad præparationem,& concoctionẽ omnium humorũ,qui habent rationẽ causæ efficientis quotidianæ febris. Quantũ ad cõiunctam idest ad eã,quæ proximũ subiectũ febris est,considerabitis eã dupliciter.vno modo,prout deuenit ab interioribus partibus venarum,ad extremas,vt putrescat:antequam putrescat facit frigus,& in isto principio

cipio febris quotidianæ sumpta indicatione à causa ista cõiuncta, dum subito peruenit ad musculos plerunq; facit frigus vehemens, vt sit necessarium indicationes desumere separatas, & occurrere frigori, & corroborare neruos, & totam spinã, nã vbi frigescunt nerui violenter, & tota pars spondilium, & medulla spinalis & tandẽ ad cerebrum peruenit, & accidẽtia sæuissima contingũt, incidũtq; aliquãdo in somnũ profundissimum & subet, quia refrigeratur cerebrum per cõsensum, & medici hoc parum aduertentes induxerunt ægros in coma, & subet: & causa fuit, quia non curauerunt illud frigus. & medici dicunt, habet frigus, cooperiatur, sed nõ sufficit: quia õn est propter priuatiuam frigiditatem, sed propter positiuam: si cooperiatur magis penetrat ad cerebrum: quia inuenit vias apertas. in casu isto oportet facere, vt boni duces exercituũ: vbi vident periculũ, muniũt partem illã: ita & vos facere debetis arctare partes illas: & quia peruenire non potest frigus ad cerebrum, nisi per neruos, & spinam, ob id debetis inungere spinam cum oleo nardino, ne communicet cerebro, & faciat coma: si verò accesserit somnus in principio frigoris propter vapores frigidos eleuatos, caueatis ne dormiat: quia augebitur paroxys-

mus & periculum esset, ne vapores illi faciant incidere hominẽ in subet. Ideo fricentur pedes cum sale, aceto, & nitro, vt excitetur: istæ sunt indicationes à materia coniuncta, vt mouetur ad putredinem, prout verò putrescit, nisi sit maligna febris, & ea quę lypparia, & epiala vocatur, vel ex illis, quæ sincopales sunt ex humore pituitoso, de quibus loquemur in febribus cũ accidentibus. debetis permittere hominẽ quiescere vsq; ad declinationem paroxismi: in declinatione verò, quia materia crassa est, licet computreat vario modo, crassa adhuc est: Ideo oportet, vt adiuuetur natura, & vapores remoueantur. ideo debetis corpus fricare leui frictione, & vti linimento prædicto: & hæc quoad causam, & ad materiã proximã, quæ est subiectum proximũ febris, sed quoniam, vt diximus in principio pituita generatur propter defectum cõcoctionis, nemini dub. est vbi redundat pituita, quod vitiũ est in mẽbris cõcoquentibus. Ideo vbi euacuaueritis debetis habere curã membrorũ concoquentiũ sumpta indicatione ab illis humoribus. ideo debetis transacta 14. facta aliqua euacuatione non tantũ humorum in primis venis contentorũ, sed etiã facta præparatione humorũ, qui continentur in toto ambitu, habere curam hepatis, & nutrimenti, maxi

ti,maximè ne generent nouam pituitam,& fiant mineræ:& ideo statim curabitis eã ita, vt aperiantur obstructiones, quas tolletis cum rebus calefaciẽtibus,& exiccantibus, remouentibus frigiditatẽ annexam humiditati,& ea quę habeant vim abstergendi,& aperiendi:& hæc sunt amara,ita tamen,vt cum amaritudine nõ habeant vim distringendi. Itaq; commodissimi erunt trochisci de absinthio,& trochisci de rhabarbaro,qui magistraliter fiunt:linimenta etiam ad hoc commodissima erunt,& laudatur maximè Oleum de mastice,& de absinthio. His factis quantũ ad causam formalẽ attinet,est primo calor,qui non ita imprimit intensè, vt remota causa non remoueatur febris:sed aliquando imprimitur mala forma καχεξία,& incidunt in tumores pedum:vbi ista affuerint,habetis eundem scopum,& curabitis membra generantia malos humores cũ trochiscis iam dictis. Quantũ verò attinet ad alias limitationes ad quomodo,quãtum,& quando,iam sciuistis indicationes, quomodo sit agendum esse sumendas à natura ægri,à moribus,ab ætate,& à consuetudine : quantum agendum à viribus ægri, à temperatura,à tempore anni, à regione,à constitutione,& à quantitate lapsus: quando verò erit operãdum à temporibus mor-

bi tam vniuersalibus, quàm particularibus sumetur. est vnum aduertendum, quod si fuerit pituita dulcis, siue quæcunq; alia non differt curatio, nisi fuerit acida, & vitrea, tũc enim calefacientibus magis, & incidentibus validioribus vtemini, & ita remittetis, & intendetis concoctiones, & præparationes secundum intentionem & remissionẽ crassitudinis & visciditatis, & frigiditatis humorum, & hæc est vera curatio febris quotidianæ, & omnium putridarum, quæ sunt intermittentes siue à bile, siue ab humore melancholico pẽdeant: si verò fuerint misti humores, miscentur & febres: & si mistæ sunt, habent iudicium compositum, de quibus fortè dabimus modum curandi eas, & hæc satis de febribus interpolatis.

De febribus sine accidentibus.

Nunc si de febribus sine accidentibus duo verba faciamus, aliud membrum offertur continuarum: quarũ quędam cum accidentibus sunt, quædam sine. etsi memoria tenetis, quæ in principio diximus febres tertianæ, & interpolatæ habẽt easdẽ causas, & easdem materias, & ea, quæ diximus de febribus interpolatis, dicemus de continuis sine accidentibus: deinde est videatis febrem à bile,

bile; si putrescit bilis in venis fit febris ardens: si extra venas fit febris tertiana interpolata: si erit melancholia putrescens extra venas quartana interpolata: si in venis, fit quartana cõtinua: si pituita extra venas putrescit fit quotidiana, si intra lactica, & tiphodes;& ita quãtum attinet ad causas, vbi inuenietis febrem continuam à bile pendentem, quę causos dicitur, eodem modo curabitis sumptis indicationibus à causis præparabitis humorem, & euacuabitis sicut fecistis in tertiana interpolata; vbi incidetis in continuam ab humore melancholico, & à pituitoso, idem facietis sicut in interpolatis, & quod hoc sit verum, videatis Auic. in prima quarti, vbi curat febrem lacticam inquit, quod curatur eodem modo sicut & quotidiana, quo ad ardentem febrem aliquam habent distinctionem natura medicinæ à forma sumpta: quia vbi adest ardens febris, bilisque putrescit, quæ calida & sicca est, & feruens cum non putrescit: & cum putrescit longè quidem feruentior. Ideo ardet, interpolatis paroxysmus durat horis octo, postea æger permanet sine febre: ista autem febris ardens, quoniam est continua, & totum corpus ardet, & cum ardeat, si perseueraret, faceret sæuissima accidentia. Igitur oportet prouidere, vt refrigeretur

 corpus,

corpus, & extinguatur calor, ratione cuius aliqui incidunt in hecticam, & vt plurimùm non rectè curantur, vel moriuntur, vel incidunt in hecticam. & vbi apparẽt concoctionis signa exhibenda est in potu aqua frigida in maxima copia, & quia accidit in viris robustis, quia bilis non abundat in senibus, & si fortè contingit in illis moriuntur, quia in illis non contingit, nisi à potentissima causa. In iuuenibus verò sæpe contingit, quia huiusmodi corpora sunt calida, & amplarũ venarum: propterea illis competit potus aquæ frigidæ. Cum ergo in vrinis transacta quarta appareat cõcoctio, vel ad summum in septima aqua frigida exhibenda est, etsi opportunè hoc fiet, statim æger egeret biliosa, & ea euomet, sudabit, & refrigerabitur, & statim liberabitur, & remedium istud tutissimũ est. Sed hic quæritur cur est, quod in principio nõ conuenit aqua frigida stante etiã caliditate in vniuerso corpore ignea, sed expectanda est quarta, vel septima, videtur enim non esse morandum, vbi periculũ est in mora, quæ igitur ratio induxit, vbi calor est igneus, quòd statim non extinguatur cum aqua frigida, cum contrariis contraria curẽtur. hic maxima est ars, & hoc loco ratio & experientia comprobauerunt, nõ esse dandam in principio: & secũdum rationem

nem possumus respondere in principio non extingui hac ratione: quoniam cum humores crudi sunt, non est exhibenda aqua frigida dicetis quid est humor crudus, & quare non est exhibenda aqua frigida existẽtibus humoribus crudis in corpore? dico cruditatem humorũ posse bifariam intelligi, vno modo propriè, & ita nullus humor dicitur crudus, nisi ille, qui sanguis humor dicitur, qui totum alere debet corpus: præterea dicitur crudus per excessum, quando excessit formã suam: alio modo dicitur crudus, quoniam præter naturam existens, siue sit crudus per excessum siue per defectum est permistus cum bono. Atq; tunc morbum crudum appellamus quando materia bona est permista cum mala, & natura nondum separauit malũ à bono, & cum talis mistio adest adhuc nõ sumus securi tunc, an futurum sit, vt bonum vincat malum, an malũ bonum: si videmus malum vincere bonum, periculum dicimus esse: si videmus in alio separationem fieri à natura in vrinis, & in aliis excrementis facimus optimum iudicium: his stantibus in casu, vbi humor est crudus, & suam habet causam, & crudũ humorem intelligo, quando est mistus cum bono, tunc oportet, si debet separari bonum à malo, vt à naturali calore separetur: quoniã omniũ

operatrix est natura, cum inquam hoc debeat facere natura, & eius instrumentum permixtum sit calor naturalis, oportet prouidere ne calor lædatur, & ne humor iste nō magis incrudescat, & incrassescat, & infrigidetur, quoniā oporteret, vt calor reduceret humorem ad mediocritatem. tu autē cum tua aqua frigida, & importuna frigitate refrigerabis calorem naturalem, & adeo destrues ipsum, vt non posit separare malum à bono humore, sed vbi calor naturalis aggreditur materiam, & separat, & est in via expulsionis, tunc quia calor naturalis excalefactus est in pugna, & præter naturam factus, si refrigeratur calor cum potu aquæ frigidæ, virtus expulsiua corroboratur ab humido, & calor reducitur ad mediocritatem. Ideo in tempore expulsionis bonum est humectare membrum. Itaque apparentibus signis concoctionis exhibeatis aquam frigidam: quia pars materiæ per sudorem expelletur: altera per secessum, & per vomitum: & hæc ratio est, quare debeatis exhibere aquam frigidam apparentibus concoctionis signis: Gale. nullum dat præceptum in continuis sine accidentibus, nisi videret an sint futuræ longæ, nec aliter curat eas: quia supponit nos habere modum curationis in intermittentibus. hic vnum quęretis, cur

cur est quod cum omnes humores sint misti intra venas, quod aliquis humor eorum in febre continua putrescit, cęteri verò non? dicere id contingere: quoniam humores, qui putrescunt in venis, derelinquuntur à natura, & cum iam destituti sint, putrescũt, destituuntur autem vel quia nimis acuti sunt, vel quia mala qualitate sunt affecti, sanguis verò non putrescit nec reliqui humores, quoniam à natura reguntur, & sanguis nunquam destituitur, quoniam in ipso est vita, & est thesaurus vitæ, nec putrescit, nisi maximis occasionibus, vt in pestilentibus febr. hactenus satis de febribus continuis sine accidentibus. quæ autem ratio victus sit adhibenda in huiusmodi febribus Gale. recenset, & est ea quæ conuenit interpolatis: addit sanguinis missionem his cõuenire, cum huiusmodi febres rationem magni morbi habeant, & vires validæ sint: quod deprehenditur tum ex robore maiori, tum ex tumore maiori venarum, an conueniat. Et ratio quare missio sanguinis conueniat in his febribus est quòd humores putrescãt in venis, & sanguini permisti sint, commodè per venæ sectionem euacuantur, nisi aliquid sit, quod prohibeat, vt ætas, aut vires, aut aliquid aliud.

De febri

De febribus complicatis.

Aggreditur iam febres complicatas cum accidentibus:sed vt sciatis indicare omnia, quæ ad febres attinent, quæ sunt quemadmodum scitis necessaria,ac cognoscenda veluti prologomena. debetis primo scire curationem febrium cum accidentibus, quæ sunt tanti momenti, vt pars hæc sit dimidiũ totius artis:deinde scire debetis, ne laboretis in æquiuoco, quid authores intelligant, cum dicunt febres complicari cum acciden tibus: nomen hoc accidens apud medicos duobus modis summitur: vno modo prout distinguitur contra duas alias res præter na turam:tria enim sunt præter naturam causæ morborum,morbi,& accidentia,quæ cõsequuntur morbum,vt vmbra corpus,& sic nullus est morbus sine accidẽtibus: alio modo sumitur accidens, non prout distinguitur cõtra duas alias res præter naturam, sed pro quacunque re præter naturam existente in aliquo febricitante, vel patiente morbum siue illud sit causa,siue morbus,siue verum accidens proprie dictum, dummodo consequatur morbum:exemplum de causis quando complicantur cum febre aliqua, cum fuerit aëris caliditas intensa, vel maxima frigiditas, hoc est vnum symptoma cõsiderand

ſiderandum, quod habet rationem cauſæ: exemplum de morbo, vt cum vnus morbus complicatur cum alio, vt quando ſolutio continui, & febris aliqua coniunguntur: exemplum de ſymptomate, vt quando cum febre coniungitur dolor, & ita cum ſymptomate. Itaque neceſſe eſt, vt ſymptoma duobus modis ſumatur: vno modo proprie, prout diſtinguitur contra alias duas res præter naturam, & hoc modo nō ſumitur hic, alio modo pro quacunque diſpoſitione præter naturam, ſiue ſit cauſa præter naturam, quæ anteceſſerit, ſiue morbus, ſiue ſymptoma proprie dictum, & ſub hoc ſignificato ſymptoma complicatum cum febribus intelligimus in caſu noſtro. Vbicunq; igitur aliquod iſtorum cum febribus comprehenditur, dicitur febris cum accidētibus. Eſt modo ſciendum quidem febres, quæ ſunt ſine accidentibus, non poſſunt dici ſine accidentibus proprie: quia nulla febris eſt, quæ careat accidentibus, ſicuti etiam neq; aliquis morbus, & ita non intelligimus febres ſine accidentibus, quaſi quod detur aliqua, quæ non habeat accidentia: ſed ſi intelligimus accidentia, quæ adeo magna ſunt, vt ſimus coacti vertere curationem ad ipſa: & quoniam in febribus quæ ſine accidētibus nuncupantur, non ad ſunt magna ſymptomata, ob id

ob id curatio in illis recto itinere perficitur, sumendo indicationes à causis efficientibus, materialibus, & formalibus, & si qua sunt symptomata, remotis causis & ipsa remouentur: & ista curatio à recentioribus regularis appellatur, quoniam in ea nullum adest impedimentum. nunc tamen oportet scire quomodo debemus procedere, vbi hostes inuadent in itinere, vt sciatis insidias accessorias auertere, & simul ad propositum finem tendere, vt iam incipiamus esse perfecti medici, & artifices. pro quo scire debetis, cum tria sunt præter naturam causa, morbus, & symptoma: quod symptoma vt simplex est, non est tantæ autoritatis, vt ad se curationem trahat, nec vnquam indicationem aliquam facit curandi, & à medicis sub ratione symptomatis contemnitur: cum verò sit tantæ efficacię, vt non amplius symptoma sit, sed transeat in naturam causæ, & morbi, tunc facit indicationes curandi, verbi gratia dolor capitis consequens febrem, si tantummodo accidens est, non adeo immensus est, vt aliquod incommodum causet, donec curemus causam, & febrem: sicut contingit in febribus, scilicet in principio paroxysmi: tunc contemnendus est, quia tolerari potest. nec debent in tali casu medici esse adulatores, sicut

cut quando vehemẽs est: tunc enim non est aspernendus, quoniam essent sicuti carnifices: cum verò adeo vehemens est, vt nõ possit æger dormire, & resoluat vires, & augeat febrem, tunc habet vim causæ, & ad ipsum symptoma vertitur curatio: & hoc dixit ænigmaticè Auic. prima tertij cap. de dolore capitis, cũ magnus & vehemẽs est morbus, vt voluit dicere causæ habet rationẽ, quoniam re vera non est morbus, sed symptoma, quod habet rationẽ causæ causans prostrationem virtutis, & vigilias: quoniã igitur habet rationẽ causæ, & indicationes curandi 8 meth. à causis sumuntur, & à natura morbi iure symptoma facit indicationes cum subit vim causæ: & hoc voluit Gale. in secũdo therap. cum dixit non curatur symptoma, nisi habeat rationẽ causæ, vel morbi: & ita habetis febres cũ symptomatibus habere curationes perplexas, quoniam non possumus habere tantummodo rationẽ febris, sed symptomatum etiam, & præterea quorum habenda sit ratio, quod erat tertiũ considerandũ antequã ad particularia accedamus. quartũ quod considerare debemus est, cũ symptoma faciat indicationes curandi ob vehementiã suam, ita potest esse vehemẽs, vt non det inducias, & ob eius malitiã nõ curet causa, sed symptoma, verbi gratia dolor

dolor vehementius aliquando ægrum affligit, non tamen ita, vt virtutem prosternat, remouendum est hoc symptoma: quoniam aliter febris curari non poterit: propterea quòd maiorem facit febrem symptoma, quod facit impedimentum. non tamen ita, vt neglecta causa curetur symptoma, si modo symptoma sit adeo vehemens, vt non det inducias, & in vna nocte prosternat virtuté, tũc neglecta causa symptoma remoueri debet, & ad hoc peragendũ datæ sunt viæ, cum enim ad symptoma curatio dirigitur dupli ci ratione curatur: & vna est cum stupefacientibus, vel cum relaxantibus partes, in quibus est dolor propter quam relaxationem materia comprimens, & distendens in maiori spatio continetur, & ita sedatur dolor, occurrendo symptomati: aliomodo curatur symptoma remouendo causam, verbi gratia dolor capitis adeo affligit hominem, vt vapores ascendant ad caput, ratione quorum vehementissimus fit dolor, tunc non sunt applicanda calida, & humida: quoniam faciunt euaporationem, & distẽtionem: minus stupefacientia: quoniam mortificatur membrum, sed vera curatio est remouere causam: causa verò sunt vapores: ideo diuertendi sunt, quia remota causa remouebitur dolor. Cũ igitur istę sint vię, oportet videre, quando

quãdo debemus occurrere symptomati cũ ea ratione curandi, quæ fit cum stupefacientibus, secundo cum his, quæ remouent causam. dico quod semper debetis remouere causam, nisi quando symptoma non dat inducias, sicut cum symptoma sincopen facit, vel symptoma sit ipsa sincope, tunc oportet vel stupefacere, vel obtundere symptoma, & istæ sunt regulæ vniuersaliter præcognoscendæ. quando ergo indicatio curandi sumetur à symptomate, quod adeo vehemens sit, vt non det inducias, tunc neglecta causa ad symptoma est accedendum: si smptoma dat inducias, tunc neglecto symptomate ad causam accedendum est: ex quo habetis, quod nunquam debetis ad narcotica accedere in doloribus, nisi maxima fuerit necessitas: propterea Gale. in secũdo calotop. merito inuehitur cõtra nonnullos, qui tam faciles erant, vt remouerent dolorem capitis exhibitione philonij: hæc non sunt faciẽda, nisi in maxima necessitate. Ex his tanquã corolariè sequitur, quod in tota arte medica, & in toto curationis ambitu tria sunt curandi capita: primũ est cum recto itinere curatio perficitur indicationes sumẽdo à morbo, à causis suis verè faciẽtibus morbum, & hæc regularis est, quoniam curatur ægritudo sine accidentibus: aliud curandi genus

est symptoma, & hæc est perplexa, quæ à modernis curatio coniuncta dicitur: istud secundum membrũ adhuc duplex habet caput, aliquando curatis symptoma vehemẽs causa neglecta, & tunc occurritis symptomati cum suis contrariis, vt dicemus, quando particularia symptomata trademus: alterũ caput est, cũ curamus symptoma per remotionem causæ, vt cum curamus dolorem non cum stupefacientibus, sed cum remouentibus causam. His itaq; visis ad hæc accedemus, ne sitis medici sine methodo, oportet omnia ista accidentia, quę penè infinita sunt ad sua capita redigere, vt quod non possint plures, neq; pauciores, vt quando occurrerent vobis accidentia sciatis sub quo capite sint redigenda. Gale. conatus est hoc facere in secundo therap. & reduxit hæc tria capita: dicebat enim vel symptoma accidens in febribus est de genere actionũ læsarum, vel de genere excremẽtorum præter naturã, vel de genere dispositionũ, quæ accidunt corpori, quæ sunt tria capita, & tres fontes à quibus hauriuntur signa, ad cognoscendos internos affectus, de quibus aliàs diximus, & in eo libro permanet in ea diuisione, nec pertransit symptomata, quæ vere symptomata sunt, quando habent rationem causæ. Sed hoc in loco aliter considerat

derat multiplicitatem ſymptomatum, nec cõſiderat ſymptomata tantum, prout vere ſymptomata ſunt, cum habent ratioñe cau ſæ, ſed etiã complicationẽ cauſarũ, & morborum, & tandem omnia acceſſoria, quãdo vehementia ſunt, & conſideratione digna. Ideo illa diuiſio mãca fuit, propterea quòd videmus multa, quæ faciunt febres complicatas cum accidentibus, & tamen non ſunt neq; actiones læſæ, neq; excrementa, neque diſpoſitiones corporis, ſicuti aëris diſpoſitio extranea, non eſt diſpoſitio corporis, nõ eſt excrementũ mutatũ, nec actio læſa. ergo diuiſio illa Gal. inſufficiens eſt, propterea dimiſſa huiuſmodi diuiſione Galeni, quę non comprehẽdit niſi ſymptomata, quæ poſtea immutantur, & vehementia fiunt, dicimus nos ſymptomatum quodcũq; cum morbo cõplicari: quædã dupliciter ab extrinſeco, quædã ab intrinſeco, quę àb extrinſeco ſunt illa, quę fuerũt à ſex rebus non naturalibus alterantibus, quia hæc impediunt certã curationem: & primo eſt aëris maxima caliditas, quæ impedit actiones. nam ſi habebitis ægrum laborantẽ febre acuta in dieb. canicularib. indiget tenui victus ratione, euacuatione, & ſanguinis miſsione: caliditas autẽ impedit vos, vt nõ poſsitis tenui vti dieta, quia virtus proſterneretur. non poteritis

euacuare,quia ante canem & sub cane dicebat Hippocrates quarta particula Aphorismorum quinto difficiles sunt purgationes:neq; etiam erit mittendus sanguis,quia potus resoluitur à caliditate maxima aëris. præterea etiam in frigoribus maximis impedimenta habebitis:secundo est ieiunium maximũ supponatis aliquẽ ieiunasse per triduũ antequã ægrotaret, & indicatio sumpta à morbo indicet, vt euacuetis, aut mittatis sanguinẽ,non potestis propter ieiuniũ, aut coitum multum, aut laborem immodicum:quoniã inanitus admodũ fuit.& hęc fuit ratio Gale. quinto meth. quando curauit mulierẽ, quæ expuebat sanguinem non phlebotomauit ipsam,neq; purgauit: quoniam ieiunauerat triduo. alterum verò iuuenem phlebotomauit, & rationẽ assignat Gal.cur id fecerit,inquit, mulierẽ non euacuasse,quoniam ieiunauerat:iuuenem phlebotomasse,quoniam nullum passus erat ieiunium:& ita indicatione sumpta ab illo ieiunio impeditus fuit à sanguinis missione: nimia etiam repletio,nimius somnus, & superflua vigilia,accidẽtia animi molesta tantum possunt,vt si velletis mittere sanguinẽ alicui ægrotanti non possitis : etsi iamiam essetis cum phlebotomo aliquẽ, & interim aduenirẹt nuntius, qui ægrotanti mortem filiæ,

filiæ,aut patris annunciaret, aut aliquid detestandum, quis esset ita audax, vt non statim dimitteret artificiũ,& ab opere desisteret indicatione sumpta ab animi molestia affligẽte ipsum.si quis præterea vigilauerit per tres dies, aut quatuor, & fuerit vigilia hæc cum febre cõplicata, nónne impediet nos à recta curatione:& ista sunt sub causis non sub symptomatibus. Symptomata intrinsecus aduenıẽtia tria tantum possunt præter naturam aduenire: vel enim actiones læduntur in corpore, vel excremẽta mutantur,vel accidentia sunt corporis. Quod autẽ ad actiones læsas spectat, quædã sunt animales in cerebro, vt sensus & motus: quædam vitales in corde, vt pulsatio & innati caloris emanatio per totũ corpus, tertia virtus est naturalis,quæ habet vim attrahendi alimentum, retinendi, concoquendi, & expellendi excrementum: istæ actiones possunt facere, vt diuertamus à recta curatione siue corrumpantur,siue diminuantur, siue auferantur:incipiamus ab animalibus. quis est ille medicus, tam imprudens, vt si cum febre videat hoc accidens, vt sensus, vel motus sit deperditus, statim nõ accedat febre neglecta ad eam priuationem: vel si quis non bene imaginatur,vel nõ imaginatur:aut non si discurrat,aut malè discurrat,

aut non recordetur, quis non diuertet intentiones suas ad illud symptoma, quod est actio læsa animalis. quòd si viderit pulsus paruos, & nō percipi, aut vix percipi reliquis neglectis non alet virtutem vitalem? etsi quis viderit resolutionem spirituum cordis, neglectis omnibus quis non accedet ad corroborationem spirituum, & totam curationem non diriget ad symptoma illud. Quantum ad actiones naturales læsas si nihil appetat, & prorsus abhorreat ab omni genere cibi, vel statim cibum vomat, nec contineat cibum, occurrendum est illi symptomati. Præterea si quis vehementer sitiat, vt ex eo inflammetur totum corpus, & lingua arescat, vt non possit deglutire statim medicus neglecta febre curabit hoc symptoma: idem etiam est faciendū in maximis sincopis: in quibus virtus animalis, & vitalis tolluntur, & fit accidens nimis verendum. Ad hæc omnia symptomata particulariter considerabimus cum suis curationibus, hoc est primū genus accidentium, quod intrinsecus contingit. secūdum genus est excrementorum mutatio: si occurritis febrienti in quo sit fluxio alui, vel vomitus continuus, vel suppresio egestionis, vel vrinæ, vel nihil expuat, & vbi deberet sudare, non sudat, vel nimis sudat, & fiant sudor

ſudores diaphoretici neglecta febre, debetis ſtatim ad curationem horum ſymptomatum accedere. tertium genus ſunt diſpoſitiones, & accidentia, quæ accidunt homini: iſta accidentia vel naturalia, vel præter naturam ſunt, vel corporis, vel animi: accidentia naturalia propriè animi, quæ cogunt immutare curationẽ, ſunt mores infirmi, & conſuetudo, ſunt enim aliqui tam peruerſorum morum, vt potius morerentur, quam ſumerẽt medicinam: & ſi volunt ſumere, nolunt niſi medicamentum, quod ipſi appetant: præterea aliqui nunquã ſumpſerunt medicinam: ad hæc ſunt accidẽtia, quæ faciunt curationes implicatas, nec poſſumus rectè procedere, & iſtæ ſunt indicationes, quæ ſumuntur à diſpoſitionibus animi quæ ſunt naturales. diſpoſitiones verò præter naturã ſunt, cũ aliqui propter ægritudinem imaginantur, quod medicina interficiat ipſos & melancholici efficiuntur, atque adeò obſtinati, vt nolint medicinam: iſtæ diſpoſitiones animi impediunt rectam curationẽ, cum verò diſpoſitiones ſunt naturales in corpore, vt cum corpus nimis obeſum, & pingue eſt, nihil ſanguinis habeat, oportet eam diſpoſitionem cõſiderare: à quocunque enim læditur. Et ſimiliter ſi nimis gracile ſit, impediet vos: ſi fuerit raræ

texturæ maximo erit impedimento,& hæc dispositio ita potens est, vt in pueris, quia difflantur, si ægritudo indigeat sanguinis missione,non mittemus,dispositiones verò præter naturã corporis variæ sunt, nempe, vel obstructio nimia pororum, vel nimia apertio, vel morbus cõplicatur cũ morbo, & omnis dispositio præter naturã eandem habet rationem accidentium, & sub hoc membro collocatur,& istud est tertium genus omnium symptomatũ:& cuicũq; symptomati occurretis, erit alterutrũ istorum. quartũ quod necessariũ est, & scitu dignũ, est vt sciamus, quænam sit causa,vt omnia ista accidentia cõsideremus,& ita existimemus,vt à principali Morbo sit discedẽdum. quæ igitur est vniuersalis causa,& propria, vt diuertamus à directo calle? est virtutis conseruatio, & ideo omnia accidentia non trahunt ad se curam, nisi quia timemus casum virtutis,ita vt virtus est illa,quæ regulat omnes actiones nostras contra ista accidentia moderanda,ista sunt vniuersalia con sideranda:nihil modo deest, nisi vt particularem aggrediamur curationem.

QVAE VERO CVM SYMPTOMAMATIBVS SVNT FEBRES, &c. Audiuistis superius quomodo febres curantur simpliciter,& per se, quãdo sumpta indicatione

tione à sua essentia rectè procedimus, nihilque accedit quod à curatione per se diuertat. nos igitur inquit Gale. hactenus docuimus simplices curationes febriũ, quibus nihil accessorium accidit: reliquum est, vt eas doceamus curationes, quibus accidit quid accessoriũ, ratione cuius diuertimus à recta curatione: & primo intendit docere vnũ, in quo fundantur omnia, scilicet quòd non in omni symptomate debetis occupari, sed quod erit illud? dat documentũ Gal. & inquit, vbicunque accedet symptoma ad morbũ, debetis perpendere morbum cum symptomate: si videtis symptoma tanti esse momenti, vt faciat corpori prostrationem aliquã, tunc ista perpensione facta considerare debetis vtrum eorũ deterius sit: et si deterius erit symptoma ipsi occurretis non neglecto morbo: si morbus deterior erit, occurretis morbo nõ neglecto symptomate. fundatur autem documentum Gal. in hoc, quia vultis vos adipisci sanitatem, tunc quæcunque causæ tantũ impedient vos, & deuiabũt ab huiusmodi opere perficiendo, illis maximè occurretis: sed siue symptoma, siue morbus sit, qui possit vos detrahere ab eo opere, illi occurrere debetis. AGE IGITVR FEBRICITET QVISPIAM, &c. Posito hoc documento ponit Galen. casum,

ſum,& inquit,febriat quis,in quo ſit plenitudo in toto corpore, ita vt huiuſmodi plenitudo ſit recens genita à quibuſdam crudi tatibus vitio non rectè concoctionis,vt etiã ventriculus affectus ſit,& ob talem imbecil litatem euomat, hoc eſt ſymptoma quod à Latinis ęſtuatio dicitur,in qua neſcit homo quid faciat,grauatiuũ percipit ſenſum, habet præterea febrem cum æſtuatione; & ple nitudine complicatã: in caſu iſto nõ poſſemus iſtam rectam curationẽ febris aggredi, quæ à plenitudine dependet humorũ deprauatorũ in toto corpore, niſi prius æſtuatio illa ſtomachi ſedaretur: deprauati enim humores indicãt, vt euacuentur. Igitur debemus audacter euacuare : ſed quoniã cum febre adeſt hoc ſymptoma æſtuatio ſtomachi non poſſumus euacuationẽ aggredi niſi prius curemus ſtomachi æſtuationẽ, quoniã deduceretur æger ad maxima pericula. hic primo declarandũ eſt,quę ſit iſta æſtuatio ſtomachi, deinde videndum quare non liceat in ea euacuare, tum ſuo loco docebimus quomodo ſit euacuãda. ęſtuatio ſtoma chi proculdubio ſymptoma eſt,ſed ad quod genus reducitur ad intrinſecũ, an extrinſecum? ad intrinſecũ : ſed quum tria ſint ſym ptomatũ genera intrinſeca, vel actio læſa, vel excrementũ mutatũ, vel affectus adueniens

niens corpori, quodnam erit ex his? sub genere actionum læsarũ collocabitur. sed quæ est ista actio læsa? quælibet, quia dicebamus heri quandoq; vnam, quãdoq; duas, & quãdoq; omnes simul lædi, sed cũ læduntur omnes sincopa est, ergo erit hæc æstuatio sincopa, verum est, sed erit leuis. Nam æstuatio se habet ad sincopam, quemadmodũ ad epilepsiam vertigo, & apoplexiã, quæ fiunt prout leuis, aut vehemens est causa: cũ leuis est causa, fit vertigo, cum validior, epilepsia, cum adhuc validior apoplexia: ita in casu nostro cum leuis est causa, fit æstuatio quãdo vehemẽs fit animi deliquiũ: quando adhuc vehementior fit sincopa, quæ de medio tollit. est igitur æstuatio præparatio ad sincopam, ita vt sit leue deliquiũ animi factũ ex læsione trium virtutum. Primo lædũtur animales, quia nõ potest nisi cum difficultate moueri, nõ potest recte imaginari, nec reminisci: læduntur vitales, quia habet pulsum oblæsum, & valde alteratum: læduntur naturales, quia habet virtutẽ stomachi pessimè se habentẽ, euomit non concoquit, nõ cõtinet cibum ponitur hoc exẽplum, quod Gale. supponit, vt ostendat quomodo agendum in symptomate actionũ læsarum. Iam igitur scitis, quid æstuatio, & sub quo genere, tunc videamus quomodo nõ liceat euacuar

cuare: scitis quod omnium natura operatrix est, medicus verò minister. in æstuatione stomachus laborat, calor naturalis retrahitur ad cor, laborant spiritus, & nihil aliud est æstuatio, nisi feruor caloris innati, & spirituum, sicut cũ mare fluctuat propter ventum, & cũ omnes actiones in corpore sint, & fiant à calore, & spiritibus stante fluctuatione caloris & spirituum, si exhiberetis ea, quæ euacuant, redderetis calorem & spiritus magis fluctuãtes, & non réducerẽt medicinam ad actum: quia spiritus distraherentur, & ægrũ deduceretis vel ad mortem, vel ad maximum periculum: & ista est vna causa sumpta ex caloris parte & spirituum: alia est ratione membri, quoniam medicina trahit à tota circunferentia ad centrum, & ad ventriculũ, & cum ventriculus æstuet ob humores impactos in ore ventriculi, si attrahetis alios humores, magis æstuabit. Igitur neq; ratione caloris & spirituũ, neq; ratione membri repleti malis humoribus mordicantibus euacuare potestis: quid modo sit faciendũ docebamus, & aduertatis in litera Galeni, quia hic est maximum mendacium Achachiæ, qui deceptus est à malo textu Aldino impresso, vbi est particula negatiua, ideo traduxit citra plenitudinem: Leonicenus aduertens hoc dixit stante ple-

nitudine: antiqua traductio dicit & ipsa, stante Plethora: ita igitur dicere debebat, quod ante quidem dispositionem plethoricam, quæ fit ex cruditatibus: Atq; iste est verus sensus Galeni,& clara verborum series, & locus debet legi affirmatiue, SED CVM RECENTI CRVDITATE OS VENTRIS &c. cruditas duplex est, quædam per defectum, quædam per excessum: hoc loco Galen. non per defectũ, sed per excessum intelligit, cum dicit OS VENTRIS &c. quia ventriculi mordicatio est ab humore acuto. QVAERAT SOLAM NE MVLTITVDINEM &c. percunctatur à nobis Gal. nunquid statim huiusmodi æstuatione existẽte cum febre liceat febri occurrere,& multitudinem euacuare? quod faceremus citra molestiam non existente symptomate illo, an potius ori vẽtriculi sit succurrendum æstuanti? respõdet Galen.& non affert rationem, & inquit, nequaquam curabitis multitudinem, sed ori ventriculi prius attendere debetis,& primo corroborare os ventriculi,& cũ duo sint quæ impediant, feruor seu æstuatio caloris & spirituum,& multitudo humorum: si corroborabitur os ventriculi, quiescet calor,& ventriculus non laborabit amplius: & tũc optimè euacuabitis, & qui aliter faciunt, inquit

quit Galenus, vel ad mortem, vel ad summũ discrimen deducunt ægros. iste est primus casus, secundus casus est, SED NEQVE, SI CVM ALVI PROFLVVIO FEBRIS ACCESSERIT &c. ponit aliud symptoma, & inquit, si occurrat febris cum fluore alui, oporterétne aliam euacuationem facere vel per missionẽ sanguinis, vel per pharmaciam, etiam quod huiusmodi fluor alui non sit tantæ quantitatis, quæ necessaria sit ad euacuandam materiã facientem febrem, & si est sufficiens, febris perseuerat. stante hoc casu quærit Galenus an liceat euacuare, & dicit nequaquam: imò si tu faceres aliquam euacuationem deduceres hominem in maximum periculum: contra hoc primo est videndum, quod genus symptomatis est fluor alui, & cum profluuium alui multiplex sit, de quo est intelligendum? de diarrhea intelligimus, qui fluor est in communi, vel est diarrhea impetus variorum humorum, qui deferuntur à toto corpore per intestina ad secessum: de dysenteria, neq; de lyenteria, neq; de stomachicis, vel hepaticis fluxionibus intelligimus, sed tantum de diarrhea, hoc quantum ad nomen. quoad symptoma quæritur sub quo genere collocatur sub intrinseco an sub extrinseco? sub intrinseco proculdubio, & sub

ſub excrementis mutatis: peccatum eſt in excrementis quia plus excernitur, quàm oportet,& quod non oportet. quãtum modo ad rem ipſam moderni medici adeo implicantur, vt velint in hac re certare, dum explicare neſciatur, an in febre liceat cum fluore alui complicata, euacuare materiam facientem febrẽ, qui nolunt citant hunc locum Galeni: qui volunt Auicennã, qui dicit fluxus fluxu curatur, vomitus vomitu:& Galen. adducunt, qui dicit, vbi adeſt fluxus diuertendus eſt vel cum miſsione ſanguinis, vel per alias euacuationes. vos autẽ audiatis methodum, vt altercationes dirimere valeatis,& oſtendatis illos neſcire artem, quia omnis altercatio ſupponit ignorantiã: & licet ipſa dubitatio ſit præparatio ad ſciẽtiam, in ſe tamẽ ignorantia eſt,& æquiuocationes vocum & rerum ſunt illæ, quæ faciunt ignorantiã, qui verò habent methodum, habent & rationem diſtinguẽdi, neq; patiuntur huiuſmodi difficultates. pro reſponſione igitur ſcire debetis, quod profluuium alui implicari poteſt cũ febre tribus modis, videlicet vt prius incipiat ipſa febris, deinde ſequatur profluuium, vel primo profluuium, deinde febris: vel ſimul cũ febre profluuium. in his autem tribus caſibus, quia varia eſt natura, varia etiam erit cura

curatio: quoniam à natura rei indicationes sumuntur curandi: si igitur profluuium alui consequens, vel antecedens, vel simul concomitans febrem, naturam habet diuersam: ergo diuersæ curationes, quas si inueneritis, omnes difficultates remotæ erunt, & scietis quando in fluoribus alui euacuandum, & quando non incipiamus igitur ab eo profluuio cum febris incipit, & simul cũ febre profluuium alui, quia de hoc forsan voluit intelligere Galenus: cumq; hac simul incidunt, natura rei consideranda est, vt ex ea quid indicari posit eliciatis, hic sunt duo, primo multitudo plurimorum humorum in ambitu totius, qui putrescentes febres faciunt, & in tanta copia sunt, vt sufficiant pro depascente febre, & pro fluore: scitis etiam in qualibet fluxione quatuor necessario conuenire, membrum incipiens debile, membrum mãdans, validum, viæ præparatæ, & materia. est ergo hic necessario membrum recipiens debile, & sunt intestina, præterea adest multitudo maxima humorum, & oportet curare febrem: curatur autem febris per euacuationem, & per remotionem putredinis, quoniam vbi putredo est in corpore non tollitur, nisi euacuatione, sicq; oportet remouere putrediné ad hoc autem peragendum indigemus multo

tempor

tempore & multa potestate,habemus postea fluorem alui,& intestinorum imbecillitatem,& post hæc etiam plurima alia facere oportet:primo corrigere dispositionem in toto venarum ambitu,& obstructiones in toto ambitu existentes remouere, ratione quarum prohibetur euentatio coloris,& fit putredo:secundo humorē euacuare,& corroborare,& quoniam,vt diximus,accidētia trahunt ad se curationē propter virturem, vt conseruetur,quæ est fundamentum fundamentorum,quare non potestis euacuare per phlebotomiam,neq; per aliam euacuationem?quia euacuationes reddunt virtutē se ipsa imbecilliorem,& hoc est fundamentum manifestum.facta igitur euacuatione per phlebotomiā redditur virtus debilior, quæ sufficere debet pro aperiendis obstructionibus,& pro tollenda putredine,& pro corroboratione intestinorum,& ita deficiet virtus in itinere:si verò euacuatis per secessum,quia intestina debilia sunt ratione cuius debilitatis recipiūt,debilitabuntur magis,quia trahetis materiam ad ipsa,& longe magis virtus debilitabitur.ideo oportet cauere,ne augeatur symptoma,quia oportebit curare febrem,& symptoma auctum, ideo neutra euacuationum tuta est.diceret aliquis imperitus,tu vis timere imbecillitatem

tatem per missionem sanguinis,& per euacuationem?audiatis authoritatē Galen. vndecimo therap. qui tantū veretur huiusmodi debilitatem per euacuationem, vt etiam quod non sit fluor alui cum febre, nec symptoma, sed tantū putredo & indigeat phlebotomia, inquit phlebotoma, sed parcè, nec sicut requirit multitudo:& rationem reddit, quia conseruanda virtus est in tollenda putredine: quoniam nō solum curas febrē, sed etiam tollis putredinem. cum ergo hic sit putredo sicut ibi: hic autem præter putredinem sit fluor alui: si ergo ibi parcissime euacuandum est, hic nihil prorsus. cum ergo fluor alui simul cum febre incipit non est euacuandum, quia materia multa adest in corpore,& putredo,& imbecillitas intestinorum: quæ duo sunt morbi independentes, nec vnum ab alio dependet. oportebit ergo vt multa sit virtus, licet non sit sufficiens pro ratione multitudinis, quod non poterit vna die, faciet tribus, vel quatuor diebus,& quod non poterit sufficere intensiue, siue extensiue, faciet iteratis vicibus.

Si modo febris incipiat & profluuiū alui subsequatur: tunc cogitare debetis, quod profluuium causam nō habet separatam,& quod natura criticè, vel symptomaticè mouetur ad expellendum: criticè quidē mouetur,

tur, quoniam vult expellere materiam, quæ facit morbum: symptomaticè, quia aggrauata pre multitudine humoris, quærit alleuiationem humoris. debetis ergo primo cõsiderare num fluor consequẽs febrem fit criticè, vel symptomaticè: si fuerit criticus ex vrina cognoscetis. si enim materia concocta, & præparata fuerit, in vrina erunt signa concoctionis. & tunc cũ natura tentet profluuium si perfecte non mouet, medicus debet adiuuare eam iuxta præceptum Hipp. secundo Apho. si secundo perfecte mouet, nihil moueatis hora motus eius: si non perfecte moueat, euacuabitis cum medicamento, & verificabitur dictum Auicennæ fluxus fluxu curabitur, nec erit contra Galen. huiusmodi euacuatio: sin verò symptomaticè expellit nulla apparente concoctione quid debetis facere? debetísne euacuare? fundamentũ Hipp. est cõcocta medicari &c. materia verò nõ est cõcocta, igitur non est euacuanda. quid ergo debetis facere? non debetis impedire materiam, neq; eã irritare, sed totam intentionẽ vestrã dirigere ad concoctionem, & eam adiuuare, & præparare materiam: si postea apparentibus signis concoctionis natura si segniter expellat, euacuabitis: si perfecte, naturæ totum opus sinetis. Si modo incipit profluuium sine fe-

bre, postea succedat febris, nulli dubium est febrem dependere à profluuio: in casu isto vultis febrem curare, oportet profluuium remouere, quia materia dum mouetur ad excretionem putrescit, spiritus inflammantur, & fit febris. ideo debetis tunc curare fluxum, sed quid facietis? debetis facere id quod ænigmaticè dicit Auicēna, quandoq; curatur fluxus fluxu: omnia hæc vera sunt, licet ænigmata sint: stante enim materia multa cum febris sequatur fluxum, conueniens erit adiuuare fluxum, quia quo natura repit si per conuenientem regionē, eo ducere oportet. quid igitur faciendum ne augeatis febrem, si permittatis fluorem, febris permanebit, & magna incommoda faciet, debetis euacuare, quia materia faciens febrem est multa. sed debetisne per secessum euacuare? minime, sed per oppositas regiones. & conuenientiores, & tunc fluxus fluxu non curabitur, sed vomitu: quod ibidem ænigmaticè dixit Auicenna, & sic vera curatio erit euacuatio vel per vomitum, vel per vrinam, vel per sudorem, vel per sangui nis missionem, & ita scitis quando in fluoribus alui sit euacuandum, & quando nō, & quomodo dicta Galen. & Auicen. nō differant si recte intelligantur. NEQVE VERO SI QVIS CONVVLSVS SIT &c.

symp

ſymptoma vnum proponit Galen.quod ad actiones animales læſas motiuas deducitur,& eſt malus motus,qui conuulſio à Latinis,à Grecis ſpaſmus,& iſte ſpaſmus trahit ad ſe curã:eſt verò ſpaſmus motus præter naturam, vel melius præter muſculorũ voluntatẽ in chordis,dum trahuntur ad ſua principia factus propter breuitatem à recto præter naturam:ſcitis enim in omni membro multipliciter eſſe oppoſitos muſculos, qui oppoſitum motum faciunt, vt inquit Galen.in libro de muſculorum motu:dum enim trahitur chorda ad ſuum principium, retrahitur membrũ:retrahitur autẽ ad oppoſitum,cũ chorda oppoſiti muſculi retrahitur.ſpaſmus autem alius ſimplex,alius cõpoſitus:ſi fuerit ſimplex vnum tantũ muſculorum genus cõuulſum eſt ſcilicet caput,vt quando tantũ retrahitur ad vnam partem: quantũ ad aliã oppoſitam fit ille ſpaſmus, qui tetanus appellatur: ſimplicis verò cauſæ ſunt, vel nimia ſiccitas muſculorum propter quam abbreuiantur chordæ muſculorum,ſicuti chordæ cytharæ, quando exiccantur abbreuiantur, quia humiditas continuans fit minor. ideo franguntur chordæ,dum ponuntur ſub ſole,& iſte ſpaſmus à ſiccitate incurabilis eſt,vel proueniat ab humiditate nimia longitudinem abbre-

uiante latitudinem dilatando ficut chordæ cytharæ, quæ præ nimia humiditate rumpuntur: nam nimia humiditas dilatat latitudinem & abbreuiat longitudinem, ita in mufculis contingit cum imbibuntur plurima humiditate dilatantur fecundum latitudinem: & abbreuiantur fecundum longitudinem, & tunc membrum retrahitur pręter voluntatem verfus fuum principium: idem etiam contingit in fpafmo, qui fit quoties aliquid induruit in mufculo, nec facit motus, fed retinet membrum, & virtus violenter certat, vt expellat humores illos, fed cum humor ingipfatus eft factus terreftris remanet membrum cõtractum, nec poteft extédi: & ifte affectus non eft fpafmus, fed fpafmus aliis neutifma, id eft, fpafmus à repletione, & fpafma curatur difficulter & periculo non vacat, quoniam non facit doloré materia illa gipfea, fed tantum difficilius refoluitur. Et ideò in cafu noftro fi contingit fpafmus, nõ fpafma in febre hic affectus accidens, & fymptoma eft habens rationem caufæ: quia maximo cum dolore fit, quoniam humor contentus in mufculo trahit ad fe curationem, quoniam virtutem debilitat, & deftruit, debéntne pofito cafu ifto inquit Gal. dimittere fpafmũ, & curare febrem? nequaquã, quia dolor, & fractio virtutem

tutem resoluit: ergo nec febrem nec spasmũ curare possumus, quid igitur faciẽdum? debetisne cum spasmus ex repletione fit euacuare per sanguinis missionem, quantum affectus exigit iuxta illud Hipp. in secundo Apho. vigesimo secundo, morbos ex repletione tolit euacuatio. nunquid hoc in casu euacuare debetis pro ratione spasmi neglecta febre? nequaquam, imò caueatis, quia si euacuaretis quãtum exigit potens affectus, redderetis virtutem imbecilliorem, & vbi oporteret, vt natura laboraret in multis aliis, non erit potens. ideo non poterit amplius curari febris, nec remoueri putredo, & oportebit ægrum alere importune, & licet cum tota euacuatione euacues materiã antecedentẽ, materia tamen in loco contenta non euacuabitur. ideo opus erit, vt & illa euacuetur: propterea inquit Gale. sed & aliquid symptomati est relinquẽdum, scilicet spasmo: & rationẽ assignat, quoniã spasmus plerũq; mouet vigilias, quæ robur ægrotãtibus deiiciũt. voluit Gal. per hęc verba esse aliquid dimittẽdũ spasmo, qm̃ spasmus vigilias affert, q̃ postea virtutẽ resoluũt. ideo si tu euacuabis quãtũ opus est virtutẽ facies defessam, & vigilię aduenient, & tu reddidisti virtutẽ debiliorẽ, vigiliæ imbecilliorẽ reddẽt, & sic adeo debilitabitur corpus, vt non

 possit

posſit amplius virtus facere ea, quæ ſunt facienda. prçterea dolores & ſudores ſpaſmus parit, quæ omnia debilitant virtutem. ideo non opus eſt, vt debilites virtutem cum tua euacuatione, quoniam virtus nõ poterit tot tolerare, & hic nulla erit ſpes ſalutis, & ſic habetis quid ſit conuulſio, & ſub quo genere collocanda. AD EVNDEM AVTEM MODVM SI VEHEMENS VIGILIA DOLORQ; GRAVIS AEGRORVM INFESTAT &c. Iſte eſt quartus caſus, poſſumus dupliciter vigilias conſiderare, vno modo vt actio læſa, alio modo vt quid extrinſecus aduenĩes: ſunt enim vigiliæ paſsiones cõmunes corporis, & animæ, vt inquit Ariſt. in libro de ſom. & vigil. & actio læſa cerebri, & attinet ad motũ, & enim motus cerebri læſus, vt nimius motus in vigiliis, eſt in cerebro, ſi cõſideratur, vt quid extrinſecus eſt vnũ ex ſex reb. non naturalibus extrinſecus adueniens: quomodocunq; conſideretur hoc idem erit. dolor autem collocatur inter actiones læſas: quia eſt triſtis ſenſatio ſenſus tactus. dat igitur documentum Gal. ſi fuerint multæ vigiliæ, vel vehemens dolor debetis ne recta curatione procedere à morbo indicatione ſumpta? nequaquam, quia vigiliæ habent rationem cauſæ, & vbi ſymptomata habent rationem cauſæ tra-

hunt ad se curam,(vt inquit Galen. in duodecimo.meth.) causæ autem illæ sunt quæ faciunt indicationes curandi: ideò non poteritis recta curatione procedere: quod autem habeant vigiliæ rationem causæ, patet: quod si semper perseuerant virtutem resoluunt, & ita virtus semper est illa, quæ facit symptoma habere rationem,& trahere curationem ad se. ideo curandum est, vt æger dormiat, quomodo curabimus suo loco dicemus, quoniam Galen. hoc docebit,si dolor vehemens,quia habet rationem causæ, suas dat indicationes, habet rationem causæ, quia si perseuerat, virtutẽ prosternit. igitur oportet remouere dolorem: & ita bene dicebat ænigmasticus Auicenna quarta primi quum vis euacuare prius seda dolorẽ:hoc volebat dicere,si tu vis euacuare, quia euacuatio corpus debilitat,dolor etiam virtutẽ prosternit, igitur si tu vis euacuare prius seda dolorem: bene dixit.

SVBITAS AC MVLTAS EVACVATIONES VITARE OPORTET &c. Iste traduxit subitas & non rectè,quia Græcus textus habet id quod latinè sonat confertim, sicuti si aqua tota simul efflueret, hoc non est subito dicit Gale. quod debetis euacuationes confertim vitare, & intelligit de quantitate intensiue, quum verò dixit

multas intelligit de quãtitate extensiue scilicet discreta, quæ fit recreatis viribus: prima quæ fit confertim indiget multa virtute, vt toleretur: secunda magis tolerabitur, sed affert detrimẽtum. ideo vult Gal. vt nec euacuationem, quæ fit confertim, nec eam quæ fit iteratis vicibus faciamus. quid verò fieri oporteat, docebit Gal. AERIS PRAETEREA AMBIENTIS TEMPERIES &c. Iste est quintus casus, & inquit Gal. si haberetis ægrum, qui esset sub feruentissimo aëre & tẽpore calidissimo, & febricitaret, nũquid sumptis indicationibus à causis facientibus morbũ procedetis recta curatione, & multitudinẽ euacuabitis vel cum sanguinis missione, prout opportunũ erit, vel pharmaco? inquit Gale. nequaquam, quoniam aërem habetis feruentissimum impedientem: quo in casu oportet tuam dirigere intentionem ad aërem ipsum, quoniam habet rationem causæ, quia debilitat virtutẽ, igitur virtutem destruetis, qua destructa, & morbo magno existente, actum est. Aër iste ad quod genus symptomatum reducẽdum est? ad causas extrinsecas, quomodo autem deberemus procedere suo loco dicemus, si etiam fuerit aër iste admodum frigidus, nõ debetis euacuare, quia si euacuabitis per vestram eucuationem aëre multum existente
frigido,

frigido, totum refrigerabitis corpus, aëre enim frigido calor naturalis debilitatur adeo, vt nō amplius calescat corpus, pręterea si essent in Germania superiori versus Septentrionem, & si in frigidissima regione, vt in Scythia: vel essetis in calidissima, vt in ægypto, interficeretis ægros, si modo essetis in Aegypto in latitudine vndecim graduū, & in hyeme, hyems frigida est, regio autē calida debetis tūc accedere super euacuatio nem, sed longe minus, quam si neutrum. si essetis in Germania superiori, & in æstate debetis euacuare, sed parcius: quia licet sit feruor ratione cœli, ratione tamen regionis est ibi frigiditas & in nocte est in descensu solis, & antequam sol sit in meridie sunt frigora: sed si fuerit hyems in Germania, & in Aegypto æstas non deberetis aliquo pacto euacuationem facere, quomodo autem sit faciēdum habebitis suo loco rationem veram medendi, audiatis modo literam. AERIS VERO AMBIENTIS TEMPERIES NON CALIDA ET SICCA EST, QVALIS INTER CANIS ORTVM ET ARCTVRII EX MODO SYMTOMATIS LOCO HABENDA EST &c. Determinat Gal. tēpore anni, in quo maximi sunt calores & acutiores, & illud est trāsacta media æstate vsq; ad principium

cipium

cipiũ Autumni, quare? quoniã antequã accedamus ad mediã æstatẽ, & etiã cum Sol in Cancro est, licet ratione solis & radiorũ solarium efficientiũ angulos rectos deberent esse maximi æstus, nihilominus cum adhuc aër propter præteritæ hiemis & aëris humiditates atq; etiam terra adhuc non est arefacta, sed humectat adhuc non potest fieri tanta impresſio caliditatis & siccitatis propter angulos rectos: & cum asſumpta est humiditas terræ, atque aëris, & omnia etiã squallent, & hoc est quãdo Sol in Leone est, licet tunc Sol non faciat angulos rectos, quia tamen facit multam moram in terra, & inuenit terram exiccatam, tunc ardentisſimi sunt calores non ex parte multorũ radiorum, sed ex parte multæ moræ, & exiccationis aëris & terræ. ideo bene dicebat Hippocrates quarto Apho. quinto sub cane, & ante canem difficiles sunt purgationes: dicebat autem ante canem, scilicet in diebus illis, qui sunt proximi ortui in prima septimana Iulij, post canem, id est vsq; ad primũ ortum arcturi: & licet nõ oriatur canis cum oritur arcturus, proximus tamẽ est. dicemus igitur ꝙ oritur canicula, quæ est in cauda leonis cũ oritur leo: oritur autẽ leo 13. Iulij: igitur principio septimanæ secũdæ Iulij tũc erãt nocte dies caniculares,

quon

quoniā tunc oritur leo in quo est canicula, quousque oritur leo perseuerat: oritur autem leo cum sole vsque ad decimum quintum Augusti, cum sol iam accedit ad Virgines, & tunc deficit ortus caniculæ, vires tamen remanent adhuc caniculæ, quia feruor permanens vsque ad arcturi ortum, oritur autem arcturus duodecima die ante æquinoctiū autumnale, oritur autem autumnale ęquinoctium in primo pūcto libræ circa decimam tertiam diem Septembris: & ita pro hac computatione à die decimo tertio Iulij vsq; ad primum Septembris erit istud primum tempus in quo prima die erit arcturus. descripsit autem Galen. tempus per sydera, & non per mēses: quoniam volebat, vt liber iste posset accedere ad Indos, & Mauros, & omnem nationem, quoniam eadem sunt sydera apud omnes, nō tamen eadem obseruatio mensiū, tamen dixit omnino calida & sicca, quoniā ante mediā æstatem nō esset omnino sicca, quoniam habet adhuc humiditatem aliquam præteritæ hiemis & veris. QVOCIRCA OMNES QVIBVS MEDICI NEGLECTA TEMPORVM RATIONE VENAM SECARE AVSI SVNT. per sanguinis missionem intelligit etiam de validis medicinis, id etiam obseruandum hoc

tempore,

tempore, ſed attemperandum à ſanguinis miſsione,& à validis medicamẽtis: & quod diximus de calidis aëris cõſtitutionibus ad eundem modum voluit in frigidis eſſe cauendum. SYNCOPE ET RESOLVTIONE INTEREVNT &c. Eſt enim ſyncopa aliud à reſolutione: ſyncopa eſt actio læſa & impedimentum eſt in omnibus actionibus animalibus, vitalibus,& naturalibus: reſolutio ſeu diaphereſis ad naturales actiones pertinet, cum contentiua non continet, expulſiua deficit, viæ aperiuntur omnes. & humores excernuntur extra corpus ſine regula virtutis naturalis, vel retentricis, aut concoctricis, aut expultricis, & tunc fiunt ſudores diaphoretici & euacuationes diaphoreticæ: eſt enim διαφορεῖν difflare ſine regula: & propterea bene dixit incidãt in ſyncopam, & adiaphoren, vtraque procedit à debilitate virtutis. ideo virtus ſemper ea eſt, quæ trahit curationem ad ſe: ſi ergo tuti eſſetis de virtute eſſetis contra ægros crudeles, reliqua in textu ſunt difficillima. CVM ETIAM veluti ſymptoma quædam ad ſuſcipiendum affectionem productus conſiderandi &c. Iſte eſt ſextus caſus, procliuitas iſta attinet ad naturam humani corporis: ſciuiſtis enim quod ſymptomata intrinſeca erant actiones læſæ, quædam excremen

crementa mutata, quędam corporis dispositiones, vt mores animi & cōsuetudo. si ista est procliuitas, natura quædam particulariter est, quæ consequitur temperaturam, est tamen alia à temperatura, at proprietates indiuiduales appellantur, quæ diligenter attendenda sunt: corpora enim sunt quædam procliuia, vt facile resoluantur: quod si daretis illis medicinam leuem, euacuaret quicquid potest in corpore, & caderent in syncopam: aliqui sunt quibus si drachmam scamonij exhiberetis nihil educeretis. Itaque si dabitur vobis corpus, quod audiatis habere hanc procliuitatem, vt si daretis ei cassiam, incideret in syncopam, nunquid dabitis? nequaquam, quia hoc symptoma & ipsum habet rationem causæ, & reducitur ad tertium genus symptomatum intrinsecorum, MVLTI ENIM nunquam fuerunt euacuati neque vllam pleniorem euacuationem, neque longiorem inediam ferunt &c. si affertur vobis corpori huiusmodi naturam habens cum non toleret inediam; quā rationem victus instrueretis indicatione sumpta à morbo, & quia non tolerat euacuationes, quomodo poteritis euacuare indicatione sumpta ab eodē morbo? quid autē sit agēdum, dicemus suo loco. ALIIS VERO os ventriculi adeo

male

male afficitur, vt à cibis abhorreant, & si assumere cogantur, aut non continetur, aut improbe cõcoquunt &c. iste inquit Gal. maiori esset opus calore ad remouẽdum illud symptoma. IN HAC dignotionis parte expendenda est ægri temperies &c. rememorat hoc loco Gale. quomodo posset aliquis accedere ad hanc cognitionem habent exquisite, saltem proximè, vt cognoscat huiusmodi naturas indiuiduales, & proprietates ipsas, & inquit ægri temperies perpendenda est, corporis habenda consuetudo, ipsa etiam percunctatio ægris plurimum facit, quando tolerant medicinas, quod genus sumpserunt medicamenti, quę sequuta sint, ex his præparatis vos ad rectam curationẽ & symptomata quæ non adsunt consideretis, & etiam procliuitatem illam: pręterea astantes, & ægri amant vos, quia vident fidem, & diligentiam vestram. Inquit igitur Gal. vultis videre procliuitatem, videatis temperaturã. naturæ enim calidæ & siccę non tolerant exquisitam euacuationẽ, quia resoluuntur vires, & incidunt in casum virtutis: CONSVETVDO quoque non parum habet momenti, maximè ad euacuationis indicationes &c. si enim videtis ægrũ bene tolerare medicinam maximè audetis super medicinam: ALIQVI ENIM

nunq

nunquam sunt euacuationem ante experti. neque integram pertulerunt largóque cibo vsi sunt, alij contra neque multi cibi fuerũt, & euacuationibus sunt assueti. hos igitur intrepide euacuare oportet quando & reliqua etiam consentiunt alios nempe insolitos, nec si omnia alia id suaserint. Gal. hos qui multos cibos concedunt, & intrepide posse euacuari, & simul sunt euacuationem perferre, quoniam potestis hos ample nutrire, qui verò non sunt assueti medicamentis & pauco cibo vtũtur, illis cum suspicione dabitis casiam, neque discedetis à benedictis, videatis quid faciãt medicinæ benedictæ, vt virtus assuescat in medicamentis.

AD EVNDEM etiam modum & corporis habitudines contemplandæ sunt: nam qui densa & solida carne sunt, his habitus haudquaquã facilis. Et tanquã symptomati occurritis, & ad habitus corporis reducitur: quod autem raritas & densitas sint symptomata quibus occurrendum est, ex hoc patet, quoniam raritas texturæ vires resoluit, & si symptomata curantur propter metum casus virtutis, illi qui erant rari habitus facillime incidunt in casum virtutis. ideo illi laxi qui habent carnes laxas, & molles, Ac si tangeretis musculos, fortes vbi adest plurima quãtitas musci, id est illius viriditatis,

tunc lubricæ istæ carnes, sicuti illi fontes, caueatis in istis à multis euacuationibus, & licet pingues sint, & bene colorati decipient vos, QVI VERO MOLLEM, ET ALIQVOMODO TENERAM, traduxit interpres iste aliquo modo tenerã: EST ENIM ALGA MARIS ASPERA, & ponitur mera causa vitrea ab illis, & poteritis facillimè videre, textus Græcus habet βρύωδη, quod apud Latinos muscus dicitur, qui super lapides hæret. voluit dicere Gale. carnes quę habebunt molliciem musci, id est, viriditatem lapidibus accidentem, scilicet musci modo teneram, tales in graues noxas facilè incidunt ex sanguinis missione, licet bene nutriti videantur, SED ALIIS euacuationibus quantum moderate fieri potest vtendum est, eodem modo, & quæcunque supra modum crassi sint, &c. Aliud symptoma ad dispositionem corporis & sunt opposita symptomata cum patiens habet obesitatẽ carnis, & gracilitatẽ, hi non sunt curãdi sanguinis missione affatim, atq; valde: quoniã habent calorem imbecillem, & paucum sanguinẽ & plurimum pinguedinis: & ita si euacuabitis sanguinem suffocabitur à plurima humiditate superflua. TABESCENTES VERO non sunt euacuandi propter oppositas causas, quoniam nihil habent

bent neque boni, neque mali, &c.

HIS ETIAM ET AETAS, &c. vidimus in pręcedẽti lectione, quemadmodum enumerabat nonnulla symptomata ab effectibus corporis, quæ symptomata sunt sicuti raritas corporis, densitas, temperatura tam naturalis, quàm præter naturam, quæ se tenet ex parte dispositionum contingentium corpori; nunc proponit ætatẽ, quę debet enumerari inter symptomata, si symptoma illud est, quod impedit nos à recta curatione. rectã curationẽ esse dicebamus cum sumpta indicatione à morbo à causis procedimus ad sanitatẽ inducendã: cum primo ætas sit vnũ ex his, quod potest impedire à recta curatione, merito symptoma appellatur. quod autẽ impediat manifestum est, quia si habueritis puerum citra duodecimũ annum, qui laboraret febre continua sumpta indicatione à morbo, & à materia faciente febrem necessàriũ est mittere sanguinem, at ratione ætatis non potestis: quia impedit: si etiam senex esset sexagenarius, vel octogenarius & laboret febre habita ratione febris deberet phlebotomari, & euacuari aliis medicamentis, hoc autem facere non potestis ratione ætatis: quia impedit nos à recta curatione: HOS IGITVR COMMEMORATOS OMNES, &c, iam

incipit aliquo modo tradere curationes symptomatum, quę posuerat, & vnum verbum de euacuationibus incidenter affert, quasi occurrens cuidam tacitè obiectioni. posset dicere aliquis, vt proponis ægritudines in quibus facienda est euacuatio, postea doces nos à symptomatibus impediri: quid faciemus igitur? respõdet Gal. euacuabitis quidẽ: sed habebitis respectum symptomatis, & symptomata suas dabunt indicationes, & cũ euacuari nõ possit, quantũ potest, paulatim & sensim euacuatio fiet dimittendo partẽ symptomati. ideo inquit, & efflagitabit euacuando, ne possit fieri ratione symptomatũ nõ semel, neq; affatim, & vno impetu euacuabitis multitudinẽ: quia symptoma impedit: sed paulatim: & dat instrumenta cum moderatis mediis, scilicet abstinẽtiis à cibo: & hæc euacuatio adeo efficax est in euacuãdo corpore, vt Aerasistratus: vt assentit Gal. in libello de sanguinis missione contra Aerasistrateos voluerit tantũ esse condonandũ abstinentiæ, vt diceret nullam euacuationẽ necessariam esse, neo missionem sanguinis: quoniã ex abstinentia cibi omnes fiunt euacuationes: quia natura semper concoquit, & absumit superflua, & difflat per loca naturalia, dummodo non repleatur. quandoquidẽ corpora malorũ humorum

morum quanto magis nutries, tanto magis lædes. hoc non negat Galen. imò fatetur, & hoc loco etiã fatetur, quod inedia omnem corrigit plenitudinem etiam sanguinis. sed quare ideo non semper fiat, dogmatici vlterius considerantes inuenerant causam: quia sæpe à ægritudinibus acutis, & perniciosis, & habent decliue periculũ, & in mora periculũ est, si sanguis superabit, & per inediam volueris absumere morietur interim eger: si etiam humores multi deprauati sunt, & corrupti: si eos etiã volueris inedia absumere, putrescerent interim, & putredo in corde generaretur, & sequeretur mors. Ideo in principio mouendum est iuxta illud Hip. 2. Aph. 29. cũ morbi inchoãt si quid mouendũ videtur, moue: ne inquam deterius aliquod cõtingat. ideo dogmatici vbi res vrget euacuant & per sanguinis missionem, & medicamenta, vbi fuerint opportuna. quando autem sit inedia præferenda, hoc est quando non possumus cum sanguinis missione, nec cum medicamentis euacuare, tunc accedemus ad id quod melius est ad inediam: sed cum propter ætatem, vel corporis habitũ, aut aliud tale euacuatio impedietur. MEDIOCRIBVS INEDIIS, &c. aliquid autem esse mediocre relatiuorum est, & semper est quod mediocria omnia relatiua con

ſiderãtur: quia omnia ſemper referimus ad corpus cui occurrimus, & propterea dicimus mediocres inedias iungendas eſſe, ſcilicet mediocre quando fit vt oportet. natura ſemper mediocris erit inedia reſpectu Socratis, quæ reſpectu Platonis vel redundãs, vel deficiẽs erit. FRICTIONIBVS MOLLIBVS, ET CLYSTERIBVS FOMENTIS, CATAPLASMATIS, &c. Gale. refert inſtrumenta, quæ poſſunt corpus euacuare. euacuant autem corpus, vt omnia ad methodum reducãtur vel per remotionem alimenti, quia corpus humidum ſemper fluit, & materia fluit à corpore, imò rebus habentibus fluxum, vbi ſubtrahitur alimentum neceſſario modo fluens ceſſat, & minuitur, ſicut in fluuio ſi non adderẽtur aquę à fonte exiccaretur fluuius, ideo cum materia iam ab humido corpore fluat, ſi non alteretis deficiet inſtrumentum, ergo ſicut vel ſubtractio alimenti, vel euacuatio: euacuati fit vel per vias apertas, & ſenſuales à natura ordinatas, vt per ſeceſſum, per vrinas, per ſputum, per ſudores: aut per inſenſibiles, vt per euaporationẽ, & hoc fit cum frictionibus, in quibus duo fiunt: primo rarefiunt pori cutis per quam rarefactionẽ diſponitur corpus ad difflationẽ: ſecundo attenuantur humores, & ita attenuati, vt colliquati à ca-

lore

lore facilius transierunt in vapores. ideo & materiæ euacuãdæ ratione instrumenti per quod frictio est præparatur vtrinque; balnea etiam id faciunt calidæ & dulcis aquæ, præparántque humores cum sua moderata caliditate colliquando, facient apertiorem meatum cutis, & ita facilè difflantur fomenta optimè. idem præcise faciunt, scilicet calida, & applicatio olei chamomelini cum vino simul misti, & facere linimẽtum in toto corpore quod fomentum appellatur, facit primo cutis raritatem: præterea attenuat, & cõcoquit humores ratione eius attenuationis difflantur. sed vbi nõ possimus facere euacuationes per sensibiles vias, & per sensibiles euacuationes, fiat per secessum: quia in aliquibus est violẽta nimis, nec toleratur, tunc fomẽta, frictiones, balnea accõmodissima sunt ad faciendas euacuationes per difflationẽ: cataplasmata idem etiã possunt & differunt à fomentis corpore: fomentũ fit ex re liquida, sicuti oleum est, vel vinum, vel aqua calefacta. cataplasma verò fit cum re corpulenta, & quandoque applicamus pulueres, quoniam de pulueribus etiam intelligimus. ideo cataplasma appellatur & commiscemus cum re corpulenta: etsi sumeremus camomillam in substantia puluerizatam cum huiusmodi corpore mi-

ſtam, vt faciamus apertionem commodiſſimũ erit. applicatur autẽ cataplaſma cum volumus, vt maior fiat impreſsio: quia diutius perſeuerat virtus in eo, quã in fomẽto, cum ſit corpulẽtum, & magis figitur, proponit etiã Gal. aliud inſtrumẽtum, quod facit euacuationẽ ſenſibilẽ, ſed leuem: & ſunt clyſteres molles fouentes aluum, ſicut ſunt iſti communes clyſteres, in quibus eſt flos caſſiæ, mel roſatum, mel violaceũ, & hyera ſimplex ingreditur: non dico hyeram puram: quoniã in ea ingreditur agaricum, colocynthis, & ſcammonium, & tales clyſteres ſunt non molles, ſed acres, & efficaces admodũ, quando verò hoc, vel illud inſtrumentum ſit opportunũ indigemus diſtinctionibus: propterea dixit Gale. iſtorum omnium naturam ab his quæ memorata ſunt, oportet deſumere. Igitur ſi quis haberet texturam raram, & perperam raritatẽ timeretis euacuationẽ: quia nimis reſolueretis, huic non conueniunt frictiones, neque balnea, neque fomenta: quia nimis rarefaciunt: & deduceretis hominem ad ſyncopam. quid ergo faciendum? in iſto vtimini mollibus clyſteribus, quę molliter euacuant, & propterea non rarefaciunt cutim, mediocribus etiã inediis vti poteritis: quia talia corpora non tolerãt inedias ſicuti, qui ſunt texturæ denſæ,

sæ,& distinguetis, quæ sit cõuenientior euacuatio, optimè scietis. AD EVNDEM VERO MODVM SI QVANDO DVO SYMPTOMATA CONTRARIA, &c. Vos scitis sicut in principio diximus, quod quoties impeditur recta curatio impeditur, vel quia symptoma accidit ad morbum, vt dolor capitis ad febres, vel symptoma ad symptomata, vel morbus ad morbũ: hactenus dixit Galen. vbi accidit symptoma ad symptoma, quídnam debeatis agere: nunc docet quãdo symptoma symptomati accidit aduersatur vel morbus morbo, & vno verbo expedit se: quia eadẽ est ratio: debetis inquit Gale. considerare naturam, & gradus vtriusque symptomatis, quod ex istis symptomatibus magis vrget, & periculosius est, & illi prius occurrere altero non neglecto: idem facietis, si morbus morbo iungatur. exemplum de duobus symptomatibus, si quis habet dolorẽ capitis, & dolorem colicum, cui occurretis? colico proculdubio: quia dolor iste plerunque interficit, & nunquam visum est aliquem ex dolore capitis periisse Gale. authore in lib. catatop. ideo colico occurrendum dolori non neglecto capitis dolore. exemplum de duobus morbis, si fuerit febris acuta, & bubo in corpore ægrotantis, primo occurrendum est fe-

bri, quia magis interficit febris, quã bubo: & sic semper eadem est ratio, siue complicetur symptoma cum morbo, siue symptoma cum symptomate, siue morbus cũ morbo, semper ei, quod magis vrget occurrendum est. QVAE AVTEM A SYMPTOMATIBVS ET MORBIS SVMANTVR INDICATIONES, &c. Nunc postquã proposuit catalogum omnium symptomatũ, quæ cõplicantur cum morbis, & nos redegimus catalogum per prima capita, postquam inquam hoc fecit; quia duo pollicitus est enarrare symptomata, & tradere curationem omnium enarratis symptomatibus accedit ad euacuationem, & vult docere methodũ, qua curentur singula istorum symptomatum; & quia sententia erat Gale. duodecimo therap. cap. primo quòd symptomata poterant dupliciter curari, vel primo curare ipsa omissa sua causã, vel curari symptomata remouẽdo causam, quæ facit symptoma ipsum: & quod tũc occurrimus symptomati omissa causa, quãdo tam vehemens, & tam periculosum est, vt non det inducias, & nisi statim occurramus interficit ægrum, tunc dimittimus causam, & quærimus lenire symptoma: & interim occurrere causæ. quando autem ita vehemens non est, & dat inducias, accedimus ad causam: & ita

cum curamus symptoma occurrimus symptomati neglecta causa, vel curamus symptoma remouẽdo suam causam, prius igitur Galen. docebit curare symptoma causa neglecta, posteà docebit curare symptoma per remotionẽ causę. duo ergo facit, vt promisit: primo curat symptoma leniendo ipsum neglecta causa: secũdo curat symptoma curando causam, sed quoniã, vt dicebamus, symptoma quod viget leniri demissa causa maximũ est, non dans inducias, propterea syncopas, & lypothymias proponit, quoniã fortè sola syncopa nõ dat inducias, & licet videatur dolor non dare inducias, & quòd curari debeat neglecta causa, nunquã tamen curabitur, nisi deueniat ad hoc, vt faciat animi deliquium: itaque deliquium animi solum erit, quod trahet ad se curam neglectis suis causis, in reliquis accidẽtibus attendimus ad remotionem causæ: & ratio est, quia dum quęremus intercipere causam lypothymiæ, æger interim moreretur. aduertendũ tamẽ est, etsi symptoma curetur, nunquã tamen curabitis symptoma, neque morbũ, neq; aliud aliquod, nisi per considerationem suarum causarum: quoniam illæ sunt, quæ dirigũt intẽtiones curatiuas. ideo perpetuo verius est, quod nũquam curabitis ægritudinem, nisi habeatis causam pro scopo,

ſcopo, licet non ſit vobis animus tollendi cauſam, eam tamen concipere debetis, & ad eam dirigere intentioné, quoniam illa docet veram curationem, & meritò: nam nunquam poteritis in rebus humanis aliquid demoliri, vel moliri niſi cognoſcatis naturam rei. cognoſcitur autem per ſuas cauſas: ideo oportet, quod cauſæ cognoſcantur, & quod velitis curare ſymptoma, & ita apparet, quod omnis indicatio curandi ſumitur à cauſa: quia illa diſtinguit curationes, & intentiones noſtras. ideo quando dicimus indicationes curandi ſumi à cauſa ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca rectè dicimus: & iſte eſt locus clarus Gal. ſed quoniam Gale. vult curare animi defectus, qui curantur omiſſis ſuis cauſis, ſine aliqua methodo euacuat omnes lypothymias, & diſtinguit eas per ſuas cauſas, & recte: quia ſi dixit quod non poſſumus curare, niſi per cognitionem cauſarum fuit opportunum eas enumerare, ſed quia catalogum enumerat, & ſine ordine: vbi non eſt ordo, ibi non potuit eſſe doctrina: neq; memoria. ideo oportuit, vt redigamus ad methodum, & ad ſua capita. nō poterimus autem hoc facere cū lypothymia ſit genus, niſi cognoſcatur natura prius iſtius generis, cum à cognitione naturæ rei oriatur omnis methodus & omnis diuiſio.

oportet igitur si volumus diuidere lypothymiam, vt cognoscamus naturã generis, bene possumus lacerare, diuidere nequaquam: quoniam diuisio, quæ datur per membra supponit cognitionẽ membrorum. natura igitur rei cognoscenda est, sed prius oportet, vt cognoscatur quod nomen, sunt ista nomina, quæ apud latinos, & gręcos circumdoxantur, æstuatio siue anxietas, lypothymia, animi defectus apud latinos, tertio est ipsa syncopa hoc nomine dicta tam à græcis, quam à latinis, nec ei aliquod nomẽ inuenerunt, differunt tamen ista tria secundũ magis, & minus. æstuatio est quando homo percipit quoddam in toto corpore, vt quiescere non possit, sed modo huc, modo illuc vertitur, nescit exponere quid habet, nihil dolet, & omnia dolenr, non potest moueri, & quietis impotens est, & tandẽ nihil potest facere, nisi cum maxima anxietate, sicut faciunt anxij, quia quando cõsideratur, quicquid velint non inueniunt, nec expediũt, ita vt patiatur æstuationem nesciunt quid velint, & hoc est principium animi deliquij, si postea augeatur, & non tantũ quiescat, sed moueatur inordinate, & sensum amittat dicitur lypothymia, & animi deliquiũ: tertium & vltimũ est terribilius: quãdo accedit syncopa, quæ vulnerat, & ferit omnes

virt

virtutes,& remanent homines sine sensu & motu,vt in mulieribus,quæ præfocantur ex semine retento,& putrefacto, ex menstruo retento: à quibus vapores eleuantur, & ista tria differunt secundũ magis,& minus sicut differunt vertigo, epilepsia, & apoplexia; quæ sunt passiones propriæ cerebri,illæ verò cordis: hæc quo ad nominis descriptionem,quantum ad rẽ ipsam quid sit,& quo ad diffinitionem à qua oritur omnis doctrina,nihil aliud est deliquium animi,nisi deiectio omnium facultatũ animæ propter diminutionem caloris innati,& spirituum, est descriptio quæ conuenit soli lypothymiæ,& suis congeneribus,& data per causam formalem,& efficientẽ non includitur subiect. quod facile addi potest,vt dicatur defectio esse in corde,sed quoniã dissensio inter medicos & philosophos est,subiectũ reiicitur: omnes enim actiones vitales,animales,& naturales deficiunt: nunc quoniam confortabitis semper eodẽ modo se habet, & non variatur,& quæcunq; sit causa faciẽs syncopã,vel animi deliquium semper erit tunc deiectio omnium facultatum animæ, Ideo diuisio nõ fit penes causam formalem: & licet diuisio procedat à forma ipsa,tamẽ indiuisibilis est: sed ratione materiæ fiunt diuisiones.in hoc ergo loco cũ definitio sit

tradi

tradita per formam,& per causam efficientem,& forma nō possit diuidi;ergo per causam efficientē fiet diuisio:causa autem efficiens in hac definitione est diminutio caloris innati,& spirituum,cum ergo morietur huiusmodi diminutio penes eam sumitur diuisio:diuidamus ergo genus secundū istā partem, quæ dicit propter diminutionem caloris innati,& spirituum, à quibus tanquam à causa efficiente proxima prouenit animi deliquium; diuidamus inquam genus hoc immediate in duo genera subalterna. huiusmodi diminutio caloris, & spirituum necessario fit vel per resolutionem, vel per suffocationem caloris & spirituum, resoluitur calor innatus vel propter alimenti defectum, vel propter suffocationem, sicuti prius dicebamus de his, quæ sunt in fluxu:à duobus diminuitur quodcunq; potest diminui, vnū est vt surripiatur alimentum,secundū euacuetur & inaniatur:sicuti si velitis exiccare puteū,vel euacuatis ipsum, vel remouetis alimentum intercipiēdo fontes,qui interius scatent,& quia calor & spiritus sunt in numero eorum, quæ perpetuò fluunt duplicem habent resolutionis causam,vel quia subtrahitur alimentū,vel quia euacuatur; subtrahitur alimentum calori & spiritibus dupliciter,quoniam duplex est alim

alimentum, aliud intrinsecũ, aliud extrinsecum. alimẽtum extrinsecum aer est ex quo nutriantur vt inquit Gale. in lib. de vtilitate respir. calor innatus, & spiritus: præterea cibi & potus, & maxime potus, vbi ista deficiunt, deficit calor & spiritus, & iste est vnus modus, quo resoluuntur spiritus, & calor propter defectum animi à causa extrinseca. intrinsecum autem est sanguis ex cuius tenuiori parte spiritus, & calor generantur, & aluntur, vbi deficit sanguis necessario fit resolutio spirituum, & caloris innati. euacuantur autẽ dupliciter, vel quia propter inanitionem substãtię, vel subiectorũ sicut quando spiritus & calor: subiecta spirituum sunt tria, vt asserit Galen. duodecimo therap. vel sunt humores existentes in corpore, in quibus tãquam in subiecto sunt spiritus, & per illos deferuntur per omnes corporis partes. alterum subiectũ est caro, vbi non est caro, ibi paucitas virtutis. instrumẽtum tertium sunt membra solida, nã sine mẽbris solidis, sine neruis scilicet & ossibus & arteriis non erunt spiritus, imò nec caro, nec sanguis. igitur quæcunque inanitio fiat ex ipsis siue inaniantur spiritus, siue substantia propria, siue humores, aut carnes, aut membra solida, semper calor & spiritus resoluuntur. causæ autem facientes inanitionem istã intrin-

secæ

secæ & extrinsecæ sunt primi occursus aeris calidioris nimis, ex cuius occursu primo spiritus, secũdo humores, tertio caro, quarto membra solida resoluuntur. caro igitur est vnum ex resoluentibus spiritus, & spirituum subiecta. prętere a cibi & potus nimiũ calefacientes, & resoluentes, motus corrosiui nimis, accidentia animi, molestia, tristitia, dolor: quoniam vt dicebat ille, spiritus tristis desiccat ossa, vigiliæ nimię, coitus nimius: & tandem omnia, quæ hoc pacto inaniunt: causæ intrinsecæ sunt temperatura nimis calida, febres ardentissimæ, dolores ingentissimi, fluxiones alui, sudores immodici, fluxus sanguinis per hæmorrhoidas, per nares, per vterum, sputa immodica sicut in tabidis: qui vt plurimum expuunt in die, & nocte, & tandẽ omnia inanitientia intrinseca intrinsecus aduenientia siue per halitũ, siue per vrinas: per halitum siue per sudores, vt in diaphoreticis sudoribus contingit quando corpus nihil continet, & hæc sunt, quæ possunt inanire substantiã: & ita habetis totum membrum. Suffocatio autem spirituum fit vel propter occursum contrarij, sicut cum aqua occurrit igni extinguit ipsum suffocando sicut igitur contingit in igne, ita etiam in calore. suffocatur enim calor innatus à qualitate contraria, à multi-

Tt tudine

tudine ſubſtantiæ cibi proprie,ſicut ſuffocatio ignis ex qualitate aquæ,aut multitudine lignorum,aut etiam aere nō cremabili,ſicut ſi poneretur ferrum nō faceret flammam:qualitas aduerſa calori eſt frigiditas nimia,quæ vbi repente accidit corpori non modo ſuffocatio,& diminutio caloris,ſed ſyncopa etiā cauſatur,imò & mors:vt euenit illis,qui ſummiſſum montē pertranſeūt hyberno tempore,qui ex Maximo frigore congelantur,& moriuntur propter ſuffocationem caloris,& ſpirituū. Qualitas autem venenoſa ſuffocat calorem & ſpiritum,ſicut contingit puteali prope Neapolim per octo milliaria,vbi eſt ſpecus ſatis profundum,in quo ſi apponatur animal repente,vt eſt ingreſſum orificium ſpecoris ſatis profundi ſuffocatur. hoc autem eſt propter aliquam cauſam venenoſam,& propter qualitatem cōtrariam calori & ſpiritibus,vt ſi minimū eius trahatur per anhelitum,& ad cor pertingat, ſubito animal moritur.& dicebat incola,ſi poneretur animal in lacu,vbi adeſt maxima copia ſulphuris quod iterum reuiuiſceretur : ſed nos experti ſumus in cane noſtro:nunquam tamen reſurrexit,multitudo etiam ſanguinis boni ſuffocat calorē,vt dicebat Hippoc. primo Apho. tertio Apho. habitus athletarum,quia ad ſumum bonitatis

tatis attingunt periculosi &c. quia multitudo sanguinis suffocat. quod sicuti plurima ligna simul super ignem apposita suffocant ignem, ita etiam licet proprium alimẽtum caloris & spirituum sit sanguis, maxima tamen copia suffocat: multa enim copia pituitæ, aut alterius humoris idem facit tum ratione multitudinis, tum ratione qualitatis contrariç, & ita habebitis membra complicata, & enumerationem omnium causarum facientium syncopas ad sua capita facillime redactam.

QVAE IMPLICANT &c. dico dolorem colicum esse ex his, quæ nõ dant inducias, in quo sedando adeo symptomati occurrimus, vt etiam causam, affectumq; excitemus sicuti cũ philonium exhibemus, & stupefacientia frigida, augemus tunc causam, & non curamus ipsum morbum vt vel interim nõ moriatur: nihilominus licet dolor videatur symptomaticus per se, non tamen ita vehemens est, vt faciat causam esse negligẽdam nisi faceret lypothymiam. ideo Galen. dum proponit duas curationes, alteram quæ fit per remotionem causæ, alteram, quæ fit per remotionem symptomatis, cum vellet recurrere symptomati quod curatur demissis causis suis attulit lypothymiam, atq; de illis docuimus heri, quan-

do curabamus symptomata neglecta causa:licet non curemus causam:fieri tamē nō potest,nec imaginari quidem,nisi empiricè velletis curare,vt morbum,aut symptoma curare valeatis, nisi causam prius cognoscatis,& concipiatis:quia recta non potest haberi curatio,nisi à natura rei:nec diminutio haberi potest, nisi ex cognitione causæ,ex qua cognoscitur symptoma.atq; tunc occurritis symptomati licet non remoueatis causam,ea tamen cognita dat indicationes distinctas,& rectas curandi,& sic Gale.primo curabit neglectis causis,ita tamen,vt det prius documētum non licere ad earum curationem accedere,nisi causa cognita,à quibus vt supra postea refert omnes causas lypothymiæ, & quoniam sunt sine methodo explicatæ,quoniā supponit methodum ab eo traditam.12.therap.quæ per historiam traduntur non docet,sed monet nos: vt docere instituimus in hesterna lectione,omnesq; causas per methodū ad sua quædam capita reduximus,& ad sua principia per veram diuisionem.His visis reliquum est,vt audiatis modo literam:QVAE A SYMPTOMATIBVS, ET MORBIS SVMVNTVR indicationes non simpliciter,sed per causam,quæ vnumquodq; retulit,consideranda sunt.vt Gale.inquit.vultis

quæli

quælibet curare symptomata, quia sympto mata sunt: & morbos etiã, quia morbi sunt: omissis interim causis non absolute curantur cosiderando morbos & symptomata, sine causa cognita, quæ vnumquodq; retulit: quoniam illa est, quæ distinguit indicationes rectas quomodo sit agendum in curandis symptomatibus, ita vt licet velitis curare causas, quæ faciunt symptomata, nõ habetis modum curandi, nisi conceptis causis, & effectibus. ILLA VELVTI ANIMI DEFECTIO ET EXOLVTIO &c. incipit proponere Galen. symptomata, quæ curantur omissis suis causis, ita tamen vt cognoscantur. proponit igitur lypothymiam, quia est symptoma pessimũ. QVOD TRAHIT AD SE CVRAM ADMISSIS &c. dicit defectio, & exolutio. vertit interpres in duobus locis exolutionem, & confundit. Nos dicebamus in præcedentibus, quod aliud est exolutio, & animi defectio: nunc dicit Gale. pro vna eademq; re ambo hæc nomina esse à medicis vsitata: vna quidem res est, videbitur hoc, quod dixit Galen. contra dicere, hæc fuit causa interpretem nõ videre, quę nos vidimus: qui supra exposuit diaphęresis id est exolutio, nũc exponit exquisitius scilicet exolutio. diximus quid esset diaphęresis superius, & quod male &c. exo-

lutio non idem est, quod lypothymia, & nihil aliud est exolutio, nisi resolutio totius toni: est enim tonus vigor totius virtutis, & ita idem est lypothymia & exolutio apud latinos: & sic aliud est exolutio hoc loco, & aliud supra dicit: ergo Galen. declarando nomina, quod exolutio, & defectio animi sunt duo nomina à medicis nominata, sed vna est res duobus nominibus appellata, quæ diuersas habet causas, & pro diuersitate causarum variæ sumuntur indicationes, licet non curentur causę: animo ENIM DEFICIVNT EX CHOLERIS &c. vbi ille proposuit, incipit distinguere causas facientes lypothymiam, quæ plures sunt. diximus heri, quod lypothymia est subita quædam omnium facultatum animæ defectio, propter caloris innati diminutionem, & spirituum: idq; ostendimus. His ita expeditis munus nostrum est videre, quod omnes istæ causæ enumeratæ reducuntur ad hęc duo, vel ad diminutionem operationum propter resolutioné, vel propter suffocationé: ET SI PROPTER RESOLVTIONEM, VEL RATIONE ALIMENTI, VEL CAVSA INANITIONIS. incipit nunc tradere causas lypothymiæ, quæ fiunt per vias resolutionis, scilicet ratione inanitionis substantię: & dicit anima deficit

ex ch

ex cholera alui, fluorum. cholera vt nonnullis placitum est inter fluxiones alui enumeratur, & species fluoris nuncupatur: alij aliter dixerunt, & pauci inuenerunt huiusmodi affectus essentiam: & re vera nihil aliud est cholera nisi ęstuatio stomachi, & est principium lypothymiæ: & quod non sit inter fluxus alui videatis Hipp. & Gale. in quarto de ratione victus in acutis. Ios. postea quid Paulus dixit ibi Galen. quomodo cholera quædam sicca, quædam fluēs, & humida est. si sicca, est sine fluore: & sic non est inter fluxiones enumeranda: & licet altera species fluida sit, quia definitio speciei non conuenit generi: & si vna species fluida seu fluxio erit, vel vt rectius loquar cum fluore alui, genus non erit fluxio. est inquit cholera æstuatio stomachi, & initium ad lypothymiam: moderni cholericam passionem nominant: & hæc passio duplicē potest habere causam, vel contingit propter repentinam humiditatem mordacem, acrem, multam, feruidamq;, quæ regurgitat ad ventriculū, & cum sit mordax, & feruens simul sæuiens facit æstuationem ventris: deinde erumpit in vomitum, & secessum, nec sufficit vna expulsio, imò semper fert simul inferius & superius, erumpit materia cum angustiis, & deliquiis animi, vt nihil sit deterius, & ma-

gis horrendum:& peracuta ægritudo eſt,vt in quarta ſaluet,vel interficiat: vel ſæuiſsima habet accidentia,& hæc eſt vna cauſa,& appellatur cholera humida. cholera verò acida eſt propter flatum acrem, & mordacem, qui continetur intra tunicas, vaſa, & cauitates ventriculi, nec habet exitum. vbi mordicat,erodit,extendit,& diſtrahit,& dolorem facit, facit æſtuationem, & appellatur cholera ſicca,quia nihil exit. habetis ergo quid ſit cholera:quo ad genus inter ęſtuationem ventriculi poni debet,& duas habet cauſas, vnam cum fluor erodens feruens ad ventriculum defluit,& hæc humida: altera quidem cauſa eſt, cum flatus intra tunicas ventriculi exiſtit,nec aliquid erumpit. Iſta præterea cholera ſi humida eſt,& cum fluore reponenda eſt lypothymia, quam facit ſub genere reſolutionis, non quidem propter defectum alimenti, ſed propter inanitionem ſubſtantiæ humoralis,& ſpiritus:ea verò quæ ſine fluore eſt,& acida, quia adeſt dolor reſoluuntur ſpiritus,& ratione doloris fit reſolutio propter inanitionem ſubſtantiæ ſpirituum, alui profluuij,quod genus ad reſolutionem reducitur,quæ fit propter reſolutionem humoralē, profluuium alui eſt,quod à græcis diarrhœa dicitur: & ratione generis appellatur, & eſt cum humores

mores varij à toto ambitu venarum fluunt ad intestina, & ad ventrem, & excernuntur, cum dolore: sine tamen excoriatione, quia cum adest excoriatio dysenteria dicitur. moderni accipiunt nomen generis, & latinum faciunt, At constituunt vnam speciem, quam diarrhœam appellant, male tamen prolatam, ita & quando legetis apud ipsos diarrhœam intelligatis tunc fluorem, quod quidem ab illis, qui elegantius loquuntur profluuium alui appellatur. Ab huiusmodi ergo profluuio potest lypothymia fieri: quoniam inaniuntur spiritus, & subiecta, in quibus ipsi fundātur spiritus, EX INTESTINORVM DIFFICVLTATIBVS &c. difficultas intestinorum apud Græcos dicitur dysenteria, leuitas verò lyenteria: dysenteria nihil aliud est, nisi fluor alui cum excoriatione, & vlcere in intestinis, lyenteria verò est cum virtus contentiua non continet quod cōtinere debet: imò cibum incoctum transmittit ad intestina sicut desumitur; & appellatur huiusmodi affectus à mulieribus vulgari lingua, mal di canale, quasi quod sint canales quidam ab ore ad intestina materiam absque aliqua virtute contentiua ad intestina amādantes. Atq; nemini dubium, quod lyenteria facit resolutioné spirituũ propter duo,

primo propter defectum alimenti, quoniã alimentum, quod deberet nutrire exit. secundo quia fit euacuatio humorum, & substantię. in difficultate intestinorum fit resolutio spirituum tum propter dolorem, tum propter minutionem substantiæ. ET FLVXV MVLIEBRI &c. siue albus, siue rubeus sit scilicet sanguis dummodo superfluus sit inanitione substantiæ deducitur ad resolutionem virtutis: quoniam vel sanguis, vel plurima materia, quæ deberet nutrire corpus transit in virulentiam, decumbit ad matricem, & ita inanietur substantia, & fit lypothymia. ET VVLNERIBVS &c. eadem est ratio, & iam si plurimus sanguis emanat vel à vulnere fit maximus dolor, si repente plurimus sanguis exit, vel efluitet, reducitur ad inanitionem substãtiæ: si fit dolor reducitur ad inanitioně, & resolutionem spirituum propter dolorem. MARISCIS QVAS HAEMORRHOIDAS NOMINANT &c. Siue mariscæ siue hæmorrhoides appellentur non est nũc cura interpretandi vocabula, forte tamen ipse aberrauit traducendo mariscas hęmorrhoidas, sciatis hæmorrhoidas esse apertionem quinque venarum, quæ sunt in musculis ani, quæ siue tumescant, siue aperiantur faciunt affectum illum, quem hæmorrhoidas appellamus. &

mus & idem sanguis fluit, si sit fluxus sanguinis,& ex eo lypothymia ad resolutioné reducitur propter inanitionem substantiæ factam,& spirituum: SANGVINIS TVM EX ORE, TVM EX NARIBVS PERFVSIO, IMMODICISQVE EX PARTV PVRGATIONIBVS &c. Reducuntur huiusmodi lypothymiæ ad eandé resolutionem, sicut de hæmorrhoidibus diximus: NONNVNQVAM VERO ANIMAE DEFECTVM ATTVLIT MAGNA CRVDITAS &c. Notetis cruditas in ventriculo est duplex, vel est per excessum, vel per defectum: vbi humor aggregatus in ventriculo est duplex, & non concoctus, qui non potuit habere à calore naturali formam chili, sed permansit crudus, vel cum plurima pituita aggregatur in ventriculo, est enim pituita humor crudus, quia non potuit habere formam sanguinis, vel plurimi humores corrupti: vt bilis erruginea, vel alii humores, qui excesserunt concoctionem: vt sanguis adustus, vel nimis calefactus, vt transeat in alium humorem. dicitur hæc cruditas per excessũ, quia alij humores non deuenerunt ad propriam maturitatem, sicut si fructus sunt putrefacti, maturi dicãtur: & licet calor decreuerit eos, dicũtur crudi: ita humores in corpore crudi,

qui

qui cum fuerint ex istis faciunt lypothymiam, virtutis suffocationem, quia vbi humor frigidus repentè occupat ventriculum suffocatur virtus, similiter humores crudi per excessum si deuenerint ad vētriculum, cum non egeruntur, faciunt diminutionem caloris innati, & spirituum, qui suffocātur: & quādo exeunt etiam sunt duæ causæ, primo suis qualitatibus, deinde multitudine suffocantur: exeundo autem inanitur caloris, & spiritus substantia: & vtrunq; malum est siue permaneat, siue exeat. ET INGENS FAMES, QVAE BOLISMVS DICITVR, NIHIL ALIVD EST, QVAM ANIMAE DELIQVIVM &c. huiusmodi deliquium per suffocationem fit: est autem bolismos ingens fames præter naturam, & præter necessitatem, quæ contingit ventriculo propter maximam frigiditatem, quia dicebat Gal. de symptomatum causis, cap. septimo, quod fames naturalis fit, cum mēbra attrahunt à venis, venæ ab hepate; hepar à vētriculo: & dum facit attractionem ventriculus, facit corrugationē, & motum, & fames fit naturalis, quia cum motu: sed cum frigiditas ventriculi ea est, quæ facit corrugationem, & attractionem fames ista ægritudo est: modo vbi est maxima frigiditas, vel magna caliditas pungens, & simulans

lans fit fames & corrugatio, quæ non potest tolerari, & dicitur fames syncopalis deducens in syncopam, & dictur bulismos, quasi magna fames. Græci enim cum volunt dicere quandam rem magnam equum, vel bouem appellant. Ideo dicunt hipostilion, scilicet aper magnum animal bos, & equus, bolismus autem dicitur magna fames, sicut bos est magnum animal. Bene isti dixerunt famem syncopalem, quia dicit Galen. nihil aliud est, nisi animi deliquium: quoniam ea ventriculi attractio, quæ fit ob corrugationem est dispositio ad lypothymiam, OMNEM ETIAM VTERI STRANGVLATIONEM IDEM DEFECTVS ANTECEDIT &c. Et facit animi deliquiũ per suffocationem caloris naturalis, sicut vulnus & nõ solùm vteri strangulatus id facit, sed etiam si ad vnum latus, siue ad alterum deflexerit, aut etiã conscenderit. Quid sit iste strangulatus dicamus, præterea quæ possit esse causa tam vehemens, cum vterus sit membrum ignobile, & cum defluit ad vnum, vel ad alterum latus, siue ascenderit faciat lypothymiam, cum sine vtero possit mulier viuere, sicut ego vidi in anathonomia viua, in qua vterũ totum vidi auferri, & vixit mulier illa. si ergo perquiretur à vobis causa, si nescitetis respondere videremini imperiti:

imperiti: præterea ignorata causa, quomodo occurrendum esset nesciretis. Ideo quæratis scire vnde proueniat strangulatus, & defluxio ad latera: notetis quod non fiunt animi deliquia, quia matrix stranguletur, vel astringatur, sed siue stranguletur, siue ad latera mutetur, siue exeat quãtum sit ratione matricis non fiunt accidentia sæua, neq; defluxio est cum syncope, sed quæ sit causa efficiens suffocationẽ, & deliquium animi audiatis, scire debetis, quod retentio menstruorum, & seminis sunt duo, quæ possunt & strangulatũ, & animi deliquium, & mortem facere: sed quando ad latera decumbat, quando etiam ascendat, & strangulatum faciat, & colla plerunque adeo fiant tumefacta, vt credant mulieres matricem deuenire ad locum illum, ratio perscrutans est, causa huius est non matrix, sed vapores, qui ascẽdunt in menstruo retento, aut à semine, retento autẽ sanguine menstruo venæ replentur, deinde plenitudo deuenit ad partes vteri, qui locus illius erat deputatus ad talem expulsionem, & ita repletur totum corpus & maximè venæ circa vterum: quæ repletæ, atque etiam nerui deuenientes ad illum locum dilatantur in latitudinem, & abbreuiantur in longitudine, & dum abbreuiantur retrahitur matrix: etsi repletio maior

erit

erit ad vnam partem retrahitur ad aliam: si æqualis æqualiter trahetur, & tunc fiet strãgulatus, & animi deliquium: quia dum fit retractio illa plurima materia adest in vtero, & in toto ambitu venarum plurimam facit eleuationem vaporum ad cerebrum, ad cor, & ad os ventriculi: qui quidem vapores facientes mordicationes suffocantes calorem, & spiritus syncopam faciunt propter suffocationem, quia ex multitudine, & hæc suffocatio non est adeò perniciosa sicut ex retentione seminis, in quas suffocationes matronæ viduæ incidere solent ex retẽtione seminis, quod retẽtum & multiplicatum putrescit tali putredine, vt fiat venenum, & interficiat mulierem suffocatam. Neq; verò mirandum est ex vaporibus putrefacti seminis tantam vim ad cor deuenire, vt subito faciat deliquium animi, & mortem, si estis memores quantam viam habeat morsus vnius phalangii, vel scorpionis: ex cuius ictu quantula materia emanat, & in tanta est efficacia, vt ad cor deueniat, & faciat syncopam: ita fit in semine retẽto illa aura venenosa deuenit ad spiritus, & facit suffocationem spirituum & caloris innati, & lypothymiam: & tandem mortem: propterea viduæ nostræ ætatísne semen retineãt, & multiplicetur, atq; putrescat sibiipsi cõsulentes

non

non incidunt in huiusmodi deliquium: I N-
SEQVITVR ETIAM QVANDOQVE
VTERI INFLAMMATIONEM &c. animi deliquiuum per viam suffocationis, quia vbi est inflammatio aduenit multitudo humorum ad locum inflammatum, vapores multi eleuantur ab ea multitudine, qui permisti spiritibus & calori innato suffocant calorem & spiritum: præterea inflãmationem sequitur dolor vehemens, ex dolore resoluuntur spiritus, & ita inflammationi duo contingunt multitudo vaporum suffocantium, & dolor vehemens vires deiiciens. Et ideo pessima est inflammatio, quæ si fuerit interna non est mirum si vires immediate cadant. SED APOPLEXIAM &c. Præterea huiusmodi syncope præcedit morbum comitialem, & apoplexiã, illa est per viam suffocationis, apoplexia est cum ventriculi cerebri ob plurimum humorem frigidum intercipiuntur, & clauduntur, & via intercipitur spirituum ascendentium à corde ad cerebrum sine mediante: præterea non est mirum si repente obruit spiritus, & suffocat, ideo contingit in epilepsia, quæ nõ differt ab apoplexia, nisi secũdum magis, & minus non est admittẽda obstructio vẽtriculorum, quę epilepsia via est in apoplexiã. vbicunque igitur contingit apoplexia, vel epilepsia

epilepsia propter subitam suffocationẽ caloris & spirituum fit animi deliquium.

NONNVNQVAM CVM FEBR. ACCESSIONIBVS, &c. Perseuerat. Galen. in enumerandis causis omnibus lypothymię: hoc enim pollicitus fuerat in principio pręcedentis explanationis se facturum, & præter reliqua dixit, quòd solet contingere lypothymia in accesſionibus febrium acutarum, præcipuè si corpus fuerit summe calidum, aut modice plenum, & hæc omnia sunt consideranda: & antequam ad hoc deueniamus, vt causæ redigantur ad sua capita, & videamus vtrum sit ratione resolutionis spirituum, vel suffocationis: primo declarabitur locus iste Galen. vbi dicit qui in accesſionibus, &c. quandoq; contingit syncopa si corpus fuerit summe squalidum, aut immodice plenum. & notandum quomodo velit Galen. quòd ista duo cum sint prorsus opposita, & satis sit hic Gal. obscure describit duas febrium species, quæ ab Auicen. appellatæ sunt altera syncopalis minuta, altera syncopalis humorosa: & ne credatis Galen. fuisse hoc loco negligentem, quia decimo therap. declarat, quæ sunt istæ duæ febres, & nominibus elegãtioribus nõ menstruosis appellat eas., quæ duæ species febrium si inuadunt cum syncopa sunt deter-

rimæ: febris syncopalis minuta inuadit nõ cũ syncopa proprie, sed cũ animi deliquio: & est illa quæ putredine humorum cholericorũ contingit, qui quidẽ humores subtiles sunt, & acres, & mordaces, cum putrescunt, quia tenues sunt. Auicenna barbarè loquitur febrem hanc minutam, quia ab humore tenui, & vt ipse exponit minuto dependet, & hæc est ratio naturæ: illa verò quæ humorosa dicitur, quia depẽdet ab humore pituitoso, crasso, ac viscido tali nomine appellauit eam. Gal. verò citato loco dixit quædã febris inuadit cũ syncopa in accessionibus propter humores acres, biliosos, tenues, ac ardẽtes ad os ventriculi, alioqui debiles deueniẽtes, & occurrẽtes ratione cuius virtus deleretur, calórq; naturalis & spiritus opprimitur: & sequitur SYNCOPE per viam suffocationis alia febris est, quæ inuadit etiam cum syncopa. Sed non propter humores tenues, sed propter pituitam vitream, crassam occupantem os ventriculi & sui frigiditate, & multitudine suffocantis, & causantis dolorẽ, & æstuationẽ caloris & spiritus. diceret aliquis quare in in his febribus accedit syncopa, cum multæ aliæ febres biliosæ sint, vt tertiana simplex, & notha: in quibus tamen non accidit syncopa, aliæ etiam multæ quotidianæ sunt

à pit

à pituita depẽdentes, quæ non inuadũt cum ſyncopa, hoc fit propter duas rationes, & quia licet bilis omnis ſit bilis, tamen latitu dinẽ habet: quædam enim acrior, & ſubtilior, & malignior eſt: quædã benignior ſicut ὤχως ſanguinis qui eſt in primo gradu naturæ bilis: poſtea vbi magis ferueſcit fit ſyncera bilis, ſi poſtea magis aduratur, fit rufa, & vitellina, & ad aduſtas tendit, & teterrimas: & ita iſta bilis, quæ facit talẽ ſyncopam eſt maligna, mordax, & aduſta, quæ deuenit ad os ventriculi, & facit irritationem, & mordicationem: & ita incidit patiens in ſyncopam. In pituitoſa autem ſecus eſt, ſicut humor bilioſus faciens ſyncopam ardentiſsimus eſt, & tenuiſsimus, mordaciſsimúſq;: ita iſte ob ſuam frigiditatem maximã facit huiuſmodi ſyncopã, & ſymptomata per ſuffocationẽ caloris naturalis & ſpirituum. Dicit itaque Gale. in litera in acceſsionibus febrium nonnunquã contingit maximè ſi corpus fuerit aridũ, & ſqualidũ intelligit de illa febre ſyncopali, quæ accidit ab humore bilioſo putreſcẽte: cum enim ſqualidum eſt corpus, tunc os ventriculi paratũ eſt ad omnem iniuriã ſuſcipiendã humoris tenuis, acriſq;, quia cũ ſit ſqualidus ventriculus eſt ab omni pituita locante membranas, & tunicas ventriculi: ita vt

cum accidit bilis, si fuerit ibi pituita, vel alius humor non poterit stimulare, quia nõ immediate cõtingit: deinde pituita sua qualitate contraria cõtẽperat bilem, sicut aqua vinũ ideo non occurrit cum sua vi, sed cũ occurrit squalido ventriculo cõtingit, & facit cõtactum per alterationẽ maximam: propterea quod nihil est ibi, quod contemperet acrimoniam, & sic stimulat vehementer. Cum verò dixit cum corpus immodice plenum, intelligit corpus repletũ humore pituitoso, cum in accessionibus febriũ humor pituitosus accidit ad os ventriculi & sua frigiditate, & multitudine facit suffocationem caloris, intellexit eam febrem, quæ à nouis febris syncopalis humorosa appellatur, CVM FEBRE VERO ARDENTE, ATQVE MALIGNA, &c. tãgit hoc loco, febrem ardentem & malignam, dicitur febris ardens, quæ à qualitatibus manifestis contingit, sicut ea, quæ à Græcis dicitur causos, à nostris ardẽs, & rectè, est enim vnum & idem vocabulum. febres igitur ardentes & causi procedunt ab ipsa bile putrescente in venis, & quia bilis ardentissima est in natura sua cum putrescit, & intra venas est, facit acutissimas febres, quæ terminantur in septima vel ad mortem, vel ad salutem: quia nõ potest facere moram tan-

tus ardor in corpore, quin faciat mortem, vel ad salutem terminetur: & tantus est ardor sæpe maximus in corpore delicato, vt resoluat calorem naturalē & spiritus propter maximum feruorem igneum, & excutitur calor & spiritus, sicut à magno igne consumitur parua flamma: & tales incidũt ter, & quater in syncopam, & opus erit cum aceto, & aqua rosata, & cum modico vino labia mollire, & oportet continuò reficere: & isti vulgari lingua Italica dicunt accesserunt de angoscia, in angoscia: febres verò malignæ eædem sunt: differunt autem ab ardentibus in accidentibus: fiunt enim malignæ cum accidentibus, & massa sanguinis in aliqua parte intra venas putrescente: hoc autem non contingit, nisi propter maximas obstructiones, & ob maximam aliquam humiditatem, & tandem ob maximam causam facientem putredinem, & febrem. Itaque putredo facit hoc nempe humorem malignum, imò putredo accedens humori facit venenum de locis affectis. febris ergo adurens dicitur propter maximum calorem, & ab vtroque fit syncopa: & cum putredo in corde confirmata est, cadit virtus, & suffocatur calor à putredine maxima in corpore existēte, & ista syncopa fit propter suffocationem caloris & ideo

quotiescunq; accedetis ad istos in mane pulsus apparebit validus, vesperi erit omnino pulsus & virtus deiecta. ET QVIBVS PER febrium accessiones extrema vehementer refrigerata sunt, &c. Licet hoc loco Gale. breuis colligat totam medicinã in principio accessionũ corpora ita vehemẽter refrigerentur, incidunt in syncopã: & statim erit necessarium occurrere illi frigiditati, & hęc per viam suffocationis: quia semper contrarium expellit contrarium, vbi refrigescunt extrema vehemẽter, est paucus calor in corpore: à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio, & cum fuerint duæ qualitates inuicem agentes, & vna corrumpat aliam, à parte illius qualitatis, in qua est proportio maioris inæqualitatis, prouenit actio, altera patietur. Igitur vbi calor debilis esse, & vehemens frigiditas cum sint duæ cõtrariæ qualitates se expellẽt, & cum ex parte frigiditatis sit proportio maioris inæqualitatis extinguet calorem naturalem, & inducet syncopam per viam suffocationis, & quandoque mortem, nisi occurratur: QVIPPE VEL OB inflammationes vel iecoris, vel stomachi maximè febricitant, &c. Quicunque habent inflammationem in visceribus, & febricitant propter huiusmodi inflammationẽ siue fuerit a sanguine,

guine, siue à bile modo fuerit in viscere anteriori in principio accessionum, cum febres istæ habeant accessiones, augetur inflammatio propter accessioné, propter nouam materiã calor naturalis impetũ fluentis materiæ non tolerat, & cum sit debilis obturatur, obruitur, & suffocatur, & incidunt homines in syncopam, sed quoniã hic est vnum in quo possetis errare. dicit Gale. hoc loco, vbi fuerit inflammatio in principiis accessionum fiunt quandoque syncopæ. sed modo dicet quis, vbi fuerint inflammationes in ventriculo, aut in hepate, & in membris naturalibus? nõ potest esse, quia perpetua, & continua febris in illis corporis necessariò inest. Quid ergo dicere debemus in accessionum principio? quoniam accessiones, & paroxismi non accidunt in febribus verè continuis, vt in illis, quæ accidunt ex inflammationibus hepatis, vel ventriculi in hac difficultate oportet meminisse eorũ, quæ antea præmisimus: cũ nonnulli ex modernis distinguant febres continuas, vt febrim ardentem, vel syncopalé ad hunc modum: febris ardens & continua nomine illa dicitur quum putrescit humor in magnis venis prope cor: cum verò in aliis venis putrescit nõ prope cor sunt cõtinuæ, nõ ardentes, sed proportionales de cholerà: &

hoc propter malum intellectum verborum Gale. in secundo de crisi, secundum modernorum computationem cap. 6. vbi de febribus continuis loquitur. febris continua est, quæ habet duplicẽ differentiam, quædam est cõtinua ad hunc sensum, vt paroxismus incipiat in principio febris, nec desinat, nisi vsq; ad crisin, vel ad vltimum febris, vel hic paroxismus perseuerat in eodem tenore à principio ad finẽ, vel procedit declinando, vel incipit leuis & procedit augendo vsque ad statum: omnes tamen dicuntur cõtinuæ, & vnus est paroxismus, & vna accessio: & hoc facit febrem cõtinuam, in qua est vnus tantum paroxismus. Continuæ verò quæ faciunt exacerbationem, & accessionẽ non sunt verè continuæ: primo non differunt, nisi ratione multitudinis materiæ, & constipationis, quæ paucam habeat materiam, & poros apertos: incipiunt magnæ, & procedunt diminuendo: quia natura habet victoriam suprà materiam, & plurimum resoluit: illa verò perseuerat magna vsque ad statum cum humores, & obstructiones sunt æquales virtuti ita, vt quando incipit putredo tantum distribuitur & resoluitur, quantum putrescit: nec pori sunt ita aperti, vt plus diffletur, quam putrescat: quãdo verò procedit augendo signum est, quod

obstru

obstructiones ita magnæ sunt: vt plus putrescat, quam diffletur per halitũ, & augeatur febris: quia putredo inualescit, nec potest difflatio fieri, quia pori obstructi sunt; & tunc procedunt augendo, donec humor decoquatur, subtilietur, pori aperiantur, & difflent: & hæc est febris continua, & tunc vel potest contingere à tenuiori parte sanguinis, & illa propriè dicitur synocha, vel à bile syncera, & illa dicitur causos, ita vt synocha & febris ardens sunt verè continuæ continuate, & procedunt vel augendo, vel diminuendo, vel semper in eodem permanendo statu, & in istis sicut in erysipelate confusi sunt moderni, & Paulus, & Aëtius, quod synocha procedit à putredine sanguinis. dico quod si per sanguinem verum sanguinem intelligunt falsum est, & est contra Galen. secundo de diff. febr. secundo. vbi inquit synocha fit ex putredine bilis: quare dixit ex putredine bilis? quia non procedit ex syncera bile, quoniam procedit ex ichore sanguinis, tandẽ hoc tenere debemus, quod synocha fit ex putredine tenuioris partis sanguinis, quam partem ichorem appellamus, quæ pars sanguinis dicitur bilis, cum non ita exquisite volumus loqui, sicut Galen. ibi, cum dixit synocham fieri ex putredine bilis, cum tamen. 9. therap. dixerit,

xerit, quod ex parte tenuiori sanguinis procedit, siue ergo febris ardens sit, siue synocha semper sunt illæ verè cõtinuæ illis tribus modis dictæ, siue modo putrescat materia in locis propinquis cordi, vel in aliis locis nõ differũt, nisi secundũ magis & minus, & à vi mineræ differũt cũ putrescit humor biliosus prope cor ardentior est: cũ in venis longinquis cordi mitior est, modo & alia febris est, quæ etiã ipsa cõtinua est, quæq; nõ desinit ad infebricitationẽ, sed dicitur cõtinua ad istũ sensum, quia nullũ est tẽpus in ea, quo non sit febris. propriè verò cõtinua, tũc nõ est: quia ea sunt cõtinua quorũ extrema sunt vnũ: vt Ar. in lib. de gen. oportet ergo ad hoc, vt sit febris continua, quod sit vnus motus cõtinuus: vnus autẽ ille motus cõtinuus est, q nõ habet extrema simul, sed vnita: & sic illa febris cuius paroxismus vnus est, continua est: cũ verò paroxismi simul sunt, nec possit assignari tẽpus inter paroxismũ, & paroxismũ sed vnus annectitur sequẽti dicitur cõtinua improprie, sicut illa, quorũ extrema sunt simul agglutinata, vel cõnexa improprie dicũtur cotinua: etsi forte fortuna cõtingat, vt plurimi paroxismi simul sint à medicis febris continua appellatur: sed si tres, vel quatuor febres erũt complicatæ, quia paroxismi sunt tam

crebri, vt vnus inueniat alium, dicetur à medicis febris continua, sed improprie. His stantibus quid voluit dicere hoc loco, cum dixit in inflammationibus iecoris, aut ventriculi. IN ACCESSIONIBVS FEBRIVM, &c. si contingat animi deliquium quomodo fiunt accessiones? si febres in inflammationibus fiant necessariò continuæ, quia cum adsit putredo in locis vicinis cordi, necessariò putredo accedit ad cor, & fit febris continua. Notetis febris quæ dependet ab inflammationibus, vt accidẽs licet sit continua, non tamen continua continuitate est: sicut cum humor putrescens in venis est: est enim continua, quia continua est causa: & effectus continuus, nec desinit nisi putredo desinat: sed in istis febribus, quæ sunt ab inflãmationibus idẽ contingit dicebat Gal. in text. & in secundo de dif. feb. quod in inflãmationibus oculi sunt per periodos quod est: nam cum membrũ mandans humorem colligit, etiam habet in se copiã quandam determinatam, quam non potest amplius tolerare, expellere conatur, & membrum recipiens iterum aggregatur in tanto tempore, quia permanet eadem res victus, idem membrum, eadem cæli constitutio, vt non possit amplius tolerari, & tunc insurgit denuo ad expellendum,

lendum,& fiunt huiusmodi periodi:ita etiã in inflammationibus in humido corpore existentibus fiunt in eis aliquæ periodi materiæ expulsæ ad locũ inflammatum:& inflammatio est inter fluxiones,vt in secundo huius habetur:ideo cum inflãmatio fit,necessario membrum mãdans,& mẽbrum recipiens est: habet autem periodos,quia illi humores habent periodos, & fiunt tales, qualis est humor.ideo in pleuritide febris est continua,ita tamen vt habeat accessionem de tertio in tertiũ,quia vt plurimum talis est materia,quæ putrescit.si autẽ à sanguinis putredine deuenerit habet easdem periodos,quia cum tenuior pars sanguinis putrescit,habet naturã bilis.si verò alij humores putrescant habent suas periodos,vt plurimum,& sunt accessiones tertianę,quia aut plurimum habet suas periodos.sed sanguis biliosus,vel pars tenuior sanguinis facit pleuritidem.hoc est ergo,quod dicit Galen.in principiis accessionũ febrium ab inflammatione pendẽtium quãdoq; fieri syncopam:& ratio est,quia cum in tẽpore accessionum moueatur materia ad locum,& augeatur inflammatio maxime si circa hepar,vel circa ventriculũ fuerit propter maximum consensum,quem habent cum corde per venam cauam,& arteriam fiunt syn-

cop

copæ; quoniam suffocatur calor, & illiduntur spiritus. CONFERTIM VBI CRVDI MINIMEQVE CONCOCTI &c. vbicunq; sunt tales inflammationes, facillime in principiis accessionum animi deliquia cõtingunt, sed præcipue hoc erit, vbi humores crudi, vel minime concocti redundant: non credatis quod Gale. inutiliter idẽ repetat dum dicit CRVDI &c. græcus codex sonat omachiæ auctomos idem sonat apud græcos, quod crudus per defectum: cũ per metaphoram dixerũt poetæ crudam senectutem, quæ nondum attingit finẽ senectutis. non cocta verò, quæ non attingunt concoctionis finem, qua fuerunt assata, siue combusta, siue putrefacta: quod ostenditur per terminũ illum infinitũ, quia apud dialecticos nihil ponit in re. crudum igitur illud dicitur, quod non deuenit &c. non coctum quod nõ est assecutum finem, sed excessit quicquid sit illud: ideo bene dixit crudi, & non cocti: crudus humor est pituita, non coctus bilis assata, & humores omnes deprauati: voluit tangere vtrunq; istorum terminorũ: hinc fit syncopa pessima, si fuerint humores crudi, vel assati: & hoc probabile est, quia si fit missio ex impetu humorum ad locum quãto magis repletũ erit corpus in cutim faceret, & tanto magis suffoca-

foca

focatio caloris,& syncopa causabitur.

ANIMO ETIAM DEFICIVNT, QVIBVS OS VENIT &c. Prostat Galen. in enumerandis deliquij animi causis,& nō erit aliud officium nostrum, nisi reducere ad sua capita per methodum omnes causas explicatas à Galen. dicit igitur quod etiam contingit quandoq; deliquium animi, vbi os ventriculi fuerit imbecillum in primis verò duas, vel tres affert causas: prima est propter imbecillitatem ventriculi, secunda propter humores acres,& mordicantes os ventriculi: tertia propter humores crassos. quo ad primū potest esse imbecillitas ventriculi, & reliqua possunt esse imbecilla membra: quando non exercet opera propria sicut oportet,& sic in actionibus deficit, imbecillitas ista est vel ratione intemperiei, quæ illi accessit, vel malæ compositionis, vel ratione solutionis continui. probat igitur Gale. aliquando contingere syncopam ex imbecillitate ventriculi: scitis enim quod vbi est imbecillitas mēbri, excremēta, quæ fiunt in fortioribus, transmittuntur ad illud, vt inquit Galen. secundo de facultatib. naturalibus, siue dico fuerit orta vel ratione malæ cōpositionis, vt quia humor aliquis cuiuscunq; generis, vel aliqua ventositas inter tunicas, siue etiam sit so-

luta

ſuta continuitas, vel intemperies quæ contingit frequentius, & plerunq; frigida, aliquando etiam calida: cum ratione imbecillitatis non exercet operationes ſuas, & ſic contingit ſyncopa ex imbecillitate ventriculi. ſed nunquid per viam ſuffocationis, an reſolutionis contingat? poteſt ratione cuiuſcunque contingere, ſi fuerit imbecillitas in virtute contentiua, vt quicquid apponitur egeratur, & corpus pluſquam oportet euacuetur, tũc ſequetur deliquium propter inanitionem, & ſic per viam reſolutionis. Si verò concoctrix imbecillis ſit, generat humores crudos, fit in ventriculo frigiditas, per viam ſuffocationis cauſatur animi deliquium. ideo qui dicunt per ventriculi imbecillitatem fieri ſyncopam, vel dicunt, quoniam oportet ſcire quod non tantum imbecillitas ſit, ſed in quo genere actionum, an in attractione, vel in retentrice ſit, vel concoctrice, vel expultrice, & tunc ſcietis vbi deficiet actio: ſi aufertur, aut diminuitur, quod frigus eſt: ſi corrumpitur caliditas, cum ita fuerit an ſit per reſolutionem, vel propter ſuffocationẽ, & hoc multum refert, quia ſunt cauſæ oppoſitæ, dicit Gale. aut loquendo diſiunctiue ad veritatem cuius ſufficit vltimam partem eſſe veram, AVT VITIOSIS SVCCIS &c.

Et de

Et deprauatis, aut non crudis cruditate per defectum, sed per excessum potius: qui quidem est tum propter qualitatem factam à putredine, quia sciuistis quod putredo qualitas est adueniens humoribus contrariæ naturæ, ratione cuius resoluitur calor & spiritus, sicut etiam ratione mordacitatis, vel salsedinis punctio, & mordicatio ventriculi fit. si igitur vitiosi humores sint ratione putredinis deuenientis ad ventriculum, qui causent syncopam, reducetur ad suffocationem, quia putredo suffocat, si fuerint humores acres ad resolutionẽ reducetur, quia excitant dolorem, & dolor est vna ex causis resoluentibus calorem & spiritus per viam resolutionis & inanitionis: si autem habuerint vtranq; qualitatem, acrimoniam inquam, & putredinem, tunc fient paruæ syncopæ, quæ sequuntur febres syncopales minutas, in quibus occurrit humor putrefactus ob segnes, & humores acres, quia biliosus humor est, qui putruit quem humorem perpetuò concoquit. at erosio est: igitur ista causa secunda, & syncopa ista erit per viam resolutionis propter acrimoniam, & per viam suffocationis propter putredinem, AVT A CRASSIS AVT GLVTINOSIS VEL FRIGIDIS HVMORIBVS &c. ista est tertia causa cum humor

eras[

crassus, & viscidus accedit ad ventriculum, & tunc per viã suffocationis contingit syncopa. NONNVLLI VEHEMENTIVS CVM AFFECTIBVS OMNINO DEFECERVNT PRAECIPVE SENES &c. Persistit in sua enumeratione per catalogum, & inquit quod non accidit syncopa propter animi accidentia, quæ exterminat ad contrariam temperaturã aliqui lætitia, & præ nimio gaudio mortui sunt. Quomodo igitur nõ incident in syncopam si cõtingit ipsis moriuntur & ista syncopa ad quæ reducetur, debetis distinguere, quæ sint accidentia: si accidentia propter nimium gaudium, moriuntur isti repẽte, quia resoluitur calor innatus & spiritus, quia intra se ruunt, in gaudio egrediuntur ad circunferẽtiam. si verò contingit tristitia spiritus trahuntur ad cor, & præ nimia copia suffocantur. dixit præcipue senes, quia senes tales habent modicum calorẽ: at spiritus debilis facilius extinguitur, sicut ignis paucus extinguitur. præterea alimẽtum senum ferè semper malum est & paucum, quia pabulũ illud est veluti aqua, & ardet. est ergo paucus calor senum in substãtia & in paruo pabulo: etenim ipsorum nõ pauci ob memorẽ lætitiã & excandescentiam sunt mortui, & hæc possunt causare mortem, quid mirũ si syncopam? ita

vtrunq; facit: facit enim vt calor & spiritus habeant diuersos motus. primo deducuntur ad interiora, vt succurratur cordi, & per subitum aduentum suffocantur: præterea subitò postea expanduntur, & ita causatur resolutio spirituum: propterea iracundia maximus motus est, NONNVNQVAM VAPORES &c. Affert & aliã causam propter vapores, ratione quorum contingit, vt fiat deliquium animi, & hoc indicat præfocatio omnis ex vtero propter subitos vapores ascendentes ad cor, & syncopa hæc fit, quia calor suffocatur. & ideo syncopa ista reducitur ad suffocationem, & quemadmodum robustioribus immoderati sudores syncopam causant, ita imbecillibus vapores ad cor eleuati syncopam faciunt, causa autem cur sudores immodici facti etiã diaphoretici syncopam causentur est, quia inaniunt calorem & spiritum, nec persistunt, donec deducãt ad syncopã. PRAETEREA ABSCESSVS ERVPTIO &c. Hæc est alia causa, quæ potest facere syncopam: & notetis, quia quæcunque subita eruptio, & abscessus siue fuerit neruus abscessus in aliqua parte corporis, vt in tibiis cum sit ille magnus vti vter, qui dicitur hydrops, siue aliud fuerit in collo impediens anhelitum ex quorum eruptione incidunt homines in

ſyncopam:& eſt vniuerſale præceptum, ne confertim fiat talis eruptio,& ſi contingat ſyncopa fit, quæ ad reſolutionem deducitur. Hic poſſet dubitari, videtur quod non poſſit hoc contingere, quia ſi talia purgentur, qualia purgari debent, confert & leuiter ferunt : ſed vbi in hydrope aqua euacuatur, euacuatur quod debet. igitur tunc non debet cauſare ſyncopam : dubitatio iſta oritur ex malo intellectu verborum Galen.& Hippo. inquit Hippocrates talia, non quanta, præſupponendo quod quantitas ſit pro ratione virium, modo ſi eſſet materia euacuanda mala,& præter naturam,& confertim eam euacuare velitis, non tolerabitur: ideo quo ad authoritatem ſatis reſponſum eſt: quantum verò ad rationem attinet verum eſt, quod euacuatis humoribus præter naturam, ſi euacuatis pluſquam oportet non toleratur, quia vbi calor & ſpiritus eſt vnitus, vt concoquant & præparent humores, vbi euacuatis confertim multum, & plurimum de ſpiritibus & calore euacuatur. ideo dicunt moderni, nunquam poſſumus euacuare aliquid de nociuo, quin euacuemus aliquid de iuuatiuo: Alia eſt ratio, quia dum fit euacuatio abſceſſus ibi eſt ſinus, nec poteſt dari vacuũ: vbi fuerit repente euacuatus totus humor, plurimus calor

simul cum spiritibus deueniunt ad illũ locum,& exinaniunt partes nobiles dum repletur & sinus,& vacuum: & multipliciter fit resolutio. Ideo dum euacuatur tota materia hydropis,& quia illa concauitas maxima est tanta caloris copia,& spirituũ necessario repletur, vt animus intereat. omnes istæ causæ ad inanitionem reducuntur. bene addit maxime, si fuerit eruptio in partes interiores, quia si est verũ, euacuationẽ puris in hydrope, si exterius erumpit, syncopã facere, nec mirum si interius erumpat, quia non tantũ fit repentina euacuatio, sed etiam si materia illa ad nobiles deuenit partes ad ventriculum,& hepar tunc suffocatur calor & spiritus: quia vbi concurrunt duæ causæ faciẽtes effectum, maxime efficitur:& quia resolutio & suffocatio faciunt syncopam, ideo maxime dum causant mortẽ. SI AD VENTREM ET AFFATIM DEVENERIT &c. Hoc est idem in curatione abscessus, sicut cum plus nimio euacuamus, vel cũ missione sanguinis, vel pharmacia, vel cum clysteribus: quia exinaniuntur spiritus,& calor, subiectum spiritus, nimirũ humores, SED ETIAM VEHEMENTIA DOLORIS VIRTVTEM PROSTERNIT &c. Hoc est manifestum, quia dolor agitat spiritus ad locum decurrentes,& fit resolutio

dum

dum virtus, calor, & spiritus trahuntur ad locum doloris, fit etiã ibi suffocatio, & attractio. Ideo dolores sunt ex illis, qui maxime virtutẽ prosternunt, sicut fœtor: QVIA ETIAM RESOLVVNT ET SVFFOCANT, NIMIRVM &c. Affert Gale. duos acutissimos dolores intestinorum, colicum & iliacum: licet proprie colicus appelletur, qui in colo fit, omnes tamen dolores in intestinis tormina, & iliaci appellãtur, & possunt propter humores acres fieri, quandoq; etiam propter plurimã materiam, crassam, & viscidam, quæ facit tormina: & reducuntur huiusmodi dolores ad resolutionem & suffocationem spirituum, & musculi capitis &c, vbicunq; vulnus est in capite musculi, ratione cuius fit attractio, quia musculi in capite sunt maximi nerui, longe acutior est dolor, & in medio musculo, quia plurimum de carne est, non est maximus dolor ex vulnere ibidem illato sicuti ex capite musculi, qui mouet tibiam, & statim moriuntur, MALIGNO ARTICVLORVM VLCERA &c. Diximus quæ sunt maligna vlcera, febres, & morbos, quæ habent deteriores putredines. GANGRAENOSA ET DEPASCENTIA VLCERA &c. Scitis quod gangræna est vbi vlcus, vel abscessus, vel apostema deueniunt in membro

ad tantam malignitatem ob putredinem, vt suffocetur calor, & membrum moriatur:& cum est in via, vt mortificetur, dicitur gãgræna: sed vbi membrum iam mortuum est dicunt sphocellum, quod dicunt Arabes Astachilon, nostri dicunt sideratione͂,& fortè improprie,& gangręna curatur, sphacellismus non curatur, sed tantum abscinditur membrum, omnia ista inducunt animi deliquium, & in gangræna ad suffocationem reducitur, sed depascentia vlcera vbi habent dolorem per viam resolutionis, & suffocationis suffocant.& tandem omnia reducit Gal. ad duo vel frigiditas immodica, vel caliditas facit syncopam: si caliditas facit syncopam per viam resolutionis, si frigiditas per viam suffocationis, & hoc facit postquam iam enumerauit omnes causas particulares. positis omnibus casibus per historiam nunc per methodum docet illas curare,& quia duo sunt capita omnium deliquioru͂ animi videlicet resolutio, vel suffocatio, ponit etiam duo curationum capita:& primùm docet quomodo cure͂tur deliquia animi per resolutionem, deinde tradit curationem deliquiorum animi per suffocationem. in hoc igitur capite proponit vnu͂ vniuersale omnibus, & inquit tot sunt causæ, quæ à nobis explicatæ sunt, quot à

nobis

nobis curandæ essent: quia à principio diximus symptomata posse curari curando symptomata dimissa causa, vel curare causam, & hæc est vera curatio: vult Gal. vt intelligatis hoc loco rem ita esse: & licet, inquit, omnes istæ sint causæ, & vera curatio sit curatio causarum, non tamen curabimus eas, sed symptomata & reddit rationē, quia non semper licet, quoniam causæ deliquij animi sunt in morbis: tu modo si velles causam curare cures morbum, & hæc est curatio recta. sed si nunc erit febris cum symptomate, curabis eam per se, & hæc est curatio recta. sed si erit febris cū symptomate, quia quando feb. complicatur cum symptomate cura symptomata: exempli gratia, accipiatis febrem syncopalem, quæ depēdet ab humore adusto, nónne audiuistis? quod ille humor mouetur, ad vētriculumq; deuenit, & facit syncopā: modo illæ febres dependēt ab humore illo. Itaq; curatio causę symptomatis est curatio mali. Atq; hoc nō est curare symptoma, sed morbū. nō possunt autem curari causæ propter duo tū quia symptoma nō dat inducias, & tum quia causa symptomatis est causa morbi, & ita oportet curare morbum, si vultis curare causam symptomatis. singulæ verò earum causarum, quas enumeramus propriam desiderant

curationem: nec credatis frustrà enumerasse: quia vera curatio est remotio causæ cum indicatio summitur à natura rei, quæ consistit in suis causis: nam quæ effectibus insunt sine illis curari non possunt, quoniam causæ quæ in morbis quæruntur non possunt curari sine morborum curatione. ideo oportet curare symptoma: sed hic aliquis dicere posset: si non vis curare causas ò Gal. quare fuisti occupatus in enumerandis causis? inquit & ipse docui causas quatenus seruiunt tibi ad indicationes inueniendas rectè curandi, quia indicatio non potest haberi, nisi cognita causa, verbi gratia, sit animi deliquium in corpore aliquo, non vultis curare causam, sed remouere symptomata: quomodo remouebitis, nisi cognoscatis causas? rursus ille docet quo ingenio occurratis: si sint verbi gratia nimiæ euacuationes vultis sistere ventrem, scitis quomodo procedere debetis? quoniam euacuatio nimia fuit causa, debetis restaurare humores & vires, & ita docemini qua via sit prouidendum. His propositis datur exemplum, vt cognoscatis quomodo occurratur symptomati causa cognita. ET SI CAVSAM NON CVRATIS FRIGIDA INSPARGENDA &c. nunc incipit aggredi curationem symptomatũ, ac deliquiorum

cum

cum à resolutione fiunt, & vt habeatis rem per methodum omnia animi deliquia, quæ procedunt ab inanitione & per viam resolutionis, curãtur tribus intentionibus quæ sumuntur à natura rei: nam istius deliquij quod dependet à nimia euacuatione, & resolutione, nec à suffocatione, quoniam euacuat subiectum spirituum & caloris, ex cõsequenti euacuat calorem & spiritus: si hoc est quòd omnis morbus ex nimia euacuatione penitus repletione sanetur, etiam qui erit ex repletione per inanitionem tolletur. Et ideo Hippo. dixit medicinam esse superflui euacuationem, & deficiẽtium additionem: præterea cum in euacuatione ista tria contingãt, primo si inanitio multa fit, oportet restaurare: secundo si tanta fit inanitio, oportet vt humor ille, quod inanitur, diuertatur ad aliquam partem, ne fiat impetus: tertio quando in huiusmodi euacuationibus spiritus & calor naturalis per halitum difflatur, & resoluitur, oportet constipare meatus cutis, & omnes alios meatus, per quos potest pertransire spiritus & calor exiens: & ita coercetur, ne tam facile diffletur. tria igitur sunt à nobis agẽda. primo restaurare deperditum humorem, secundo ad oppositum trahere, tertio coercere meatus, per quos spiritus resoluuntur & difflantur: hęc

omnia facit Galen. primò à coertione spirituum incipit. & inquit frigida aqua inspargenda, & summa arte ab huiusmodi arctatione incipit, quoniam prius spiritus coercendi sunt. cohibentur autem tali aquæ inspersione, quoniam meatus cutis constipantur, per quos spiritus difflantur, & inaniuntur, qui per inanitionem rarefacti sunt. Et ideo aquæ frigidæ inspersio cum aceto, & permista non parum conducit, quoniā acetum facit magis aquam penetrare, constrictioq; ad profundum detinet: propterea vt propter inspersionem cōstrictio fiat, aspersio cōmode cum aceto, & aqua rosacea fit: vbi autem ista feceritis si perseuerat deliquium animi: & inanitio diuersiones facietis: & vbi videtis materiam raptam ad oppositam partem diuersiones facietis: & si per superiora raptum habebit ligamenta facietis in partibus inferioribus & circa pedes: si superfluum erit ad inferiores partes ligare superiores debetis: & si erit fluxus sanguinis narium ligare inferiora debetis, & ad oppositam trahere eius partē, & semper respicere consensum venæ de loco ad locum, scilicet eligere locum, qui habet consensum venæ, & cōmunicat cum loco à quo trahitur, puta cum vultis trahere sanguinem ab vtero ventosas applicabitis in mamillis, & efficacissimè

eacissimè aduertetis, propterea quod duæ venæ magnæ tendunt ab vtero ad mamillas, per quas materia diffluens ad vterum commode trahetur ad superiora:& ita cum sanguis profluit à nare verbi gratia, dextra applicabitis cucurbitulã hepati, quoniam vena ascendens vbi est prope clauiculas vnã insignem diuisionem facit, & pars illius venæ rami ad brachia deueniunt, & tandem vnus maximus ramus ascendit & facit venas illas, quæ iugulares appellantur, quæ ascendunt ad cerebrũ,& ab illis ramificantur venæ, quæ ad nares deueniunt. ideo cõmercium maximum est inter hepar, & venas nariũ. cur verò si à sinistra nare sanguis profluat applicandæ sint ventosæ spleni? credo quod Aedipus non declararet difficultatem hanc:& si Gal. bene considerauit optimum erit,sin minus adhærebo homini,qui velit me docere,quomodo sit iudicandum. dixit ille qui ex cholera, & alui profluuio (ratione exempli postea regulã vniuersalem proponit),aut ex nimia euacuatione in syncopam incidet, aqua frigida inspergendus est,& nares apprehendendæ. & venter perfricandus est, ac vt euomat irritandus. quantum ad aquæ inspersionẽ, & ad narium compressionem rectè videtur dictum, & nos reddidimus causam, & rationem : sed quod

ventriculus perfricādus sit, & vomitus prouocandus videtur non esse rectè dictum. quid enim faceret? diceret aliquis, hic ad syncopā ratione nimiæ euacuationis nónne magis irritabitur? & nolitis dicere hoc pro diuisione esse, cum materia descendit inferius, hæc esset curatio ad profluuium. nunc idem docet curationem propter nimiam inanitionem, modo cholera tenderet ad superiora lacesseréśne vomitū? nequaquam. cum ergo dixit Gal. os ventriculi perfricandum, item & vomitum prouocandum: notetis quoniam volumus, nos exercere artem, nullum videbimus deliquium sine maxima æstuatione stomachi, imò æstuatio ipsa initium est, & in æstuatione recurrunt ad ventriculum humores, & quando diu erunt ibi humores fouebunt deliquium. ideo habenda est ratio ventriculi in omnibus syncopis propter maximum cōsensum, quem habet cum corde. cura igitur est habēda ventriculi, quoniam neq; contingit deliquium animi, quin plurimi humores decurrant in æstuatione illa ad ventriculum, & si erit maxima æstuatio, & non possit vomere, debetis os vētriculi perfricare, vt deponatur materia inferius & incipietis à leuioribus, & liberetur vētriculus ab humoribus mordicātibus, & sensim fiet vt deprimat' versus fun-

dum

dum:at si res successerit bene erit,sin minus prouocandus est vomitus,vel penna,vel digito:quia postquam euacuatus erit humor cessabit.dixit fricandum os ventriculi, aut prouocandum esse vomitum, & si cessabit vlterius non procedetur. SED MANVS, ET PEDES VINCIENDI &c.hactenus docuit quomodo sit occurrendum inanitioni per cohibitionem, & corroborationẽ spirituum,nunc docet quomodo occurrendum sit per auersionem,quæ est secunda intentio:manus quidẽ plurimis vinculis cum inferius materia profluit, aut cum patiuntur partes superiores crura plurimis ligaturis stringenda sunt. NAM CRVRA &c.hoc est notum,vehementer liganda,nam quælibet ligatura non erit sufficiens, sed oportet vt sint ligamenta vehementia.dicunt moderni dolorosa, nec dimittetis membra ligata,sed vbi ligaueritis faciendo dolorem, & ita sistetur euacuatio,refocillabuntur vires: INVENIENDVS ENIM PARTIS SITVS EST,&c.hic docet Galen.collocare corpus in tali situ,vt materia faciẽs profluuium in cõtrarium tendat, verbi gratia, si occurritis homini patiẽti hæmorrhoidas, vel mulieri patienti fluxum menstruorum, vbi perseuerabit fluxio, habebitis, vt illa mulier, vel ille vir habeat quendam situm, quo

quo omnes istæ partes superiores sint sublimes, & caput depressum valde: ex eo enim situ deuenit sanguis ab inferioribus ad superiora: si verò erit fluxio sanguinis ex naribus debetis mutare situm, & facere, vt partes sublimes sint procliues, & tandem facere deductum commodum ad auersionem materiæ, ita tamen vt huiusmodi situs non sit cum dolore: si autem incõmode maneret, tũc ex situ cum dolore plus mali faceret situs, quam si inclinaret ad eũdem locũ, quia tunc tentaretur longe magis fluxio. IN SVMMA AVTEM AD EA REVELLERE OPORTET &c. & tamen affert aliud documẽtum eligere optimum situm, sed locum ad quem facitis attractionẽ, qui habeant cõsensum cum membro, cum quo trahetis, ita vt membrum à quo, & membrũ ad quod habeant consensum, ET CVCVRBITVLAE MAMILLIS, vult hic Gal. ostendere &c. Deuenimus ad illam partẽ in qua habetur SANGVIS VERO EX NARIBVS, docebamus quomodo erant fluores auertendi, qui tendunt ad mulieris vterum, & ad hæmorrhoidas, nũc autem quod per oppositum semper aduertere debetis, fluxionem quippe à naribus per partes oppositas trahetis conuenientissime: & si fluxerit sanguis è nare dextra debetis

appone

apponere cucurbitulam in dextro latere: si è sinistra, in regione splenis, quoniam hoc faciendo seruatis quæcunq; seruari debent in qualibet fluxione. diximus supra quēadmodum duo erant obseruāda, primū vt trahatur ad partem oppositam materiæ, vti si fluxio esset deorsum, sursum traheretur: si sursum fiat deorsum attractio: secūda conditio erat, vt haberetur ratio cōmercij, quo quidem vasa cōmunicant inter partem, ad quā fluxio tendit, & à qua fluxio fit: tertia cōditio erat, vt seruetur rectitudo lineæ vasis, & illud est quod dicebat Hipp. κατ' ἴξιν, & hæc erat ratio, quare Auicēna ænigmaticè dicebat quod debetis vnam tantū diametrū seruare in attractione, scilicet rectitudinē lineæ. Cum igitur ista sint seruanda, videtur q̃d in huiusmodi attractione quādo fluxio est à nare dextra, quod si vos applicabitis cucurbitulas in dextro latere seruetis has tres conditiones: prima appositè est situs, nasus enim est in superioribus partibus, hepar in inferioribus: seruatur etiā altera diameter, vt dixit Auic. in rectitudine lineę: tertia autem conditio seruatur, quæ est cōmercium venarum, quoniā nemini dubium est, quod maximum habent cōmercium. scitis enim quod vena concaua ex gibbo hepatis exiēs deuenit per rectum ad spinā, & ramus vnus

ascend

ascendit, alter descendit, dum maior ramus ascendit ad bifurcationem iuguli hinc inde bifurcatur, & ad nares deueniunt venæ à capite. & ideo cum dextro latere nares habent commerciũ, maximè pars dextra, & ita seruatur rectitudo oppositionis situs, & consensus venarum: & quo ad hanc partem nulla est dubitatio. vbi verò sanguis fluat ex sinistra nare, videtis hic pari modo contrarietatem situs inter narem sinistrã, & lienem: præterea seruatur rectitudo lineæ æqualiter. tertia conditio quæ tam celebrata est à Galen. consensus est venarum, & vasorum, qui consensus est inter lienem & narem sinistram: nam quædam venæ quæ nutriunt lienem transierunt à parte hepatis, quæ est in concauo ipsius, in lienem & conuenienter hoc fit, cum lien nutriatur ab humore melãcholico. Et cum in sanguine sint duæ partes præcipue superfluitates, videlicet pars spumosa, & amara, quæ habet vas vnum peculiare, in quo expurgatur antequam sanguis ad concauam venam deueniat. & ideo adnascitur vesica fellis hepati: præterea idẽ ille sanguis partem alteram feculẽtam acidam, & naturæ inimicam emittit: propterea natura habuit aliud mẽbrum antequam sanguis purus deueniat ad concauam hepatos partem, quo expurgatur, & illud est lien

lien seruiens hepati, qui trahit ad se fecē illam, & nutritur ab illa: propterea non eget alia vena à caua, vt nutriatur ex ea, quia nutritur ex venis decurrentibus à vena porta, quæ & plurimæ sunt, & magnæ si ita est, vt ex anathome probatur visu, quis modo consensus erit inter lienem, & narem sinistram? quare ergo dixit Galen. fluente sanguine à nare sinistra apponi cucurbitulā lieni? Nam hic nullum est commercium venæ portarum cum venis sinistris: secus autem si fluerent hæmorrhoides, quia tunc seruaremus ob maximum commercium maximam vasorum conuenientiam, & maximam faceremus attractionem: at in fluore ex nare sinistra quo ad consensum venarum nulla ratio est, quod cucurbitula applicata lieni attractionem faciat. quid igitur dicendū hoc loco? si recurrimus ad arcana naturæ, & quid dicebat Hipp. est vnius membri cum alio consensus, & non tantum venæ consentiunt, sed etiam nerui, carnes, & musculi simul habent conspirationem, & mutuum cōsensum. ideo vbi fit attractio per lineam rectam, & si vasa non consentiant omnia, quæ habēt mutuam conspirationē in membris, demandant excrementa ad illam partem propter communem consensum, & sic dicere possumus si præter alia duo consen-

sus etiam venarum adesset, certissimè faceret suam operationem, sed etiam si non accesserit consensus ille venarum, tamen illa duo primo debent seruari, quod videtur fecisse cum dixit autor dolente capitis posteriori parte vena frontis incisa dolorem sedat; ibi adest cõtrarietas situs, & rectitudo: sed consensus venarum inter partem anteriorem & posteriorem nullus adest: nihilominus Hipp. medicinæ fundator iam facit, & experientia videmus idem; propterea nõ potestis aliter dicere, sicut experientia docet si fluat sanguis à nare sinistra cucurbitula apposita in regione lienis optimam facit attractionem. ideo si qua ratio reddẽda est, hæc est, quod conspiratio in toto corpore est, & vbi seruatur rectitudo lineæ, & oppositio situs commodè fit attractio, & hoc modo saluabuntur Gal. & Hipp. quando stante inflammatione in pleuritide in sinistro latere ab eodem latere faciunt missionem sanguinis à vena iecoraria sinistri lateris, licet venæ nutrientes costas inferiores deueniant à vena aiuga quæ in parte dextra situata est: & propterea semper sectio facienda est à parte dextra, quia vena sine pari rarificatur à concaua in dextro latere, vbi semper sanguinem mittere, tamen Hip. & Gal. sanguinem mittunt in sinistro latere, & ibi non est

venarum

venarum consensus.sed quia alia duo maiorem præstant vtilitatem, oppositio situs, & rectitudo lineæ,quæ sit vtilitas,quã habent ex consensu venarũ? est,vt longe maior fiat diuersio. VINVM QVOQVE AQVA GELIDA DILVTVM, &c. Dicebamus tria esse,quæ requirũtur in tollendo deliquium animi, quod oritur ex nimia inanitione: habuistis duo quomodo debeatis calorem primo reuocare, deinde auersionem facere, tum quo nam pacto restaurandæ sint vires ægri, audiatis, & inquit dare vinum,maximè conuenit.quia dicebat Hippocr. secundo Aphorismorũ,Apho. vndecimo, vbi dicebat facilius est impleri potu, quam cibo. Gal. in commento alibi dixisse Hippocratem,quicunque restauratione indigent humorem potissimè remedium est optimũ, quale est vinum tenue, subtile: quia nutrit corpus citissimè:& an euacuationibus immodicis resoluuntur vires, propterea bene proponitur vinũ celerrime alit corpus, non quia alia non nutriant, sed quia vult quàm citissimè nutrire: etsi adhuc citius reficiendæ vires essent, odoramenta essent exhibẽda.ideo dicebat Gal. in cõmento illo quãdo res vrget vinũ non sufficit, odoramẽta sunt applicãda naribus, quoniã spiritus & calor naturalis plurimum nutriun-

tur odoramentis: quod si vinum fuerit stomaticum tunc explebitis omnes numeros. dixit aqua frigida contemperandum, & rectè: quia si vinum calidũ est, & calidi sit dilatare maior adhuc fieret caloris dissolutio, nisi sit quid concentrans calorem naturalẽ. aqua verò frigida, vel frigidum vinum ratione frigiditatis actualis concentrat calorem, qui detinetur à frigido circunstante, & ita vinum simul nutriet & calorem detinebit, ne dissoluatur, maximè si ad vẽtriculũ, fluat fluxio, & hoc semper verum est quod fluxio fit ad partes imbecilliores: & si vultis remouere fluxionem debetis roborare partes, ad quas fit fluxio: ideo debetis vti vino si fluxio repat ad ventriculum, quia ex eo corroboratur ventriculus, & non fit ad eum fluxio, propterea quòd vinum præter id, quod nutrit sistit fluxionem. CONSIDERANDVM EST AN ALIQVID SIT QVOD PROHIBEAT, &c. Quoniã Gal. admonet nos in syncope, quæ cum febre est vinum præbere, sed quia rarò contingit in febribus cum syncope, vt exhibeatur ratione cruditatis existentis in humoribus, vel ratione doloris, vel delirij: præterea febris cum syncope habet semper ferè inflammationem ventriculi. ideo admonet nos & inquit, ego quidem cõsulo, vt exhibeatis vinum,

num, nisi adsit impedimentum, vt si esset dolor capitis, quia vinum cum calidũ sit euaporat, & tunc augeretis dolorem, & dolore syncopen, quia resolueret spiritus. præterea si aderit delirium caueatis, quoniam fieret phrenitis, & tunc si fieret cum febre nónne deploratus erit? præterea si fuerit inflammatio caueatis, quia cum vinum tenue attenuans sit, humorem attenuat in corpore, & vias aperit: humores autem liquefacti decumbent ad locum debiliorem, ad partem inflammatã. Postremo si fuerit humor crudus, cum sit perpetuò verum cruda non esse mouenda, nisi cõcocta sint. cauendũ est igitur à vino, quoniã magna sequũtur incommoda vt audiuistis. QVOD SI NIHIL PROHIBEAT, &c. Vbi nihil prohibet nõ debetis adhuc exhibere vinum, nisi quidem docebimus: scitis enim quòd quemadmodum quid agendum sumitur ab essentia morbi, vel symptomatis: postea debetis cõsiderare quomodo sit agendum, & hoc non docet natura morbi, sed quia semper docet ipsa eodem modo esse agendum, syncope semper indicat esse agendum cum vino: sed quomodo sit exhibendum non docet. SED TEMPERATVRAM, MORES, ET NATVRAM PROPRIAM, &c. Hoc loco affert rationẽ exhibendi vinum secundum

modum illarum conditionum à nobis traditarũ. vult itaq; exhibere vinum: sed an calidum, vel frigidũ, inquit à natura propria, quam diximus esse proprietatē indiuidualem desumi debere, aliqui sunt quibus si exhiberetur quid frigidũ inciderent in singultum, aliqui si quid calidum vomerent: præterea consuetudo consideranda est, aliqui sunt assueti bibere vina frigida, & prosunt: aliqui non sunt assueti. ætates etiã sunt considerandæ, si esset aliquis senex in vltimo senio constitutus, si exhiberetis ei vinum frigidum destruetis calorem naturalem: temperatura etiam aëris est consideranda, in maximis frigoribus vinum frigidum non exhiberetis: in calidioribus non tuto calidum. His consideratis non errabitis in modo exhibendi: naturam intelligit hic Galen. pro temperatura; QVOD SI VENTRICVLVS FLVXIONE TENTETVR, &c. Postquã ostendit Gale. quid agendũ à symptomate, & quomodo agendũ sumpta indicatione à natura, ætate, & consuetudine, docet nunc quantũ, quando, & vbi sumpta indicatione à membris affectis: & etiã vos docuimus in methodo nostro vniuersali vinũ calidũ, & tenue quale lesbiũ est dari: si ventriculus ergo fluxione tentetur sumpta indicatione à ventriculo habetis indicationē quale

quale vinum sit exhibendum in substantia vinũ tenue, an crassum. inquit Gal. si ventriculus laboraret fluxione debetis vti vino tenui, non crasso: quia vinũ crassum vbi exhibetur ventriculo, multo indiget calore, vt conficiatur: sed ventriculus debilis ex calore naturali debilitato non potest alia vina ferre: præterea virtus contentiua, ex eo defluxu ad ventriculum est debilis, nec continet, vt debet: ideo debet esse tale, vt quàm aptissimè cõficiatur, etiam citissimè distribuatur, & tale sit vinũ tenue. Postremò facit aliam virtuté: nam vinum dum tenue est, facile distribuitur, facit diuersionem, & quod fluebat ad ventriculum per vias vrinæ distribuit, & per sudores, & ita diuertuntur materiæ ad alias partes, CALIDVM, &c. Rectè dixit Galen. primo facilius penetrat, & facilius concoquitur: quia non indiget natura tot mutationibus, quoniam quodcunque concoqui debet, prius debet calefieri. ideo si calidũ exhibebitis semicoctum erit tale vinum lesbiũ, nos non habemus talia vina: CRASSVM VERO ATQVE MAGNVM, ACERBVMQVE IN SANGVINIS ERVPTIO. EST NON DEBETIS (inquit Galen.) vinum tale, scilicet tenue exhibere, quoniã vinum tenue penetrat, aperit, faciléque distribuitur,

tur, humores attenuat, & magis fluxibiles facit: sed tunc vinum crassum, & acerbum bonum est, quia si fluit sanguis non est imbecillitas ventriculi, vt vinum tenue conueniat: præterea sanguinem crassum reddit, qui non defluit, sicut sanguis subtilis. Atq; vult, vt sit acerbum, ponticum à nostris appellatum, à Græcis strignum, quod vim habet astringendi, & ita nutriet, & habebit rationem medicinæ, & magis nutriet, quam tenue: deinde cum sit crassum, & crassum faciet sanguinem, & nos indigemus in fluxione sanguinis, crasso atq; astringendi rationem habebit & medicamenti: & nigrum sit, quoniam crassiorem substantiã: VENTRI VERO ET VTERO, &c. Nunc autem docet, quæ sint exterius applicanda: diximus nos aliàs, quod ea quæ applicantur vel interius tantum sumuntur, vt medicamenta, & cibus: vel interius, & exterius, vt aër: vel exterius tantum, vt linimenta & fomenta. postquam de his, quæ interius sumuntur loquutus est, nunc affert ea, quæ exterius, & inquit, debetis applicare exterius aliqua, sed debetis sumere indicationẽ à loco, considerando naturam, substantiã, operationes, nobilitatem, situm, & reliqua. sumpta igitur indicatione à natura rei si occurratis vtero, vel ventriculo, vel thoraci debetis applica-

re ea, quæ addunt bonum & robur: sed non ea quæ refrigerant. & si astringere sanguinem vultis, propterea inquit si locus, cui applicatis remedium, quod debet astringere vt thorax, vel ventriculus, vel vterus, ita applicare debetis ea quidem, quæ astringunt: sed caueatis à refrigerantibus, quæ applicãdo ventriculo destruetis ipsum: quia operationes suas cum calido facit: si vtero etiã occurritis maximè aduersa sunt: quia frigida ossibus, dentibus, & neruis inimica sunt: præterea est periculosum thoraci frigida applicare, quando sanguis expuitur, & indicatur ex hoc: quia frigida sola tussim excitant, & tussis fit aliquando à sola frigiditate sine materia. ideo medicamenta astringentia excitant tussim, & non possunt tolerari, & fortasse etiã venæ frangerentur, & tandem in omnibus membris magnarum operationum est necessitudinis calor: cauenda sunt atque etiam hepati non tuto astringentia conueniunt. si igitur talia sunt membra, vt non cõtineant frigiditatẽ, si astringentia, & frigida applicari possunt, vt cum fluit sanguis ex naribus fronti possunt astringentia, & refrigerantia commode applicari: quia cerebrum tolerat frigida: quoniã frigidæ, & humidæ tẽperaturæ est: præterea resistit frigidis, quia plures

habet arterias & venas, atque plurimos spiritus: deinde habet os tantæ magnitudinis, quo tuetur seipsum. ideo applicamus anodina frigidissima capiti; quia frigiditas nō occurrit cerebro in sua vi. ET SI QVA in summa cute, aut naribus rupta est vena aliquod medicamentum ex his, quæ sanguinem sistunt imponendum est, &c. Inquit Galen. si rupta fuerit vena in partibus extrinsecis, & quæ sanguinem siue emplastica sint, vt vel origanum, vel fuerit id vulgo appellatum sanguis draconis, vel bolus armenus, acetum, albumen oui, sumach, berberis, Gallæ, & fiant cōposita ex omnibus istis: BALNEA AVTEM COMMODISSIMA SVNT, &c. sumpta indicatione à morbo si venter fluxerit, & syncopa fiat balnea commodissima: quia faciunt diuersionem: si enim fluunt humores ab habitu ad ventriculum, & à circunferentia ad centrum ventriculi, hæc fit cum balneis aquæ dulcis. Ideo in curandis fluxionibus stomachi, & alui commidissima sunt balnea, sed si essent fluxiones sanguinis vel ab hæmorrhoidibus, vel naribus, vel vtero non conuenirent, quia dilatant, & aperiunt, & attenuant humores, & faciunt quod sanguis magis fluat: AT QVOD IN his etiam aduersissima sunt, quia ex sudoris copia

deficiat

deficiat animo &c. Qui nimium sudant si ponerentur in balneo deliriũ esset, quoniã meatus cutis nimis aperiuntur, & eliquantur humores: sed in ista syncopa non est laxanda cutis, sed potius inspissanda, & refrigeranda, contrariũ facit balneũ aquæ dulcis. VINVM QVOQVE FRIGIDVM &c. docet Gale. vinum frigidum conuenire, quia actualiter illas frigiditas facit, vt humores sistantur, & obiter nutrit. nihil verò calidum dandũ est, quia calidi est dilatare, & vbi volumus sistere sudores, debemus stringere. SED NEC membra ligare, nec cogere ad vomitum &c. Tandẽ vbi sudores, caueatis à ligaturis: & in hoc errant medici, qui dum occurrũt patienti syncopã ob multam sudoris copiã ligant extrema: vos autem ligaturam abiicietis, & aqua frigida inspergetis. NEC AD VOMITVM &c. quoniam qui incidunt in vomitum copiosior sudor defluit, & propterea rarefacit corpus, liquefacit humores: ideo non est prouocandus vomitus in sudoribus propter maximum motum, qui fit propter maximam constrictionẽ, & cutis dilatationem: nec vllo modo tãdem vomere oportet, sed quiescendum prorsus. ET ADITVS refrigeranti auræ expositius &c. Debetis parare domum, quæ exposita sit auræ refrigeranti,

quæ poſsit conſtipare poros,vt reuocetur calor ad interiora,& ſiſtatur ſudor.Itaq; aer cubiculi ad frigidam qualitatem mutetur, quæ condenſet:& ob id cõmodiſsime accipietis magnam quantitatem aquæ roſaceę, & acetum,& inſpergetis totum cubiculum foliis myrti,& cum roſis,aut cũ foliis populi,& ſalicum,vbi in frigidis regionibus,& cũ foliis roſarum,ſed ſi non habeatis roſas,& ſi pauper eſt cum aqua maximè frigida cum aceto,aut cum decocto ex mirobolanis,& ſandalis cuiuſcunq; generis,ſi decoquantur in aqua roſacea tanto melius. NIHIL VERO horum fluxionibus quæ in ventres feruntur confert &c. Quia in fluore alui, qui diarrhæa appellatur fiunt motus materiæ à circunferentia ad centrum,& à centro ad circunferentiam,ſi modo refrigerantia & conſtipantia exterius applicãtur motus faciunt maiores à circunferentia ad centrum.balnea autem in caſu iſto maxime cõuenirent,quia attrahunt à centro ad circunferentiam:has enim tantũ augent,quantum cutim denſant,quia attrahuntur à circunferentia ad centrum.his propoſitis epilogat, & inquit, HIS IGITVR &c.ita bene debetis curare eos,qui incidunt in ſyncopam ex inanitione. QVI VERO HVMORES MVLTITVDINE &c.ſuperioribus vidiſtis

ſtis diuiſionem factam à nobis,atq; etiam (Galen.licet ſatis obſcure)quemadmodum animi deliquia curantur,quæ ſecundū naturam ipſam vel fiunt propter inanitionē, vel propter ſuffocationem & repletionem: audiuiſtis eorum curationes,quę fiunt propter inanitionem à nimia euacuatione,nūc docebat quomodo deliquia animi per ſuffocationem à nimia repletione curari debeat. de ſuffocatione igitur audiatis,hoc eſt, de deliquiis animi complicatis cum febre, quæ à ſuffocatione, & multitudine dependent. QVI VERO HVMIDVM MVLTITVDINE ANIMI DEFICIVNT &c. ponit hoc loco Galen. diuerſam eſſe curationem deliquiorū animi tum ab inanitione, tum à multitudine,& inquit,non curantur eodem modo deliquia animi à plenitudine,ſicut ab inanitione:in ſuperioribus dedimus tres indicationes ad curāda huiuſmodi animi deliquia,quæ ab inanitione proueniant,à quibus tanquam à fontibus particularibus oriebatur curatio,nunc videatis quomodo à natura rei oriatur indicatio curandi deliquia animi ex plenitudine. Nemini dubium eſt,quod omnis particularis curatio ex plenitudine,ſi contingat extrema animi deliquia fieri,talis eſſe debet:porrò ratione materiæ ſuffocationis factæ ſi

multit

multitudo materiæ est,quæ inducat suffocationem recta curandi ratio nascitur, vt euacuatione tollatur.cum autẽ multitudo sit duplex,quædam appellatur plethorica, quando æqualiter in venis augentur humores,nec peccant qualitate,sed multitudine, quia tanta copia sanguinis est in venis,vt periclitetur,ne incidat in plenitudinem,& hoc est illud,quod Hipp.ait,habitus athletarum,qui ad summũ bonitatis &c.& ista dicitur vna species multitudinis: alia est quæ dicitur quo ad virtutem,prima dicebatur multitudo per relationem ad vasa, quia nimis repleta sunt,sed in qualitate peccant, vel deprauatione aliqua ratione nimiæ putredinis non bene reguntur à natura,& inde fit vt humores illi alieni à propria natura suffocent calorẽ naturalem,& hæc plenitudo non aggrauat vasa quo ad multitudinem,sed aggrauat virtutem.Cum igitur sint istæ duæ plenitudines,Galen.(inquit)deliquia animi,quæ à plenitudine proueniunt secus curãtur,quam ea,quæ ab inanitione.quod verum est,quia in ea prohibemus quod educitur, & aliquid introducitur,nunc oppositũ facimus,educimus,& nihil ad ventriculum,iuxta illud Hipp.secundo Aphoris.10.corpora malorũ humorum &c.& ista curatio opposita videtur, quoniã istæ

istæ sunt oppositæ curationes, quæ sumũtur à causis. in syncopa igitur propter plurimã multitudinem euacuatio remediũ commodissimum est. hæc autẽ debet esse varia pro varietate multitudinis, si in vasis erit plenitudo remedium erit exinanire vasa per sanguinis missionem, sicut cum corpora adeo plethorica sunt, vt iamiam immineat periculum, ne incidant in syncopã propter suffocationem ratione plenitudinis sanguinis in venis: nec aliquid impedit, quia cũ plenitudine ista non stat virtus debilis. Illa verò quæ plenitudo est quo ad virtutem indiget & ipsa quatenus talis est, vt taliter considerata nulla alia euacuatione, nisi purgatione. igitur debet educi, quod quibuscunq; indicatio sumpta à morbo ostendit nobis quid sit faciẽdum, oportet præterea perpendere vtrũ debemus facere & licentiam sumere à virtute, ab aëre, à statu cœli, & in hoc casu indigemus maxima consideratione. Nã tanta est plenitudo in corpore, & malitia, vt suffocet naturalem calorem & spiritus, & syncopa fiat ratione huius malitiæ. ergo euacuanda est, sed debemus sumere indicationem à virtute an liceat facere: quod non liceat patet, quia syncopam patitur. Quomodo faciemus? causa istius syncopæ est plenitudo, & non possumus remouere syncopam,

pam, nisi remoueamus materiam, nõ potest remoueri materia, quia virtus non tolerat. Quid faciemus? docet cautè quidem, & doctè, & licet non afferat rationem quare non purget cum medicamento supponit quod alias docuit expeditè, vt statim euacuetur: sed quia virtus non tolerabit in hoc casu, oportet moliri artem, qua materiã faciatis per halitum, per sudores sine repentina euacuatione & affatim facta. VERVM ILLORVM artus plurimum fricando sunt calefaciendi non ligandi &c. Diximus alias, quod euacuationes aliæ sensibiles, aliæ insensibiles, hæ per halitum fiunt aperiendo poros cutis, vt materia diffletur per halitũ, docet Gale. quomodo debeamus facere diuersiones, maxime quando non dat sympto ma inducias, vt in hoc casu, in quo humores raptim suffocant calorẽ propter materiam affluentẽ ad ventriculum, & inquit ligãda esse extrema propter diuersionem, fricanda autem per insensibilẽ euacuationẽ: bene inquit calefaciendi artus, & fricandi: ex sola enim frictione fit calefactio, sed vt adhuc magis incalescant, & aperiantur pori vult, vt fricemus vtrunq;: facietis vos, & iubebitis astãtibus, vt accipiatur vinum aromaticum bonum, & oleum camomelinum, aut anethinum, & decoquatur ipsum donec

absu

absumatur vinum,postea inungant manus ex eo,vt faciant frictiones: tunc enim calefactio fiet à re calefaciente, deinde à motu & à frictione:tunc enim calefactione facta fit maxima exhalatio.& concoctio humorum in superficie. DIXIT PLVRIMVM &c.quia dicebat Galen.in tertio de tuenda san.vbi docet quomodo sint frictiones faciendæ inquit ibi,quæcunq; frictio mollis, & leuis est facta cum re non aspera rarefacit cutim:ea verò quæ cũ re cõprimente,& aspera cutim cõstipat. nos verò in casu apertionem cutis desideramus.Igitur debet esse mollis si modo sit mollis, & breuis fit apertio,sed non calefactio,nec euacuatio per halitum: sicque longitudine supplere debet, quod non potest sua breuitate.Ideo oportet,vt hæc frictio leuis,mollis,& longa sit: FRICANDVM &c.per artus intelligit colla id est extrema,quia non componitur ex collo,& artubus,cum dixerit artus,& colla ligãda, crura intelligit,& brachia:CAETERVM cibis & vino temperare debet &c.

Fundatur hæc forma,super eo Aph.corpora malorum humorũ quanto magis nutries,eo magis lædes:& quia hic sunt viciosi humores ergo &c.est alia ratio,quia calor naturalis non potest esse occupatus in duobus,si in cibis erit occupatus, non poterit

esse occupatus vitioso succo. IT AQVE ETIAM à balneis si febris adsit &c. Non quod balnea nõ conueniant aliqua ratione, si essent parati humores ad exitum cõuenirent, sed materia nõ existente concocta nimis colliquant, & cõfertim humores, ob id debent humores esse parati & extra, & intra: sed frictiones non ita faciũt, bene dixit si febris adsit nõ conuenire balnea: addatis vos, si fuerint humores crudi &c. quia existente febre conueniunt balnea, vt docet Gal. cum materia concocta est. in tertiana autẽ debetis esse contenti aquæ mulsæ potu: vinũ autem quia nutrit, & colliquat nõ est conueniens, opus est vt sit initium concoctionis. IDEO POTV MVLSAE DEBETIS &c. scilicet aqua melle; inomel autem est vinũ cõfectum ex vino, & melle; confert etiam & acetum, & mulsum scilicet oxymel, in istis tribus potestis vti aqua, & melle, & aceto: aqua & melle & aceto mulso scilicet oximellite: proponit aquam mulsam, in qua Ethymum, pulegiũ, vel hysopus, aut origanum coctum sit: quia huiusmodi simplicia possunt adiuuare, & incidere, & abstergere. Vbi ergo cum aqua mulsa, in qua est vis abstergendi additis aliquid istorum, in quibus est vis incidendi, fit pharmacũ abstersiuum, incisiuum: in oximellite autẽ hæc nõ ponuntur,

tur, quia in aceto est vis incidendi, nisi forte velimus præter incisionem calefactionem. QVAE PORRO ex vteri affectibus mulieres non destituunt &c. Postquam docuit Galen. quomodo generaliter procedere debemus in curatione deliquij, quo ad multitudinem in principio exposuerat: nũc affert vnum particulare exemplũ quomodo debemus curare syncopam ex suffocatione propter multitudinẽ materiæ existentis in vtero: & quoniã eadem est ratio totius & partis, cũ inquit Galen. quod nos debemus vti iisdem remediis prorsus, ligaturis extremorum, frictionibus, abstineat autẽ in principio à vino, & cibis, prout in alia euacuatione. PRAETERQVAM QVOD acetũ mulsum non conuenit. Ex hoc loco medici, quod sunt confusi habẽt istas suas intentiones, & autoritates vanas, aceto mulso non esse vtendũ in præfocationibus, sed incidentibus materiã crassam, quando autẽ declarat Galen. & Hippo. in tertio de ratione victus in acutis cap. de oximelite, inquit Hippoc. ibi longe magis nocet mulieribus acetum, quam neruis. dixit Galen. nõ est dubitandum oximel non cõuenire neruis, quoniam autem vterus neruosus est, ob id non cõuenit acetum, quia acetum nocet neruis. Itaq; ille locus est cõmentum huius loci, &

 hac

hac ratione medici vtuntur & cōsimilibus, sed potissimum authoritati fidunt,& cauēt ita exhibere vbi neruus,vel vesica afficitur, imò syrup.acetosum simplicem,& oxymelitem summopere spernunt, & si afferretis rationem ita esse faciendū,statim adducunt authoritatem istam.aduertatis quātum sit tantum fidere autoribus,vanissimū est hoc fundamentum,quod omnia frigida,& sicca nocent neruis:vterus neruosus est.ideo afficitur frigidis & siccis,sed acetum tale est, ergo nocet neruis.dum postea faciunt consequentiam,quod oxymel non conuenit in affectibus vteri, aberrant, propositio hæc vniuersalis,quod acetum noceat neruis vera est,si occurrit neruis cū acrimonia,quantum & immediatè tangat neruos,facit sæua accidētia.potest autē dupliciter acetum applicari, vt si sine medio occurrat neruo vulnerato,tunc proculdubio nō parum læderet,sed per os pręparatum corpore vacuo existente,vel in maxima quantitate,& pręnimia deuenit ad neruos cum acrimonia,& stimulat,sicut cum datur oxymel in ægritudinibus neruorum,nec aliud sumit in cibo,tunc noceret,tanto magis si membrum neruosum &c.tunc nocet neruis, quia deuenit tunc cum virtute acetum ad locū.his distinctionibus habitis scitis Galenum hoc in loco

in loco verum dixiſſe,quia cum dixiſſet cauendum eſſe à vino,& cibis:ſed contéti ſint aqua(excepto aceto mulſo,)tunc de oxymelite loquitur quando nõ pro ſyrupo,ſed prout eſſet ſuccus potus exhibetur,& membrum quod patitur ſit neruoſum,in iſto caſu pateretur proculdubio,quia tunc occurrent cũ ſua virtute ad locum:& ita ſemper verum erit acetum nocere neruis ſi cum ſua virtute quam habet contingeret neruos,ſed vbi miſcetur,vel obtunditur,vel habet ſpatium intermediũ non nocet.Ideo rectè Gal. in tertio art.part.appoſuit acetũ in emplaſtris,& ibi cauet ne ſit diſcopertus,quia occurreret cum virtute quam habet:at ſi non occurrat ſubito penetrat,& penetrando deducit ad loca medicamenta : non eſt ergo oxymel in potu præbendum,ſi modo velletis concoquere humores crudos,vt euacuetur corpus,vt in affectibus veſicæ,vel vteri, & nõ habeatis,quod penetrat,oxymelitem adhibebitis,quia tunc loco ſyrupi exhibebitis,& tunc nõ erit nociuum,nec acetũ poterit nocere,quia partiuncula aceti modica eſt,& miſcetur cum tot rebus: præterea pertranſit hepar,& hoc commodum habemus,quod facit penetrare,& adiuuat humorum inciſionem,qui ſunt ſub cauſa antecedente fauẽtes illi diſpoſitioni neruoſæ,

 quod

quod Mesuæ dixit, acetum facit penetrare medicinas ad partes, ad quas non penetrēt, sicq; debemus miscere acetum, vt fiant cōcoctiones in neruis. sensus autem est, si exhiberemus in potu, qui datur tunc magna quantitate, sed hoc est verēdum ratione vesicæ, quæ exhiberetur ratione syrupi. rectè igitur dixit Gal. excepto aceto mulso in potu scilicet, quoniam accederet ad vterū cum sua virtute stimulante, & pugnante ratione copię, HIS AVTEM CRVRA POTIVS, QVAM BRACHIA DELIGANDA SVNT, ET PERFRICANDA, quia nerui trahuntur & vterus contrahitur ad partes superiores, vt deueniat ad loca propria, inquit. Gal. partes inferiores perfricari, vt fiat diuersio in contrarium. Quemadmodum in longa fluxione sanguinis ex vtero cucurbitulas mammis admouemus, vt sursum trahamus, ita exhibenda etiam sunt relaxantia & calefaciētia in suffocatione vteri. prętерea vbi omnia ista fecerimus pro curatione mulierum, quę suffocantur, debemus odoramenta ori vuluæ applicare, naribus verò fœtida, quę res fit quotidie, & succedit, & est vera experientia, omnes norunt etiam mulierculæ. ET HABENT antiqua calcaria, pēnasq; perdicum assatas, fœtidumque naribus applicant, Sed turpe est medico, & philoso

philosopho nescire quando: & si quis instaret contra, imò dico non esse faciendũ stante ista præfocatione: hic adest syncopa: hic adest paucitas caloris & spirituum: hic stantibus quæcunque sunt fœtida virtutem excernunt, tu addis fœtidissima anhelitui, quę attrahunt ad cor, in quo est fons spirituum animalium. ergo destruas spiritus animales & vitales: postea applicas odoramenta vuluæ, ac si vulua haberet nares: si quis instaret contra nos huiusmodi rationibus fortè nesciretis respondere, & diceretis rem istorum esse prolatam & præscripto esset fugam tantum: scire debetis naturã rei, quia ea est quæ in ambiguitatibus facit inuenire caussas omnium deliquiorum animi ex præfocatione vteri, ista præfocatio quando fit? quando plurimi humores crudi imbibuntur in vtero, & in neruis, neruus imbibitus dilatatur, & fit breuior & latior, ita vt causa huius contractionis vuluæ est, quia imbibitur plurimis humoribus frigidis dilatatur, abbreuiatur & contrahitur: sed contractio non est causa præfocationis, imò affectus communis causa est ratione humorũ, qui sunt in vtero facientes præfocationem, refrigerant calorem, & suffocant præ copia humoris frigidi, vapores frigidi eleuantur, & ob consensum, quem habet vterus cum

cerebro, atque etiam quando vapores illi deueniunt ad cor syncopa causatur. Quod autem vapores frigidi posśint animi deliquia causare, adest primo Galeni authoritas 6. de locis affectis, vbi inquit, si quis miratur ex pauca aura frigida ad cor delata fieri illam tam magnam suffocationem per araneam, ex cuius ictu tam paruæ rei dura mors sequitur: quam credis materiam exire ex illo aculeo, quæ tametsi paucula est, tamen dum in cute est, tantæ efficaciæ est, vt homo percipiat ex eo veluti grandinem in corpore, quæ interficiat etiam hominem si inquam ita est, vt credi potest ex vaporibus ex materia putrefacta ascendentibus ad cor peccantibus ratione venenositatis ex putrefacto semine, præterea adest aliud Gale. dictum de puero epileptico, qui propter frigidam auram deuenientem à police pedis incidebat in priuationem sensus & motus: quantulus erat ille vapor? sit quantumuis modicus, nihilominus tantæ efficaciæ erat, vt dum ascenderet ad cor, & ad cerebrū tandem efficiebat epilepticam dispositionem. His perspectis nō mirabitur aliquis, quare plurimæ mulieres præfocantur duobus, vel tribus diebus ex vaporibus illis, & fuerint etiam sepultæ viuę cum refrigeratio maxima vtero fiat à materia frigida, ex qua nascuntur

ſcũtur deliquia animi,ſi ita eſt, & vultis occurrere fundamento, quoniam vterus refrigeratus eſt ſummopere:primo debetis reducere,& expellere calorem & ſpiritus ad locum vteri, qui refrigeratus eſt propter frigiditatem materiæ,& incaleſcat vterus,& vapores non aſcendant,ſed materia illa cõcoquatur:ſecũdo debetis vterum ipſum calefacere cum his,quæ confortant ſpiritum & calorem.quo ad primum, ſcilicet ad expellendum calorẽ ad loca inferiora, ad hoc nihil efficacius eſt, quam applicare fœtida naribus:quia ſpiritus dum fiunt in quadã temperatura maximè nutriuntur à ſimilibus: ideo maximè ab odoribus, & à fœtidis terrentur:ex fœtidis reſurguntur ſpiritus à ſuperioribus ad inferiora, ita ſimul & ſemper applicantur odoramenta,& licet nõ habeat vulua nares,habet tamen arterias, quæ attrahunt per motum ſyſtolem, & diaſtolem ſpiritus à toto ambitu,& nullum eſt corpus quod non tranſpiret per arterias.vbi igitur applicantur vtero odoramenta arteriæ per motum trahunt materiã: & caleſcit virtus, & dupliciter perficiunt,primo quia augentur ſpiritus,qui augẽtur ab odore attracto, & quanto cõuenientior eſt odor, tanto magis nutrit, inquit Gale.de vſu reſpirandi de Democrito abderita.q ſolo odore vixit tri-

bus diebus, idē ipse refert tertio epid. Itaq; peroptimum est, vt applicentur odoramenta vtero, vt arteriæ attrahant, & incalescant tum ratione qualitatis, tum ratione alimēti. et si vultis delectationem in coitu odoramēta in præputio apponatis, quia citò aperiuntur viæ ex huiusmodi odore, & incalescunt & citò corrumpūtur, & in exitu seminis percipietis maximā delectationē. diceret aliquis quare non applicantur odoramēta naribus, nónne spiritus & calor ex odore augētur, & confortantur? vtiq; sed deuenirent ad partes superiores, vterus cū esset frigidus refrigeraretur magis, & mitteret vapores frigidos sursum, & esset pugna.

AT NON EA, quæ ex redundantia frigidorum incidit siue resolutio, siue stomachi syncopa sit, alimentum & medicamentum desiderat &c. Proponit Gale. hanc propositionē, vbi syncopa prouenit ex redundantia humorum frigidorum nō debetis dare alimenta, nec medicamenta, quanquam in his affectibus nō solùm nutrimentū, sed etiam vinum aliquod non raro ęgrotanti dare cogimur: non sanè quo affectum curemus, sed quo periculum præsens depellamus: euacuatio enim potius, quam decisio est in hoc genere laborantium curatio. SI AVTEM NON EOS QVOS IAM SYNCOPA

PRE

PREMIT ACETVM. Prius docuit vbi iamiam syncopa futura est, si vnquã fuerit acetum apud eos, si ea quæ retuli loco cum nocent, panẽ exhibebitis cum vino aliquo, quod celerẽ digestionẽ in corpus adiuuat. STATIMQVE AD FRICTIONES VENIENTIS &c. Vult igitur, vt exhibeamus vinũ, quod facile distribuatur pro alimento celeri. Atqui ex flaua bile, quæ os ventriculi infestet, in syncopã incidunt, his frigida potio exhibenda est, & vinum quod est calidũ natura sit: at deductione in corpus promoueat omnibus, quos syncopa male habet, assare cõueniet, distribuitur nanq; per corpus nutrimentũ, quod sumptum est, non in ventre manere volumus: constat autem ex vinis ea eligenda esse quæ ex fluido sunt calore, & substantia tenui, & grata ventri, quæ facillime distribuuntur. Hæc est igitur sententia Gale. cum syncopa talis est vt sit necessarium vẽtrem reficere, dabit vinum, non quia causę proficiat, sed vt vterus refocilletur, vt possis mederi causis quemadmodũ heri diximus, propterea nulla est contradicto in magnis viris, si rectè intelligantur. heri igitur docuit curationẽ Galen. omnium deliquiorũ animi, quę pendent ex plenitudine, & primũ curauit ipsum in genere, deinde attulit particularẽ curationem

mulierum quæ cadunt in syncopam, & nos declarauimus totam curationem quomodo peragenda esset. sequitur Gal. in enumerando alias syncopas, quæ ex plenitudine proueniunt humorum suffocantium, & affert casum quando ex imbecillitate ventriculi redundarent excrementa, vt calor & spiritus suffocentur, & incidāt homines in syncopam. Hic opus est scire, quod isti non curātur cum sit in aliqua syncopa hoc pacto, quoniam in ea omnibus despectis, & cōcoquatis accedimus ad syncopā: sed cum proprie sunt ad eam, & iam in duobus, vel tribus paroxismis audiuistis incidere, istis occurritis. SI VERO STOMACHI IMBECILLITATE ANIMI DELIQVIVM SEQVATVR &c. Notetis vt dirigere sciatis curationem eius, qui patitur syncopam ex plenitudine humorum in ventriculo: si enim prout sonant verba Gal. velletis mederi erraretis, quia si corroborantia applicaretis, vt inquit ipse, summo afficeretis nocumēto, quoniam humores, qui sunt in ventriculo magis inculcarētur ex corroborātibus, & ita maior fieret syncopa, si vultis remouere eam, ne accedat ad vltimum tertium. Cæterum iste ordo procedendi antequam applicetis corroborantia exterius, prius euacuare expedit, quod infestat. atque

que prius debetis humoris defluxus euacuare, post corroborare ventriculum, ne recipiat nouam materiam, quia alias diximus membrum recipiens ob id recipiens esse, quod debile membrũ esset: debile quidem suscipit excrementa fortioris. proposuit autem Galen. in præsentia, quod vbicunq; ex imbecillitate ventriculi incidit aliquis in syncopam, corroborãtia applicari debent, supponẽs in ventriculo nullam esse fluxionem, sed tantum imbecillitatem ratione cuius paratus sit ad receptionem: propterea merito à corroborantibus incipit, ita vt si fluxio adesset: sed iam fuit euacuata. In quo casu emplastra sunt cõuenientia, quæ ex palonumis conficiuntur: proponit Gal. exemplum sed non docet quomodo cõficiantur. vos autem ducetis ad praxim sic recipiendo vini optimi aromatici (quoniã causam curatis) lib. vnam. farinæ hordei optime tritæ & cribratæ frigidã propter asperitatẽ ne lædatur ventriculus vnc. vnã. decoquetur vinum cũ farina ad mellis spissitudinẽ. facta ista decoctione, recipe carnis baccarum vel palmarũ secundũ artẽ extract. vnc. ij. & ponantur in hoc decocto, & commisceantur in lebete terreo, in quo efferueat, & ebulliat ebullitione lento igne: postea recipe mastiicis, aloes optimæ ana drach. ij. scrop. s. misce, &

ſce,& confice admodum emplaſtri & applica loco. Corroborat hoc remedium, penetrat, & abſtergit, mundificat, & calefacit. PROTVNDERE VERO OLEO ABSCYNTHIO &c. docet duo remedia exterius applicãda eiuſdẽ virtutis,ſed diuerſorũ affectuum eſſe applicationem, & docet curationẽ cum re liquidiori, & ſtomacho applicare, neq; credatis, vt omnia accipiãtur ſed potius ſunt duo linimenta. INTRINSECE ET corroborare ventriculum, ita vt mediocriter caleſcat.& iſto remedio vtitur. vbi?cum accedetis ad ſyncopam & proprie eſt,& habet æſtuationem magnam, tũc non debetis onerare ventriculum cum re graui, ſicut eſt emplaſtrum: quoniam non poſſet tolerari, imò oportet, vt omnia aperiantur, & quæcunque, in pectore ſtricta ſunt, aperta ſint. primo igitur oportet imaginari rem tenuẽ, quæ ſeparat ſine onere: præterea non poteſt eſſe multæ caliditatis, ſed oportet vt aliquod ſit, quod refrigeret: quẽadmodum etiam docuit euacuatio ſyncopę per ſuffocationem, vt in generali, vbi robur virium, diluatur aqua frigida: quia frigiditas calori æſtuanti reficit calorẽ. ideo oportet, vt ſit frigiditas non extinguens, ſed excitans, ſicut modica frigiditas ventilat, & flabellat modicum calorem, & ex ea ignis excitatur,

citatur,nam mulieres inflant ignem flabello,& refocillant modicum caloré:ita etiam conuenit in ſyncopa, quia caliditas maxima extinguitur. videatis igitur artem, primo inſtruit emplaſtrum,quod præparatur cum non ita reſurget,& magis quã oleum, quia habet formam ſubtiliorem in re terrea denſa, magis virtus retinetur, & maiorem facit impreſsionem.nam qualitas,quę educitur ex potenti materia, & ex alteratione quanto denſior eſt materia,tanto diutius retinetur qualitas. cum itaque emplaſtrum habeat formam ſolidam diutius retinetur,virtus quoq; maiorem facit impreſſionem;ſed vbi ſyncopa accidit demiſsis omnibus accedamus ad linimenta, quæ ſunt etiam flabellantia, & latenter docet artem componendi.duo autem ex ſuis docet linimenta componere, ſi modo fieret vnũ tantum eſſet peccatum.conſtat autem liniméTum primo ex oleo de abſynthio, & maſtichino,quę ſunt calida,adeſt poſt oleũ melinum frigidum. ex his primum poterimus conficere linimentum anodinum,ex lãbruſcis confectum,quod frigidum eſt, nardinũ calidum, & ita habetis intentionem:aliqua ſunt quæ refrigerãt,aliqua quæ calefaciunt in maſtice, & abſynthio adeſt vis aſtringẽdi,adeſt vinũ,quod tenuiſsimę ſubſtãtię eſt,

oleum

oleum crassæ:nõ posset virtus olei penetrare,nisi daretis ei ductorem : nam vinum tenuioris substantiæ est,& illud debet esse tenue album,vel flauũ,quia indigemus in syncopa citissima penetratione, ita vinum exhibet:& sic facietis.Recipe olei masticini, olei de absynthio ana vnc.iij. olei de cidoniis,vel melini vnc.ij.vini lib.s.decoquãtur ad consumptionem vini,vt addat subtiliationem.si enim actu esset penetraret,diluc-retur linimentum, & secus deduceret olea. aliud sic fit: Recipe olei nardini, anethini vnc.iij.vini lib.s. potestis etiam omnia illa simul ponere,& decoquere vsq; ad cõsumptionem vini. AESTVANTI AVTEM stomacho aliquid quod refrigerat miscendum &c.Aestuatio nõ tantũ ratione syncopæ,sed ratione materiæ biliosæ,sicut asserit Gal.in lib.octauo catatop.vbi facit medicamenta ex crisoualano. appellat æstuationẽ stomachi,quæ fit ab humoribus calidis dupliciter, quæ fieri potest æstuatio cũ ex humoribus biliosis pungentibus os vẽtriculi, tum etiam cum & calor,& spiritus suffocantur.cũ enim pungit biliosus humor os ventriculi fit flutuatio, sicut flutuat mare per ventos:propterea ex ea punctione fit dolor, ex dolore fit motus vẽtriculi quærentis explosionem rei nocentis,& tunc cum fit talis

æstuatio,

æstuatio, debetis refrigerare non cum oleo citoniorũ, sed tamen frigidis in secũdo qualia sunt cucurbita, solatrũ, vuæ acerbæ succus, & portulaca, licet portulaca ad tertium accedat. Et plurima debetis accipere, quæ habent eandem virtutẽ, quo ad genera tametsi intensius, remissius ista operantur: additur vuæ acerbæ succus, quoniã vua acerba non solum refrigerat, sed etiam astringit, quod in aliis enumeratis non adest. In endiuia etiamsi sit aliqua vis astringendi, non tamen multum curanda, intibum est alia species seris, quæ hortensis est. Iure igitur Galen. addit succum vuæ acerbæ, quoniam maximam habet astrictionẽ, modo in ventriculo nihil sit, si modo fluxerit, siue non: dum iam fuerit euacuatus vẽtriculus, frigida autem aqua ardenti stomacho plurimum confert, vbi fuerit suffocatio caloris & spirituum propter redundantiam humoris calidi. addit modo Galen. aqua frigida confert, si opportune data fuerit: quia nisi bene comparatum fuerit & diligenter preuisum, posset summopere nocere. Etenim si humor esset frigidus, & vos crederetis prouenire ab humore calido, adeo officeretis potũ aquæ frigidæ, vt statim interficeretis ægrũ. Ideo vbi aderũt signa ista, ætatis, temperaturæ, temporis, anni, caliditatis ven-

 triculi,

triculi, ac vomitus biliosi: tum quando dominatur feruor: & humor biliosus audacter frigidam ministrabitis. Nam tunc damus oportunè aquam frigidam, quando natura iam pręparauit humorem biliosum, quia si adhuc imbibitus esset in profundo tunicarum, noceremus: & ratio est, quia dum humor biliosus imbibitus est in tunicis vētriculi, & vos exhibetis aquam frigidā ratione cuius frigiditatis actualis constipat, constipando poros membrorum impingetis materiam: materia impacta putrescit, & ita augeretis syncopam. Ideo debetis præbere in fundo stomachi. dicetis quomodo cognoscemus hoc? isti qui habēt imbibitum humorem in tunicis vētriculi, habent nauseam, sed non euomunt, qui verò habent in fundo aliquid euomunt, & tunc tutius dabitis aquam frigidā, quia deponit bilem ab ore ventriculi ad fundū habita semper consideratione etiam regionum. Imbecillo autem stomacho vinum calidum potius dandum est, intelligatis cum curatis imbecillitatem, non cruditatem materiæ: quia tunc non cōueniret, nisi verè curetis syncopam. NECESSARIO DESPECTA causa & cū exterius applicatis debetis vinum actu calidum, & sit tale actu & potentia, modo nihil aliud prohibeat, &c.

Sunt

Sunt nonnulli sumpta medicina consuetudine & natura propria bibere semper solent vina frigida, modo si quid calidi occurrit ventriculo eorum statim euomũt, & relaxat ventriculum: si tales sunt natura non exhibebitis vinum calidum: huiusmodi autem stomachi frictionibus extremarũ partium mirificè adiuuantur. hoc loco confundit Galen. imbecillitatem cum materia, & sine materia, & etiam confundit remedia, quæ sunt rectificantia intemperiẽ: nihil debetis exhibere, nisi euacuata materia, quia indicatio quam dat materia est euacuatio, ea quam dat membrũ est corroboratio euacuatione prius facta. Ideo euacuata materia debetis corroborare membrũ, ne nouã materiam suscipiat. ideo notetis, quicunq; vitio stomachi laborant syncopa si in stomacho adest materia vtilissimè fricentur extrema, & diuertuntur materiæ, quæ fluunt ad ventriculum ad oppositum, imò concoquuntur, & euacuantur: & sic frictionibus vtemini tunc, quoniã talem humorem, qui currit à circunferentia ad centrum, à centro ad circunferentiam trahunt. Ideo ligaturæ extremorũ conueniunt siue fuerit calida materia, siue frigida: si modo vẽtriculus sit imbecillis, cũ materia fuerit euacuata, tunc conueniunt frictiones extremorum, quia

nihil proficeretis, imò noceretis, quoniam nullam faceretis auersionem, cum nulla ad sit materia in ventriculo: siquidem stante huiusmodi imbecillitate, & periculo ad syncopā debilitarentur virtutes sine aliquo proposito: QVOD SI NIHILO MELIVS HABEANT æstuationes quidem celeberrimè ad balnea ducendi sunt, &c.

Quoniam sicut dixit Gal. in isto tractat. in curatione syncopæ per curationem, confundit duas causas oppositas, videlicet æstuationem & syncopam vitio humoris frigidi: & syncopam, quæ prouenit vitio humoris calidi promiscuit, diuidítque curationes quantum potest, tamen inquit æstuantes propter humores biliosos in ventriculo quomodo curabimus à deductione ad balnea: non supponatis, quod sit actu syncopa, quia morerentur in balneo, sed intelligere debetis deducendū esse hominē ad balneū, cum habet æstuationē, & periculū imminet de syncopa, tunc si deduceretis hominē ad balneum deduceretis materiam à centro ad circunferentiam, & præterea humiditas illa aquea penetrans ad profundum acrimoniā humoris obtundit, prouocat sudores, lenit aluum. Ideo addit Galenus vbi ratione humoris acris immineat periculum de syncopa ad balnea deducendi sunt. HIS VERO

qui alicuius sensu frigoris sensu afficiũtur, &c. Si verò humores fuerint frigidi non sunt ad balneum ducendi, quia colliquarentur humores, nec oportet retundere materiam & eius acrimoniā: quia nō adest, itaq; etiam magis actuantur frigidi humores: & præterea non fricaretis, quia humores crudi non indigent balneis quoniā colliquantur, & importune mouent. ET SICVT non conuenit neque etiam balneum sed medicamentum quod triplici pipere cōstat conuenientissimum est, & solum piper in potu dandum est, &c. Quare autem conueniat diatrion piperion in habentibus humores crudos iam suprà de febris phlegmaticæ, & quartanæ curatione docuimus, & quod etiā non conueniat diacalamentum & reliqua, in quibus est materia tenuioris caliditatis. QVI VERO ex vitiosis humoribus os ventriculi mordicantibus, &c. Qui habēt vitiosos humores in ventriculo quid aliud est faciendum? statim per vomitum euacuare dando ydroleon, & oleum cum aqua confectum, hoc est efficacissimum ad vomitum, quia relaxat & reuellit vomitum: aqua etiam calida idem facit, abluit, & agitat humores. AT SI NON FACILE EVOMAT, &c. Iubet vt calefaciat pedes, & manus, & partes stomacho adiacentes, &

hoc facit, cum quis vult sistere vomitũ, pedes & manus iubet vt ponantur in aqua frigida. Ideo post absumptã medicinã vt retineatur iubet, vt ponant pedes, & manus in aqua frigida: & hoc post medicinã, quia frigidi est constringere, & vbi deuenerit ad os ventriculi corrugat, & ad prohibendum vomitum indigemus astrictione, vt ad prouocandum indigemus relaxatione, præterea remouetur impedimentum quod esset, si manus & pedes essent frigidi per consensum frigiditatis. ET DEVENIAT ad os ventriculi, quod si nec ipse quidem vomere posit, missis in os vel pennis, vel digitis stomachus irritãdus, &c. Semper à leuioribus incipit: primo iubet, vt potet aquam calidam mistam cum oleo: secũdo vt calefiant manus, & reliqua: tertio positione vel digiti in os, vel pennarum irritetur stomachus: quarto iubet vt bibat oleum calidũ optimũ. scilicet bene maturum: quia si esset crudum, quale omphacinum impediret vomitũ propter vim astringendi, erit etiã optimum oleum nardinũ, amigdalarũ dulcium excitat vomitum, & sedat æstuationẽ, hoc autem oleum secundo facit commoda duo, quando non tantum excitat vomitum, sed etiã egestiones: & tunc nihil magis potest occurrere, quia egestio retenta aggrauat, & auertit

auertit ab ore ventriculi, quod non parum facit propter causas iam dictas, QVAE HISI SPONTE ACCIDAT ARTE PROVOCARE POTEST, &c. Egestio alui arte prouocanda est cum clysteribus, quia diuertunt, & euacuant materias, quæ trahunt & tendunt ad os ventriculi, modo vbi faceretis euacuationes, docet quomodo sint corroboranda membra, neque enim debetis vinum, neque absynthium, neque aliquod, quod astringat, vel calefaciat colliquando humores, nisi prius euacuata materia: aliter impingeretis materiam cum astringentibus, & cum colliquantibus faceretis materias præcipitare ad nobile mẽbrũ. Ideo inquit appositis remediis omnibus, ex quibus si facilius euomat absynthio coma, aqua mulsa incocta danda est: deinde vinum, modísque omnibus corroborandæ sunt partes cum medicinis extrinsecus applicatis cum absynthij potu, AT NON PER initia quidẽ, sed post, repurgato iam vẽtre. ideo faciendũ esse suadeo, &c. CALEFACIENTIBVS & nõ astringẽtibus est vtendũ vt prius, &c. si verò frigida, &c. Si verò fuerit pituita in ventriculo stante pituita oportet fouere ventriculum oleo, in quo absynthium sit decoctum. sed hic statim dubitet aliquis, nónne stãte materia in

ventriculo dixisti non esse aliquid applicandum, nunc autem stante pituita & materia cruda in ventriculo vult Gal.absynthiũ applicari? debetis existente huiusmodi materia cruda in ventriculo eam concoquere, & hoc cum modice calefacientibus sine astri-ctione, & cum cõtinentibus calorem naturalem,& cum corroborantibus virtutẽ contentiuã,vt tantisper cõtineat materiam, donec concoquatur. Ideo nunc vtimur nõ corroborantibus fomẽtis,sed applicamus,quæ concoctionẽ adiuuant,quia indigemus concoctione,vbi materia frigida. Itaq; applicatur oleum de abscynthio, quia robur siue tonum talem addit, vt cõtineat materiam, donec cõcoquatur,prçterea calefacit calefactione primi generis:nõ autẽ colliquat importunè,vbi ista materia incipiet cõcoqui, tunc dabitis incidẽtia, vt possit cum fuerit parata ad vrinas deduci, & quæ sunt in primis venis difflentur, sed euacuatio vera est quam diximus,vbi curauimus quartanam, vbi enim humores sunt crudi in ventriculo primo debetis quærere concoctionem, non agitare, non mouere,nec diuertere per vrinas:sicque prouocantia vrinã,& deducentia ad vrinas cauenda sunt, debetis ergo primo facere concoctionẽ, deinde dare diaspoliticum, & diatrion pipereon, & piper solum:
quia

quia ista sunt calida quidem vsque ad tertium, sed tenuissima, quæ non transeunt venas miseraicas, & antequam proueniunt ad hepar euanescunt. caliditas reliquarũ medicinarum fundata est in materia crassa, ob id pertrãsit venas miseraicas, sed non transit ad hepar, & materia deducitur per venas, & auget febrẽ. DEINDE MVLSAM DARE, IN QVA HYSSOPVM, ET ID GENVS, &c. Caueatis dare ista, nisi sciatis quòd materia concocta sit in ventriculo, & hoc vult Galen. quia dicit deinde vbi concoctio apparuerit acetum mulsum possumus dare, & aquam mulsam, & piper, & diatrion pipereon: quia omnia hæc incidunt sine colliquatione manifesta. VICTVS AVTEM RATIO INCIDENDI, &c. Et etiam omnis victus ratio habeat vim incidendi cum caliditate insigni, sicut hyssopum, calamentum, vbi non sit materia in ventriculo: SI VERO fuerit in ventriculo & non sit calida cum crassa substantia sicut sunt diatrion pipereon, diaspoliticon, & quæ incidunt, &c.

VEHEMENTI AVTEM REFRIGERATIONE, &c. Semper perstat Gal. in curatione deliquiorum animi, quæ proueniũt à suffocatione spirituum, quę suffocatio potest prouenire ratione multitudinis materiæ,

riæ, vel ratione qualitatis cõtrariæ, puta frigiditatis materiæ, aut est putrida. audiuistis quomodo deliquia animi, quæ fiũt per suffocationem, vel ratione multitudinis curanda sunt, ac malæ qualitates curari debent: nunc affert vnã speciẽ eius, quæ fit propter adustã qualitatẽ, scilicet propter maximã refrigerationem corporis præcipuè si fuerit circa ventriculũ, quæ adusta qualitas nõ aliter curatur, atq; bulimus, nempe ingens fames. Sed non habuistis hactenus quonam modo curetur bulimus, & ita curatur ignotum per ignotius. debetis scire quemadmodum bulimus est appetitus comedẽdi præter naturam ob maximã frigiditatem aduenientẽ vẽtriculo. audiuistis præterea, quod, vt fames fiat primo fit attractio à musculis, quãdo indigent alimento, & ipsi trahunt à venis: venæ autem cum præsentiant attractionem, & ipsæ attrahunt ab hepate, hepar à meseraicis, meseraicæ à ventriculo, & tandem motus terminatur ad vẽtriculum; vbi autem ventriculus percipit corrugationem mouetur motu attractionis, qui motus localis est, & tunc appetit. itaque vulgares dicunt, mi sento i gambari vscire per la cauagna: huiusmodi motus quando fit propter prædictos istos motus: iste motus verè est naturalis, & fames est, sed quoties sine attra-

ctione reliquarum partium,& ſine indigentia ſtomachi fiunt hæc importune à potentia præter naturam fiunt. Atque hæc nimia frigiditas & ventriculum ſtimulat, ex qua frigiditate corrugatur, & fit motus iſte præter naturam, qui dicitur bulimus. Nam maxima corrugatio, & fames etiam, & iſti comederent infinities, & curatur iſta frigiditas adueniẽs corpori, quæ facit huiuſmodi ſyncopã ſicut bulimos, rectéq; vſurpauit refrigerationẽ totius ad quam ſequitur ſyncopa bulimo, cum & ipſa facit ſyncopã, & ita docet curare eam cum ſuis oppoſitis, & quoniam oppoſita ſunt calefacientia, ob id inquit Gal. calefaciẽtia cõuenire omnibus modis. Ideo vinũ in potu in præſentia dandum eſt: nec expectamus concoctionem, quia hic tantũ adeſt mala qualitas, vinum aqua calida temperatum. ſed dicetis nónne melius eſſet dare vinum ſimplex? hoc facit, quia aqua calida affert ſubtiliationẽ vino, cum ea in ſubſtantia ſit ſubtilior vino: etenim vinũ habet partes terreſtres, & heterogeneas: ſi tamẽ cõſiderabũtur aliquę partes tenues vini, tenue eſt vinũ, quoniã partes illæ longe tenuiores ſunt, quã tota ſubſtãtia aquæ. & ideo ſi vinum cõparatur aquæ erit craſſum, cuius rei illud ſignum eſt, quod ſi aquã vino apponitis, videtis vinum cedere aquæ,

aquæ,& aquam per corpus,vini distribui, ad hoc igitur & magis penetrat ad profundum ventriculi,& dissoluitur magis,vt magis calefaciat,quoniã & ipsa calefacit.Itaq; Alexander in quæstione illa vtrum glacies sit de genere aquæ,& an aqua sit primum frigidorum,dicit inter reliqua aquam calidam potentia esse aerem,sicut aquam congelatam potentia terram.Ex quo sequitur aquam calidam longe tenuiorẽ esse. CIBIQVE CALEFACERE IDONEI &c.Pręterea fricare huiusmodi homines ægros oportet,ad ignemq; esse calefacere,& tandẽ vltima conclusione,vt omnia calefacientia: quæ verò ex superfluo calore ortum habent refrigerantia,ac roborantia desiderãt.Nam corpora,quæ in syncopam incidunt ex superfluo calore curãtur cum suis contrariis. hic posset dubitari quomodo ex nimio calore fiat syncopa per suffocationem?quoniã calor resoluit,resoluendo inanit.videtur ergo quod syncopa ad has reducatur, quæ sunt per resolutionem : debetis scire,quod calor suffocat sicut frigiditas:habeatis flammam exteriorẽ prope magnum ignem,vel in sole ardenti ponatur,subito suffocabitur: & erit idem modus suffocationis,sicut si poneretur in maximo frigore,quia diu flamma non potest mutari suffocatur.Ita etiam

cont

cõtingit in magnis febribus, si cooperiãtur febrientes pannis, vel in balneo calidissimo versentur, incidunt tales in syncopam, qua suffocatur calor ab eo maximo calore, nec potest euentari, licet postea resolutio paulatim calore excedente potest euentari, subito autem fit suffocatio. Quare dixit Galen. quia duo debent esse in maxima caliditate & suffocatio, & calor: maximo calori maxime debentur adstringentia, quibus calor extinguitur. Corroborantia auté totum faciunt & prohibent difflationem caloris & spirituũ, quoniã ex calore aperiuntur meatus cutis. medicamenta cõmodissima erunt galla, mirti, rosæ, quæ non solũ refrigerant, verum etiã astringunt, & cum hoc reuocant calorem & spiritus cõstipando poros, & calor iste maximus accidit illis, qui diutius versantur in aere æstuoso, vt in vaporario nimis calido, sicut in aere nimis calido, vel in feruenti sole. in præsenti igitur robur restitues, si frigidam inspergas, & ventiles, & auræ exponas, osq; ventris irrites, ac frices: quoniam in maximis illis caloribus liquantur humores, fiunt acres, accedunt ad ventriculum, & mordicant. Ideo si post suffocationem accidit hoc incommodũ, vt humores acres accedant ad os ventriculi, & longe magis suffocẽt calorem, & faciunt

non

nouam causam syncopæ, debetis irritare os ventris, vt si deuenerint humores possint ægri excitari ad vomitum. postea vino, & cibo sunt reficiendi: at quibus ob inflammationis magnitudinem. ERGO VERO INCIDUNT IN SYNCOPAM ET INFLAMMATIONEM &c. Ob febris vehemẽtis magnitudinem ob maximam putredinem, vel ob magnitudinem humorum suffocantium, vel ob frigiditatem excrementorum primo debetis diuertere materiam suffocantem à ventriculo fricando artus, calefaciendo manus, imperandoq; vigilias. hic statim diceret aliquis nonne vigiliæ resoluunt virtutem? Imò debetis parare somnum: quia colligit calorem & spiritum, & vires auget. quare debetis vigilias imperare? dico quod nihil esset deterius, quã somnum imperare, quãdo calor colligitur, spiritus & calor, & sanguis contrahuntur ad cor, & maior fit suffocatio. Ideo si vultis prolongare febres in accessionibus, permittatis hominem dormire, periculum est de suffocatione, quoniã spiritus in somno contrahuntur, quod potius oppositum esset faciendum, & prouidendum, vt ad extrema deueniat calor & spiritus. VIGILIAS IMPERARE &c. Præterea oportet cauere à cibo & potu in totum: in principio

cipio enim paroxiſmi ſi datur cibus facit, vt calor concentretur,& ſi protrahitur acceſsio.optimum porro quid facturum ſit in his prænoſcere etiam. EA AVTEM FEBRIS ACCESSIONEM EFFICERE &c. Dat hic aureum documentum,quod longe præſtantius eſt præuidere,quãdo futura eſt ſyncopa,exempli gratia cum habetis præmanibus febres ſyncopales,quæ faciunt paroxiſmos cum ſyncopa,ſi intellexiſtis vnum paroxiſmum factum eſſe cum ſyncopa,poteſtis prouidere,ne rurſus incidat,& cognoſcere quæ fuerit cauſa:& ſi cognoſcitis quòd ob frigiditatem factam calor naturalis ſuffocetur,& eam fuiſſe cauſam, debetis ante acceſsionem paroxiſmi facere,vt fricentur membra,& porrigere ali quid per os,quod calefaciat,ſicut in quartana diximus.Si verò ſcietis ob maximam ventriculi imbecillitatem ſyncopam accidere,& hanc eſſe, cauſam cognoſcitis,ea facere debetis,quæ tunc præcipit Gale.& primo prouidere debetis cum humores crudi ſint,vel acres,& occurrere antequam accidat. OPTIME EST &c.Et affert exemplum nonnullorum,qui ex ſiccitate in principio acceſsionum in ſyncopã labuntur,verbi cauſa,ſunt aliqui biliosæ temperaturæ, qui habẽt humores tenues,acres,erodẽtes,

hab

habent stomachum imbecillum, sunt arefacti, incidunt facillime in syncopam, & incidunt in eam febrem syncopalē minutam: vbi hæc recte scietis, tunc vel magna erit syncopa, vel mediocris, vel parua: si erit magna vt in principio accessionum debetis aliquid parare vel panem, & cum vino exhibere, & licet non conueniat febri quatenus febris est, conuenit tamen ventriculo, & ratione syncopæ, quia dandum est aliquid, quod obtundat acrimoniam humoris, & os ventriculi, quia humores sua mordacitate syncopam faciunt, si inuenerunt cibū qualem diximus, & vinum, corroboratur ventriculus. Et quoniam panis habet viscidita-tem, obtundit acrimoniā humoris, non potest os ventriculi mordicari: & quia robur additum est ventriculo propter vinum, humor non accidit cum acrimonia. postremo stomachus squalidus humectatur à cibo & potu, & magis resistit. Si verò syncopa non ita vehemens fuerit, vt indigeat alimento, sed aliqua defensione ventriculi, & aliquo robore, & ita de facili fluat materia suffocans demisso ventriculo, & vino, détur corroborantia vētriculum, vt pira, citoniorum vinum, citoniorum succus, pomorū vel pirorum succus, vel vinum granatum, vel granata. si verò adhuc erit mitior, ita vt vix perci

cipiatur, & sit feruidissima æstuatio, dimittetis etiam pira, quæ reuera nocent, quoniã in febribus debetis euitare adstringentia, quæ putredinem adaugent, ex cõsequenti febrem. talia sunt pira, poma, granata, & reliqua. tunc aliqua leui frictione, & diuersione eritis contenti, pedes & manus contineri iubebitis scilicet comprimi ad diuertendum. cibus autem facilis concoctionis sit, & stomacho accommodatus, & ita panis conditus, & panis infusus in vino hoc maxime prestare poterit. VINVM MAXIME ALICAE SVPERFVSVM DARE &c. iste traduxit alicam, quæ apud græcos dicitur chondrus, licet græci aliud habent pro alica, communis opinio est quod chondrus sit id, quod apud nos fit, licet sit aliqua differẽtia, modica tamen est, sed easdẽ vires habet. iubet ergo vt vbi inueneritis maximã syncopam, vt tribus horis ante paroxismũ cibetis cum pane infuso in vino aromatico propter corroborationem, & vt virtute emplastrica refrangantis acrimoniam humoris, & quia sæpe aliqui abhorrent à pane, vinum idem præstabit & mica panis, scilicet medulla vino infusa, & facere, vt vulgares dicũt suppam. SI VERO MEDIOCRIS EST &c. iste est secundus gradus tunc non debetis vinum exhibere, sed mala, & pira,

malum vbi absolute pronunciatur apud medicos de cytonio intelligitur, etiam vel mespila, vel sorba, & reliqua, quæ habent vim adstringendi. POST HOC VERO &c. iste est tertius gradus tunc non debetis cibare vino, nec cum adstringentibus: sed cum ptisana & curare ægritudinem, vt curari debet. SI QVIS VERO inopinato hoc discrimine accidat &c. Quid debetis facere? demissa causa nutrire hominem, & in ipsa etiam syncopa nutrire debetis, & cibare: sed cibus sit coctu facilis, & modicus: quid ex vino & alica, vel facere non dabitis: quia nimium suffocat, si etiam coctu nimium difficile esset suffocaretis hominem. est autem difficilis coctionis cibus vel propter quantitatem, vel propter substantiam: propter substantiam, vt lagana, caseus antiquus, caro porcina. vinum autem quo ad substantiam, vel alica, & si sint facillime concoctionis, in magna tamen quantitate exhibita concoctu difficillima essent. debetis ergo dare, quæ in sua substantia sunt facilis concoctionis. QVIBVS AVTEM animus ex insignis partis obstructione &c. Si modo aliquis incidat in syncopam ob insignem obstructionem nobilis visceris, vt in hepate venæ eius fuerint obstructæ deterrima est ægritudo, potest autem inquit Galen. in

octauo

octauo catatop. hepar obstrui vel in venis, vel in substantia Arteriarum: quoniam quæ substantiæ accidit leuis est: sed quæ in venis, & arteriis obstructiones fiunt malę sunt, & huiusmodi ægritudo mala est, in qua suffocatur calor & spiritus, & malæ sunt putredines in toto corpore, ita vt loco sanguinis generetur sanguis putridus, puta ex prohibita transpiratione augetur calor præter naturam, minuitur calor naturalis, & corrumpitur generatio sanguinis ad diuersas substantias corruptas. si etiam caro pulmonis obstruitur, suffocatur calor, & tandem omne membrum nobile obstructum causat suffocationem, quid debemus facere antequam accidat? debemus vti incidentibus, & aperientibus obstructiones: propterea quod fuerũt causatæ propter humores crassos, acetum mulsum dandum est, oxymel quod habet vim maximam incidendi, abstergendi, & aperiendi: POTIOQVE EX HYSSOPO, EX ORIGANO PVLEGIOQVE &c. ista sunt calida & sicca in tertio de simpl. med. habent vim prouocandi vrinam; incidunt, separant humores crassos à sanguine, aperiunt obstructiones, & tandem vos debetis exhibere omne genus ciborum, quæ habent vim incidendi. quales autem sunt isti cibi, alias à nobis expla-

bbb 2 natum

natum est:primo est vinum tenue admodum:deinde sunt iuscula parata cum cinamomo, petroselino, & cum radice eius,& præparare cũ incidẽtibus aromatibus zinzibere, pipere,manna,garophillis: CRASSI ENIM ET QVIBVS &c. qualia sunt pastitia,lacticinia,pisces palustres & omnia frixa in sartagine,carnes porcinæ omnia ista augẽt obstructiones. NIHIL VERO OBFVERIT ARTVS PERFRICARE, AC LIGARE &c. quoniam reuocabitis materiam à partibus interioribus,& deducetis ad artus, & ad partes ignobiles, vbi postea difflabitur: SED ET similiter portiones aquæ,quæ ciendæ vrinæ facultatem habent adhibentur,quales ex anetho.fœniculo,apio,petroselino, & spica nardi &c.

Omnia ista semina satis nota sunt,& calida,& sicca in tertio cum tenuitate substantiæ,quæ habent maximã vim prouocandi vrinam:QVAE VBI manifeste inuenerint, vino tenui albo non admodum mero vtendum est &c. Cum dixit Gale.quod debetis exhibere anethum,fœniculũ,poteritis facere decoctum,& aliqua istorũ seminũ decoquere,vel potestis præparare syrupos cõfectos ex eisdem,& factis decoctionibus,& expresionibus istis,iubetis vt cum zuccaro syrupizentur,& poteritis facere syrupos,&

iube

iubere ne ſtringantur, ſcilicet dimittantur potabiles, & dimittantur ſemicocti, & hoc modo poterunt ſeruari per 15. dies, nec aliquo indigebitis, aut decocto aliquo. NOSCVNTVR AVTEM HVIVSMODI OBSTRVCTIONES. Docet Gal. quomodo obſtructiones nobilium membrorũ poſſunt cognoſci: cognoſcuntur autem ex maximis inæqualitatibus perceptis in pulſu: vbi videbitis in pulſu quod modo paruus, modo magnus eſt, iterum redit paruus, modo velox, ſtatim quieſcit, dicetis in corpore illo neceſſario magnam eſſe obſtructionẽ, & magni viſceris, quia virtus ſupprimitur, modo non adſit plethora in corpore, nec venæ tumeſcant, nec habeant repletionem in ambitu venarum, quod facillime dignoſcitur. videtur enim quod oculi velint exire ex capite, venæ tument, imo caro tumeſcere videtur, & humida apparet &c. ſi hæc nõ haberet, & talis ſit inæqualitas ſine plethoria, ſignum manifeſtum eſt, quod nobile membrum ſit defatigatum propter repletionem membri, & illa dicitur obſtructio, & ita huiuſmodi inæqualitas pulſus indicat neceſſario in corpore eſſe membrum obſtructum. Nã quemadmodũ cõtingit in baiulo onerato pondere maximo, que videbitis ambulare inęqualiter modo cito paſſu, deinde fati-

 gari,

gari modo velocitatē addere, modo in vno pede quærere quietem, modo in alio: si modo non habeat onus magnum, incidere ordinato motu: ita etiam virtus animalis cū ipsa arteriæ, & cordis virtus non est agitata contingit in pulsu hominis obstructi, vt agitata cogatur facere inæqualitates istas aliquādo quærere magnitudinem, aliquādo quærere exonerari, tunc defatigari, & redire ad paruitatē, nūc inniti & facere velocitatē, modo quiescere, & se exonerare: in huiusmodi autē effectibus, si qui magni sunt pulsus, intermittuntur: vbi autē est magna obstructio facit pulsus intermittētes: est enim pulsus intermittens, quādo vnā habet partē intermediā: & antequam perficiat motū quiescit in medio, tunc signū est, quod maxima obstructio adest, & virtus nō potest exonerari: sicut baiulus facit medium passum, & sistit, quia timet casum, quippe qui maxime oneratus est, ita facit virtus onerata in duobus motibus motum. NVNC VERO AD RELIQVARVM ANIMI DEFECTIONVM &c. Notetis pro intellectu istorum verborum proculdubio innuit vnā diuisionem, quæ ad generalē diuisionē reducitur, hoc modo: deliquia animi quædam ab inanitione, quędam à suffocatione proueniunt, quædam ab vtroque simul. hæc diuisio fuit

facta à nobis, quando dicebamus istas duas causas simul misceri, & cum proposuerit deliquia animi, quæ ab inanitione tantũ proueniunt, accesſit secundo ad ea, quæ ex suffocatione: nunc certe agit de his, quæ pendent ab vtroq;, in quibus conuenit & suffocatio, & inanitio, tametsi non proposuerit velle hoc ordine procedere, ordinate tamen processit, dum dicit NVNC VERO &c. ostendendo ordinem quare dixerit de deliquiis à suffocatione nunc modo transit ad disceptationem reliquorum deliquiorũ animi, quod si mista, quæ ex abceſſu, vel ruptione, vel etiam immodica in his, qui aqua inter cutem laborant, euacuatione fit, dicebamus in diuisione à nobis facta, quomodo vbi inuadunt defectiones animi propter absceſſus diruptionem duo eueniunt, suffocatio propter impetum humoris prodeuntis & suffocantis calorem in transitu, deinde propter grauitatẽ materię peccantis, & suffocantis qualitatis putredinis. Et quoniam dum euacuantur absceſſus, repente exit humor, inaniuntur spiritus, & ita hæc duo conueniunt, suffocatio præcedentis, & inanitio subsequentis. deinde diſſoluit, postea inanitio perficit opus: vbi pus, vel absceſſus calorem suffocat in transitu, deinde dum erat pus in proprio vase propter malã qualita-
 tem

tem difflantem ex ea ſuffocatur calor, dum erumpit interius, & tēdit ad aliquod viſcus & inflaturas pectoris cum plurima materia tendit ad thoracem, homines plerunq; ſtatim ſuffocantur, adeo potens eſt eruptio ſubita, ad quam ſuffocantionē ſequitur etiam ſpirituum reſolutio & euacuatio. Sed dices nónne materia euacuatur, quę euacuari debet? certum eſt quod ſic, & ſi id ſit confert talis euacuatio, vt inquit Hippocr. & leuiter ferunt: nemini autem dubium eſt, quod materia debet euacuari: ſed ſic repente euacuari natura non tolerat, & Hipp. autoritas de qualitate materiæ peccantis intelligit, non de quantítate: quoniam vt diximus non ita ſubitam patitur mutationem, nec ita multam: quia ſequitur ſpirituum reſolutio quando pluſquam oportet euacuatur: Atq; etiam cum nociuo euacuatur de iuuatiuo, vt dicunt moderni. SATIS AD PRAESENS FVERIT &c. Propoſita defectione animi nunc proponit curationem eius: & nota te ſi abſceſſus erumpit exterius: docet hic Galenus quonam modo curetur deliquium animi, vbi & ſatis erit hos ægros reficere rebus odoratis, & cibis, ac potionibus coctu facilibus, quibus nihil opportunum exhiberi poteſt: quoniam vt diximus, materia ſuffocat calorem naturalem pro-

pter repentinum impetum, & post euacuationem sequitur deliquiũ animi: facta euacuatione certum est ob eam, virtutẽ ipsam redditam esse imbecillem à tali inanitione: sed euacuata est materia licet non bene fuerit, cum hoc sic se habeat, restat nos refocillare debere virtutem, & spiritus quam citissime possibile fuerit: quod efficiemus rebus odoratis, his enim adeo refocillantur spiritus sicut ex cibo corpus, & vaporibus etiam sanguineis spiritus. exhibebitis itaque primum odoramenta, postea alimentum offeretis, quod habet facere sanguinẽ, quo post calor innatus reficiatur: iure Galen. docet quod vbi deliquium fiat propter euacuationem nimiam materiæ; tunc primo odoramentis occurrendum est, quod est velox remedium, PAVLO AVTEM POST SORBITIONES COCTV FACILES &c. Quoniam vbi virtus imbecillis est, si exhiberetis alimentum difficilis concoctionis opprimeretur ipsa: sicut & de igne paruo, qui multo alimẽto suffocatur ex lignorum multitudine, hoc & femellæ sciũt, quod vbi paruus ignis est, cui superimponãtur ligna sequit ignis extinctio. Sed medicus ad hoc debet attẽdere: vbi enim videbit modicum calorem debet exhibere, quæ facillimè cõcoquũtur: hoc autẽ iudicatur à natura rei, à

qua omnes artes, omnesq; scientiæ ortum habent, & initium. ETSI OB TRISTITIAM &c. Pergit in enumerando deliquia animi, quæ à suffocatione, & inanitione causantur, vt quando fit deliquium animi ob tristitiam & lætitiam, aut excādescentiam, primo intro feruntur spiritus, deinde foras exiliunt, resiliendo autem resoluuntur: sic dicimus fieri in tristitia, in timore: fit enim suffocatio repentina ob repentinam collectionem, post spiritus resoluuntur. sed quid agendum hic? vidimus superius in defectionibus animi ex abscessu rupto ad partes exteriores, quemadmodum indigebamus sola restaurarione, cùm facta esset euacuatio materiæ: in hoc casu cum sit materia intra suffocans, & spirituum resolutio, duo sunt facięda, alterum quidem erit spiritus ipsos refocillare, vt supra cum odoramentis: alterum erat materiam, quæ suffocat euacuare. Duo itaque facienda sumpta indicatione à natura rei: in eo enim quod spiritus resoluuntur egemus restauratione, & in eo quod adest materia suffocans, cui dubiū nos egere euacuatione, & narium compreſsionibus refocillari: hic euacuare materiā illam huiusmodi suffocantem iubet per vomitum, naribus compreſsis: ex quo refocillantur spiritus, & fiat prohibitio, ne exeant in his, qui

qui animi deliquia patiũtur. cuius rei illud signum est, quod qui existunt in deliquio nares aperiunt, per quas narium apertiones maximè difflantur spiritus, vnde patet, quod confert constringere nares cum spiritus detinere volueritis sicut supra odoramẽtis, vt petant cerebrum, inuadantque etiam ad cor: ad vomitum autem cogendi sunt, vbi vires refocillaueritis, iubeatisq; vt vomant. Nam materia quæ in ventriculo existit posset esse causa noui deliquij: vomitu ergo illa materia refocillatis iam viribus extra mittatur. AD EVNDEM MODVM &c. Facit catalogum quorundam accidentium, per quæ solent contingere deliquia animi, vt vulnera, purgationes, dolores &c. quantum ad primum, scilicet per vulnera scire debetis tunc contingere deliquium animi & à suffocatione, & ab inanitione: à suffocatione quidẽ, quia in vulneribus certum est concurrere dolorẽ, quo concurrente maior inflammatio augetur, & consequẽter materiæ attractio, quæ suffocat: fit etiã deliquium ab inanitione, si quidem est multus sanguinis, qui exiit. PVRGATIONIBVS &c. Hic intelligit purgationes, quæ fiunt à medicamentis: hæ enim suffocant, atq; etiam inaniunt. diximus alias medicinas omnes in se qualitatem quandã habere

venenos

venenosam, qua suffocentur, & resoluantur spiritus, sicuti ex 6. de locis affectis habemus. DOLORESQVE ARTICVLORVM &c. podagricis cōtingit, in quibus est materia illa causans dolorem : vnde ex hac materia sequitur deliquium animi & per suffocationem, propterea quòd & inanitionē immediate ab huiusmodi materia, quæ suffocat in eo quod dolor est, fit suffocatio. itaque resolutio NERVORVM &c. Sicuti in spasmo in quo est periculum casus virtutis per suffocationem, & resolutionem. IN PRIMIS REFICERE &c. iubet in huiusmodi deliquiis primo spiritus substantiam reficere, postea affectus. REMEDIVM &c. Viribus refocillatis postea sunt præstanda remedia contraria, qualia etiam sint non declarat Gal. quia cum potest esse suffocatio aut à materia multa, aut à mala qualitate dictum est vniuersaliter. IDONEVM AFFECTVI &c. Scilicet contrariis remouendo, & occurrendo: si enim sit multitudo materiæ euacuare, si mala qualitas altera qualitate illi opposita occurrere, & hæc omnia iam clara sunt. SI VERO COLICOS AFFECTVS &c. In dolore colico suffocatio, & inanitio sunt causa sympto. contingit enim virtutis suffocatio propter materiam frigidissimam, concurrit & inanitio,

nitio, quæ prouenit ab ipſo dolore. vbi ergo dolores colici, etiam contingunt deliquia propter ſuffocationem materiæ frigidiſsimæ, quæ eſt in inteſtinis, ac etiam propter inanitionem ex dolore. Quid agendũ? ſedandus eſt dolor, & poſtea euacuanda materia, breuiter autem Galen. ſe expedit, nec dat omnino curam perfectam, cum dicat fomentis calidis nos occurrere debere, ac frictionibus: non enim tantummodo fomẽta in colicorum dolorum cura applicantur, ſed & alia vltra fomenta. ſi aderit dolor nimis vrgens ad ſtupefacientia eſt recurrendum, vt facit Gale. qui dat Philonium. non datur Philonium ratione cauſæ, cum potius eam magis augeat, ſed id fit ratione doloris, quo remoueatur ſyncopa, ne ad illam ſequatur mors. Quare gratia breuitatis dicit hic Gal. applicanda fomenta, nimirum anodina, diximus alias ad diminuendũ dolorem ex materia prouenientẽ duplici modo occurrere poſſe: aut euacuãdo materiã, ſi ſymptoma det inducias: aut deinde dolore non dante inducias nõ attendimus remotioni cauſæ, ſed tũc anodina applicantur, vt per ea declinet dolor, quæ ſunt calida & humida: eſt enim hic dolor à maxima frigiditate materiei, cui remouendo dolori hæc optime conueniunt, cum contrarias habeãt

qualitat

qualitates, & substantiam oppositam, quæ applicantur, vbi dolor quidem magnus est, & non dat inducias: si verò dolor sit magnus propter qualitatem magnam, & continui solutionem, hęc etiam anodina conueniunt scilicet calida, & humida in primo gradu, eo quòd blandè dilatãt poros, dilatione indigemus, eo quòd ex dolore contractio facta est: hoc fieri experientia patet: Nam accipiatis aliquid quòd nerueum sit, humectetis, tunc fiet distentio. optima ergo sunt hæc anodina, calida & humida in primo, & occurrunt dolori: talia autem sunt, vt oleum camomellinum ricinum, amigdalarum dulcium, quæ sunt calida & humida, in primo dolorem sedantia, à quacunq; materia pendeat sine causæ ipsius remotione, & hoc aliud est instrumentum. At vbi hæc applicauerimus, & nihil profuerint, & maximus dolor vrgeat, augeátq; syncopam ita vt sit periculum de vita ægri, tunc necessariũ erit vos ad alia instrumẽta recurrere, scilicet ad ipsa stupefacientia, sicut ad Philonium, aut ad similia: debetis exhibere in principio syncopæ, quoniam vt duodecimo therap. à Galeno scriptum inuenimus. talia adhibentur stupefacientia, quando anodina, aut aliud quidpiam remedium nõ profuerint: applicantur etenim ne sequatur mors. exhibetur

itaq; ad sedandum dolorem, quo sedato ac depresso postmodum consequenter erit necessarium materiam illam euacuare. hæc sanè pertrãsit Gal. sicco pede, quoniam suppo nit nos scire ex duodecimo therap. de quo satis, ac satis meminit. FRICTIONIBVS &c. Quia hoc modo diuerteretur materia. QVAE VERO OB PROPRIA &c. Nunc verò deuenit ad summam summarũ, quoniam dixerat plurimas esse causas faciẽtes deliquia animi, vt per suffocationem, & inanitionem, vel etiam vtranq; simul, nunc modo & aliqua alia deliquia animi, ex imbecillitate singularum virtutum dependentia siue animalis, siue vitalis, siue naturalis. scitis vos quomodo in singulis accidit nocumentum, ex quo sequi potest animi delirquium, cui quidem cum contrariis semper occurritis. Notandum autem est imbecillitatem posse multis modis contingere, sicut & sunt tria genera morborum: vel enim cõtingit ex solutione continui, vt quãdo mẽbrum est vulneratum: vel ex mala compositione, vt si in membro adsit durities, abscessus, aut ruptura: vel ex mala temperatura. MALA AVTEM TEMPERATVRA, EST MVLTIPLEX VEL CALIDA, VEL FRIGIDA &c. Aut ista mala temperatura est cõposita, si sit calida & humida simul, aut simplex

simplex vt humida: quæ etiam omnes tam simplices, quam compositæ temperaturæ possunt esse & cum materia, & sine materia: vnde omnes erunt 16. temperaturæ, octo cum materia, & octo sine materia, quæ omnes possunt imbecillitatem, caussare, à qua deinde imbecillitate prouenit animi deliquium. CONTRARIAE TEMPERATVRAE CVRARI DEBENT &c. Semper enim cum contrariis occurrendum, verbi gratia, si fuerit mala temperatura calida & sicca causa imbecillitatis quæ faciat deliquium animi, tunc cum frigidis & humidis alterandum, & sic econtrario. Illud semper pro regula habeatis, contraria contrariorum esse remedia. VITALIS QVIDEM VIRTVS. dicere potuisset quispiam tu dixisti Galene viribus existentibus imbecillibus, siue vitali, siue animali, aut naturali, ita vt ex earum imbecillitate sequatur deliquium animi, quo ad hoc contrariis occurrendum esse, id omnibus admittitur, sed quomodo quęnam virtutes sin læsæ agnosces? docet Gal. singulas virtutes læsas cognoscere ex propriis operationibus. primo autem vitalis quomodo cognoscitur? ex pulsus imbecillitate: motus enim pulsus motū cordis indicat, & robur, vel debilitatē virtutis vitalis, quę emanat ab ipso

corde,

corde, si enim vitalis imbecillis nec ipse quidem pulsus erit magnus, nec velox, nec fortis. QVAE AVTEM EX ICHORE ORITVR,&c. Nunc docet Gal. cognoscere imbecillitatem prouenientē ab hepate malè affecto. Consideretis autē quid dicat Galen. quando dicit cognoscimus imbecillitatem iecoris ex egestionibus crudis: initio quidem aquosis,& tenuibus: in fine crassis admodum amurce, id absolute prolatū non est verum: propterea quod si fit virtus naturalis ex frigiditate imbecillis. in principio cruenta excrementa erunt, deinde fient subtiliora, intelligo autē à principio non quod vere crassa sint, sed earum mutatio: sunt enim & subtilia in principio. dicuntur ideo crassa in respectu: quanto enim magis augescit frigiditas, tanto etiam fæces redduntur subtiliores, & fient tandē vt aqua, qua repletur corpus, & tūc dicitur hydrops absolutè, hoc pacto si capiatur dictum Gal. falsum esse nemo dubitat, sed si intelligitur sic: vbi fuerit caliditas in principio in hepate, ita vt hepar bonū non possit generare sanguinem; sed eius partem assat, partem dimittit crudam, tunc fæces fiūt in principio subtiliores: quoniam pars chyli incōcocta est: vbi autem calor augetur, maior etiā sequitur sanguinis,& humorum assatio. vnde

fiunt tunc fęces crafsiores: de hoc vide quid Galen. dicat octauo catatop. vbi loquitur de ægritudine iecinoris imbecillitate succe dente. quanto enim augebitur caliditas, tan to excrementa fient crafsiora: quanto verò frigiditas, tanto subtiliora. QVAE EX CE REBRO, &c. Etiam imbecillitas virtutis animalis cognoscitur ex suis operationibus læsis: quando fit motus imbecillis, & de his in nostra methodo vniuersali satis diximus. Notate autem quemadmodum superius di ximus quando fuerit ex abscessu syncopa, & materia eruperit exterius, ægros rebus odoratis refocillare operepretium esse, nec indigemus hic aliqua euacuatione, quoniã euacuata est ex se materia. Quando autem eruperit interius, non tantum debemus esse contenti refocillatione spirituum, sed post hoc etiam euacuare materiam, quę interius suffocat spiritus. quo modo autem debeat euacuare medicus declarat Auicen. qui (in- quit) vbi fuerit abscessus, & materia erupe rit intrò, tunc vtendum est diuersionibus, & hæc satis. vellem autem vobis quendam ca sum, qui aliàs mihi euenit enarrare: cũ enim essem Salodij fuit quidã nomine Baptista, cognomine ni fallor, pasiuus: qui habebat maximam suppurationem iecinoris, acces- sit ad me eius socius dictus Andręas, méque precat

precatus est, vt eius generum vellem adiuuare, qui multa materia suffocabatur. accessi, & tempore incõmodissimo duxi mecum chirurgum, cui iussi, vt in regione iecoris faceret foramen, quo facto tanta exiuit materia fæculenta, vt vix fætorem possemus tolerare: aliquantula materia euacuata iussi supprimere, ne ex multa euacuatione incideret in animi deliquium. volebam autem die proximo reliquam euacuare materiam putridã: sed nocte sequenti tanta erupit materia, vt non tantum lectulus esset materia & pure plenus, sed etiam palea pure ipso tota maderet: hæc hactenus de casu nostro; vt sciatis in suppurationibus, & abscessibus quãdo materia interius erumpit, curandum esse, vt educatur, & expurgetur extra.

Finis Commenta. Io. Baptistæ Montani Veronensis Medici in libr. primum Galeni de Arte curatiua ad Glauconem.

*

INCIPIT EXPOSItio in secundum ad Glauconem.



E SINGVLARVM AVTEM CORPORIS PARTIVM AFFECTIBVS ET, &c. debetis meminisse, quemadmodum in principio huius libri proponétes scopum Galen. diximus ipsum intendere tractare de omnibus ægritudinibus tum vniuersalibus, quæ vniuerso corpori accidunt, & æqualiter totum inuadunt, tum de singularibus, quæ singulas occupāt partes, vt cor, iecur, ventriculum, lienem, &c. & in primo libro egit Galen. de ægritudinibus vniuersalibus totum corpus occupantibus, & non magis hanc, quam illam partem, vt vidistis, & etiam videbitis: in præsenti verò libro intēdit tractare de ægritudinibus, quæ sunt in parte aliqua corporis. quoniam verò tria sunt genera morborum: primum in ipsa temperatura: secundum in compositione indecenti: tertium in solutione continui, cum de omnibus morbis Galen. esset tractaturus in primo solum egit de morbis à discrasiis, & distemperamentis, vt isti loquuntur totum corpus occupant

cupantibus,& adorientibus: de morbis verò totum corpus occupantibus in compositione ac solutione continui non egit Galen. propterea quod non posit in vniuerso corpore contingere ægritudo totum occupans simul in compositione indecenti, solutionéque continui: nam quis quæso, quis viuat, & habeat vniuersas corporis partes manus, brachia, & crura deprauata forma, magnitudine, numero, & situ, atque singulas partes decisas. sola ergo intéperies potest esse in vniuerso corpore: indecens compositio nunquam in toto, sed in aliqua parte, item solutio continui. iam verò nostis cum ageremus de intemperie nos illam diuisisse: nam intemperies quædã simplex sine affluxu materiæ, quædam cum affluxu materiæ, de vtraque vniuersaliter totũ corpus occupãte egit Galenus in primo de intemperie sine affluxu materiæ per exemplũ febrium ephemerarum, hecticarúmq;, quas tum præmittit. simplices intelligo cum earum curandarum eadem esset ratio: Galeni nanq; consilium erat tradita methodo vniuersali tradere exempla particularia, in vno exemplo particulari vos exercere, vt in omnibus vos exerceretis: vniuersaliter enim quid agendũ præponit, deinde ponit exempla vt de cæteris idem intelligamus, de in-

temperie verò cum affluxu materiæ per exemplum putridarum egit, atque super exemplo ephemerarum posuit omnes curandas intemperies sine affluxu materiæ: exemplo verò posito in putridis posuit omnes intemperies cum affluxu materiæ curandas: atque hæc de prima parte, scilicet de discrasiis, quæ sunt per totum corpus æqualiter, & quæ dicũtur vniuersales ægritudines, quæ non possunt esse, nisi in mala temperatura, cum ea sola sit ea, quę æqualiter totum corpus occupet: egit quoque & de accidentibus nonnullis ipsarum intemperierum cum affluxu materiæ. in hoc libro vult agere de morbis, qui occupant aliquam partem corporis. Itaque DE SINGVLARVM CORPORIS PARTIVM AFFECTIBVS ET, &c. quasi de vniuersalibus innuat se tractasse, & sic nunc velit agere de particularibus: notate autem quæ dicam pro harum intelligentia. Cum tria sint morborum genera, vt diximus, quæ in singulis corporis partibus contingere possunt, intemperies, indecens compositio, & solutio continui, Galenus recto ordine in primis orsus est à malis temperaturis, secundo accedit ad indecentes compositiones, tertio ad solutiones continui. quod attinet ad primum genus, ab eo propterea incipit,

cipit, quoniam notius est: siquidem ex notioribus nobis ex Aristotelis, Galeniq; sententia, & omnium in disciplinis expositorũ innata est nobis via à notioribus procedere: intemperies nobis notior est: neque hoc solum fuit in causa, sed aliud etiam: quoniam si consideratis malas compositiones, ac solutiones continui ab altera harũ duarũ ambæ nunquam absoluuntur, vt vel à mala temperatura, siue propter malam temperaturam præcedentem efficiuntur, vel cum ea coniunctæ sunt, quemadmodum vlcus, & abscessus. Consentaneum ergo necessariúmq; fuerat à malis temperaturis auspicari: quoniam alia ratione indecentis compositionis, ac solutionis cõtinui cognitionẽ habere haud possemus, ac ne chirurgi quidẽ potuerunt vnquã malam compositionẽ, nec solutionem cõtinui curare, priusquã malæ temperaturæ cognitionẽ habeant: qua in re tractãda, sicut pollicitus est in initio libri diuisiua doctrina vtetur, idémque in reliquis seruabit. vt verò rem exquisite habeatis attẽdite, tradã ego omnes malas tẽperaturas particulares cũ suis nominibus hinc exorsus. omnis intemperies alicuius membri particularis, sano modo intelligatis vel est exterius, id est, in superficie, vel interius. hæc est prima diuisio: vel enim est exte-

rius, quod apparet sensui, vel interius, & nõ sit frustra hæc diuisio, propterea quod omnis intẽperies accidens mẽbro sit aut exterius, aut interius: hincq; indicatiões sumuntur: vtriusq; autẽ istarum quędã est simplex sine affluxu materiæ, mala scilicet intemperies, quædã cum affluxu materiæ: si est intemperies sine materia vel est calida, vel frigida, &c. si calida sine affluxu materiæ, vel est calida simpliciter, ita vt sit calida præter naturam intensa, nec siccitati, nec caliditati, nec humiditati adiuncta, vel non simpliciter, vt quãdo est caliditas cum siccitate, aut cũ humiditate: si verò fuerit frigida intemperies sine affluxu materiæ vel est sola frigiditas, vel frigiditas cum siccitate, vel cum humiditate, atq; hæ sunt intemperies, quæ possunt cõtingere sine affluxu materiæ siue exterius contingant, siue interius, de quibus non tractat Gal. in hoc secundo, de illis superiori libro tractauit, cum sit earum ratio, quæ est intemperierum sine affluxu materiæ totum corpus inuadentium. præterea non fuit necesse alia ratione tractare de his, quoniã dum curabit Gal. omnes intẽperies per affluxum materiæ docebit quomodo cum cõtrariis sit occurrendũ, simúlq; etiam docet, quomodo quæ sunt sine materia sint curãdæ. Iam verò si artem optamus habere

lucid

lucidissimam curādi huiusmodi intemperies sine affluxu materiæ adeundus nobis Galen. est in 7. meth. qui liber totus ad hoc destinatus est, quādo docet ibi curare ægritudines ab intemperiebus, quæ sunt sine materia, atque hoc est primum membrum. secundum sequitur membrum intemperies cum affluxu materiæ, quæ & ipsa distinguitur: nam est cum affluxu materiæ vel calida, vel frigida. si calida, vel est calida per affluxum sanguinis, aut bilis, aut vtriusq; simul: præter hos sanguinem, & bilem humorem nimirum in corpore humano calidum non habemus: si cum affluxu materiæ frigidæ sit intemperies vel illud sit, quod ad locum defluat materia pituitosa: vel ad eandē partem fluat flatus atque ventositas, vel humor melancholicus, vel quod in ea parte sit materia, quæ fluxerit siue calida prius, siue frigida: cuius quidem materiæ ob moram ibi contractam resolutæ sint partes tenuiores, atq; subtiliores, & remanserunt partes tantum terrestres incrassatæ: hoc posterius vel maximè memorię commēdetis, redeundum est ad diuisionem. si autē fuerit intemperies calida per sanguinis affluxum vel iste erit purus sanguis, syncerus nō mixtus, intelligo purum neque in propria substantia, neque in qualitate peccantem, ita vt nec

 crassus,

crassus, nec fæculētus, aut acris, mordáxve, sed solum quantitatis redundantia peccantem: & contingit tunc inflammatio, quæ phlegmone appellatur, dicitúrq; inflāmatio generis totius sibi nomē vendicās: quod si fiat sanguis subtilior non verus, ac purus sanguis, quem ichorem appellamus ad bilis naturam vergentem. Quid inde proueniet? inflammatio non simpliciter, sed quæ appellatur erysipelas, neque verò credatis hāc à bile fieri, minimè, sed à parte tenuiori sanguinis, quemadmodum & ista febris, quæ synocha dicitur fit ex eodem prorsus humore, habent enim vtraque eandem materiam, & causam, & sicut in vniuerso corpore contingit synocha ex tenuiori ista parte sanguinis, ita etiam in parte inflammatio hæc, quam guttam arabicam recētiores appellant: sic fit erysipelas. At si fuerit sanguis crassus, fæculentúsque ad humoris melancholici naturam tendens fit carbunculus, & ille quidē est omnibus inflammationibus deterior atq; hæ sunt tres inflammationis species à sanguine prouenientes: quod si fiat horum permistio vendicant sibi nomē inflammationes, ex cuiusuis illorū triū victoria eiusmodi sanguis purus cum tenuiori permisceatur, atq; hunc superet appellātur phlegmone erysipelatodes; & si pars tenuior sanguin

sanguinis vincat sanguinem purum, appellatur hęc inflãmatio erysipelas plegmonodes, itidem de reliquis dicatur: vt si fæculenta pars cum tenuiori misceatur ex vtriusuis prædominio fit vel carbunculus ad naturã erysipelatis tendens, vel erysipelas tendens ad naturã carbunculi. Itaq; hę sunt intemperies, quæcunq; à sanguine oriri possunt etiam cum suis nominibus: sequitur vt dicamus si fuerit intẽperies calida per affluxum materiæ, quid inde oriatur? vel erit hæc bilis pura, syncera, vel erit nõ pura: si pura tunc fiet inflãmatio, quæ herpes appellatur sine distinctione, quasi à serpendo dicta, quod ob subtilitatẽ serpat: tunc verò nõ pura erit bilis, sed crassior seipsa, quæ bilis tendat ad adustionẽ, fit inflammatio, quę & ipsa vocatur herpes, sed cum adustione materiæ, vt fit herpes cum additione, & distinctione, vt sit dicta herpes corrodens. vbi enim in sua natura bilis perstat subtilis semper duntaxat, non etiã corrodit, quia penetrat & trãsit: vbi etiam crassior seipsa redditur, & serpit, & corridit: quam quidem inflammationem admodum periculosam, & cum vlcere nonnulli nominant ignem sancti Antonij, quod videantur excesæ carnes: vel bilis erit aquosa tenuis, quæ nõ deuenit ad propriã naturã bilis, & tunc fit inflammat

flammatio, quæ herpes milliaris appellatur, quæ faciat pustulas quasdam paruulas millio similes, non serpit tamen sicut bilis pura, neq; corrodit, sicut crassior, sed cum aquosior sit, facit pustulas quasdam paruas, atq; hæ sunt tres inflammationis species, quæ de intemperie calida per affluxum materiæ biliosæ oriuntur. hactenus de intemperie per affluxum materiæ si fuerit intemperies calida per affluxum materiæ calidæ, siue sanguis sit, siue bilis, restat loqui de intemperie frigida per affluxū materiæ frigidę quę quatuor modis cōtingit: vel enim est materia pituitosa, vel flatus: harum vtraq; suam facit inflammationem, quæ eodē nomine censetur, est tamen discrimen: nam dicetur communi nomine huiusmodi inflammatio œdema, tam ea quæ per flatum fit, quam quæ per pituitam quod latinè diximus inflammationem, distinguitur tamen œdema per sua nomina, si fuerit inflammatio ex flatu proueniens dicitur œdema flatulentum, si inflammatio ex pituita dicitur œdema aut aquosum, aut pituitosum. Quæ verò à succo melancholico fit, non à sanguine crasso appellatur cancer, si verò (& hic est quartus modus, cui diligēter aduertite) fuerit intemperies frigida propter materiā siue calidam, siue frigidam prius existentem, &

calid

calidam quidē, propterea quod vel sanguis, vel bilis ad partem defluxerit fit aliud inflammationis genus, quod quomodo fiat declaro: si materia calida, vel frigida fluxerit, & calida quidem aut sanguis, aut bilis, & in loco ad quem fluxerit moram fecerit, & calida quidem contingit vt resoluantur partes tenuiores, & permaneant tantū partes terrestres, crassæ, & frigidæ, quod quidē contingit etiam si inflammatio fuerit vera ex sanguine, vel quia malè curata fuerit, vel quia fuerit infœlicitas hominis propter intemperaturam cum resoluta non sit illa inflammatio, resolutæ sint partes tenuiores, calorq; exhalauerit, & permanserit ibi pars terrestris, intemperies quæ fit dicetur scirrhus, siue modo à pituita fiat, siue à sanguine tenuiori; siue à bile, satis est à quocunq; humore fieri posse, dummodo sint resolutæ partes tenuiores, terrestresque refrigeratæ permāserint. sinautem pituita fuerit in causa, quod partes resolutæ sint, & permanserit pars gypsea solidior, & crassior fit huiusmodi scirrhus: si sanguis fuerit in causa, quod resolutæ sint partes subtiliores, tūc scirrhus iste dicitur à sanguine factus non sub ratione seu forma sanguinis propter sophistas. memini me quondam habuisse sermonem cū Curtio, qui vel ab humore melanc

lancholico, vel pituitoso dūtaxat scirrhum fieri volebat, ego verò à quocunq; humore, nedum à pituita, & ab humore melancholicō fieri affirmaui, atq; conclusi à quocunq; humore posse fieri scirrhum, dummodo sint resolutæ partes tenuiores, & terrestres permanserint. Porrò intelligetis vos ipsi Galenum infra curare puerum, qui scirrho ab erysipelate laborabat, recentiores hoc omnes cognouerunt. solū Curtium nō vidisse miror. scirrhus ergo semper ab intemperie frigida peruenit, etiam si ab humore calido originem habuerit, in quo fuerit alteratio facta ad frigidum & siccum resolutis partibus tenuioribus, & ita habetis omnes inflammationis species. sed dixerit fortasse quispiam me nō commemorasse omnes inflammationes: sunt nanq; & steatomata, & atheromata, & abscessus, & alia plurima, cui & ego dicam non esse proprie has inflammationes, sed in compositione morbos: cuiusmodi sunt & meliçerides, fistulæ, quæ omnia infra vos videbitis, Nunquid etiā sunt bubones, & alia quæ sunt inflammationes, Nam Gale. docebit inferius plures esse inflammationes, quæ sumunt nomen à loco: potest esse inflammatio in costis, quę pleuritis dicitur: potest esse etiam in cerebro, quę phrenitis appellatur, sic & phygethlum

est in

est inflammatio in glandulis,bubo dicitur inflammatio in adenibus fortasse & vera inflammatio in inguinibus:phyma verò dicitur bubo,vel phygethlum cum tendit ad ipsam suppurationem,alia plura non habemus,de abscessibus suo loco tractabimus, nunc agimus de inflammatione quatenus inflammatio est tantum intemperies: vbi verò facit abscessus est inflammatio in cõpositione,inflammatio inquam est cũ tenditur membrana,sed non facit abscessum. Nam vbi materia tendit ad locum inflammatio fit,quæ est de genere intemperierũ, quæ quidem inflammatio tres habet gradus siue ordines suis nominibus nuncupatos & apud nos,& apud Arabes: quod nos primum dicimus inflammationem, Arabes apostema appellant: quod nos deinde abscessum,illi exiturã:quod tum nos suppurationem,illi maturationẽ vocant.Nõ sunt autem morbi in compositione nisi per accidens,vel quoniam cõprimant locum in quo sunt,vel quoniã in aliqua vena ratione loci præterquam quod sit mala intẽperies,fiunt etiam morbi in cõpositione.Cum itaq; has intemperies,has inflammationes perfecerit Galen.accedit ad secundũ, scilicet ad indecentes cõpositiones. DE SINGVLARVM AVTEM PARTIVM CORPORIS

AFFECTIBVS ET &c. Attendite quæso, quare sic dixerit DE AFFECTIBVS SINGVLARVM &c. Non dixit de aliquibus. ratio est, quia determinasset sese ad aliquos duntaxat, & agit tamen de omnibus: neq; etiã de omnibus affectibus dixit, quia non tractat de omnibus explicite in vniuersali. Et ideo indefinite: quoniam si de aliquibus, malè dixisset de omnibus se agere in virtute. si de omnibus, malè etiã dixisset, quippe qui non de omnibus explicite tractat. Si vultis assequi, quæ dicturus sum, operepretium est vos eorum, quæ supra diximus meminisse, debetis scire quemadmodum distinximus omnes inflammationes, & potius intemperies positiue scilicet tam quæ sunt cum affluxu materiæ, quam quæ sine affluxu materiæ, dicebamus in diuidẽdo, intẽperies aut est exterius, aut interius: postea quoniam harũ vtraq; aut est cũ affluxu, aut sine: quæ sine affluxu dicebamus aut esse calidam, aut frigidã: & si est calida, aut calida simpliciter, vel nõ simpliciter, etiamsi habeat quid adiunctum: & vt est materia diuersa, fiunt etiam diuersæ inflammationes: Galen. 2. vel 10. therap. in principio: de his autem in hoc libro secundo non tractat, causam supra nos adduximus: eodem deinde modo & cum affluxa materia erat diuide

uidebatur, de qua hic agit: nam aut erat calida, aut frigida: hic notate, si supra lapsu linguæ dixi inflammationē quandam esse calidam, quandã frigidam, non recte dixi, sed potius debebam proferre intemperiem: non fit enim inflammatio à re frigida: si calida est intemperies aut à bile est, aut à sanguine, aut ab vtroq;: si fit intemperies ex sanguine hoc esse potest tripliciter, aut est sanguis purus peccans in quantitate tantũ, aut potest esse ichor sanguinis scilicet pars ipsius tenuior, aut sanguis fæculentus, crassus. si peccauerit purus sanguis sola quantitate, ita vt ad aliquam partem fluxerit corporis, tunc dicitur inflammatio, seu Græcè phlegmone communi nomine: si autē pars sanguinis tenuioris feruidi putruerit quæ dicitur ichor, tunc fit erysipelas. Atque hic bene aduertatis, quoniam aliquibus fortasse mirũ videbitur me dicere erysipelas fieri ab ichore, quoniam Gale. oppositum dicere videtur, & iam fere tota medicorum turba tenet ab ipsa bile fieri, dico quod tota via errant, & falluntur, vt bene in sequentibus ostẽdemus, quoniam ex ichore fit, quod nõ bilis est, sed proximus naturæ ipsius bilis, est enim medius inter sanguinem & bilem. nunc itaq; supponatis erysipelas à parte tenuiori sanguinis procedere: si sanguis de-

fluxus ad aliquam partem corporis fuerit crassus,& fæculentus,tunc fit inflammatio, quæ dicitur carbunculus,& sic hactenus habetis tres species inflammationis,quando sanguis ipse peccauerit,nec sunt plures,nec pauciores. illa verò inflammatio,quæ fit ex affluxu bilis tripliciter esse potest,vel enim peccabit bilis pura,& syncera sua quantitate tantum,& tunc inflammatio,quę dicitur communi nomine herpes:si autem aquosa, tenuisq; fuerit,tunc fit species herpetis,quę dicitur milliaris,quia paruas pustulas millio similes habet, quando ipsa fit materià tenuis ad superficiem cutis transiens:si verò bilis non tenuis,sed crassa,tũc gignit & aliã speciem herpetis,quæ dicitur estiomenos, & sic tres sunt inflammationis differentiæ seu species ab huiusmodi bile prouenientes, vt etiam tres à sanguine peruenire possunt. monere autem vos hic velim vnum,ne erretis in huiusmodi distinctionibus legendo Auicen.& maxime de specie illa herpetis, quæ milliaris dicitur,lapsus est in his Auicenna,tertia quarti,ex quo,si ipsum legetis multas assequimini tenebras. Caueatis itaque ab eo ibi,habetis inflammationum species sex.tres quando bilis per se,& sola peccat,& totidem quando sanguis similiter solus peccat.si verò compositio bilis cum sanguin

guine fiat,& permistio,tunc superans & dominans aliis vendicabit sibi nomen:vt verbi gratia,si bilis cum sanguine fuerit permista,& peccat,etsi bilis crassa,& non syncera, & pars sanguinis tenuioris similiter tunc si vincat ichor bilē crassam appellabitur erysipelas estiomenon,& sic de aliis itidem dici potest,si verò contra bilis crassa dominabitur, tunc dicitur herpes estiomenos, & erysipelatodes:quoniam quæ habet victoriam primo sibi accipit nomē,& de his hactenus,quo ad intemperiem calidā.si verò intemperies fuerit frigida,cum affluxu materiæ,etiam distinguitur vt tertio meth.habet Gal.ex varietate humorum peccātium fiunt variæ intemperies: huiusmodi enim peccantes possunt esse quadruplici differentia vel est flatus, vel pituita, quæ aut est aquosa,aut pituitosa,sed quæ venit ab his intemperies cōmuni dicitur nomine œdema.quartus humor peccans est quādo propter moram materiæ in parte aliqua contractam resolutæ sint partes tenuiores, & remanserint partes crassæ siue illa materia fuerit calida prius, siue frigida. Incipiamus autem à materia flatus,& merito, quia præ aliis habet minorem frigiditatem,nec sic periculum magnum affert.si ergo flatus peccauerit tunc dicetur œdema,

hoc enim commune flatulentum, si materia pituitosa affluxerit, quia pituita potest esse aut crassa, aut aquosa, variæ etiam nominum differentiæ assumuntur: si enim peccauerit pituita crassa, tunc dicetur œdema pituitosum: si aquosa aquosum. ex tertio autem humore frigido, qui dicitur humor melancholicus, consequenter cancer, intelligo eum occultum, non qui est cũ vlcere, sed sine vlcere, duplex enim est cancer cum vlcere, & sine vlcere, vt infra videbimus. est quartus humor frigidus, vt verbi gratia si defluxerit ad aliquam partem corporis aliquis humor siue calidus, siue frigidus, siue scilicet sit sanguis, siue bilis, siue pituita, siue humor melancholicus, siue simul misti sint, tunc si partes tenuiores resoluantur, & calidiores, remaneantq; terrestres ac frigidiores fiet intemperies, quæ dicitur, scirrhus, à quocunq; enim humore potest peruenire ipse, vt supra ostendebamus, & sic cum sint quatuor materiæ frigidæ flatus, pituita, humor melancholicus, & humor refrigeratus incrassatus, quatuor sequẽtur intemperies ex his, & diuersa etiam nomina, & sic habetis omnes differentias simplices intẽperierum, tam calidarũ, quam frigidarũ, & sua quoq; nomina si superius quod nũc intemperaturam vocamus, vocari inflammationem, & fieri

fieri inflammationem à materia frigida diximus, hoc fuit dictum lapsu linguæ, verum est quod non potest fieri inflammatio à re frigida per se, sed aduenieute putredine ob eam causam, quod illius loci in quo caliditas est, vel frigiditas intemperaturã considcramus potissimum. ideo quanquam sequatur postea vnus, qui est morbus in compositione, & accedat quoq; soluta continuitas, nihil tamen hoc offenderit cum primo locò consideretur temperatura, cui postmodum annexi sunt reliqui morbi tum in cõpositione, tum in solutione continui: nam cõmiscentur nonnunquam, imò fere semper confunduntur in temperatura mala cõpositio, & soluta continuitas. hic verò censentur nominibus, quæ à re magis principali factam denominationem ostendunt: vnde abscessus, qui hoc nomine appellatur, dicitur à principali sua denominatione, & sic cũ eo annexa fit temperatura statim, quam primum sit indecora cõpositio, itẽ & vlcus dicitur cõtinui solutio facta inquam à principaliori denominatione, quanquam ei, & intẽperatura, & copositio etiã mala est coniuncta. quid ergo mirum si & inflammationes dicamus intemperaturas factas, vt in superioribus, ita & has à precipua nomẽclatura: iam verò ad Gal. textum accedamus. DE

SINGVLARVM AVTEM &c. Proponit Gal. quod vult in toto lib. tractare, neq; verò credatis Gal. tractare de singularum partium affectibus, quemadmodum fecit Auicenna, qui incepit à capite & ab ægritudinibus ad cuiusq; partis ægritudines particulares, minime: quo in loco sciatis cuiusque partis ægritudinẽ dupliciter intelligi prius per naturam, deinde per indifferentiam: per naturam diximus pleuritidem ita esse lateris ægritudinẽ, vt non sit alterius: & phrenitim cerebri inflammationem ita esse per naturam, vt non sit alterius: per indifferentiam dicimus partis ægritudinem, cui quidem esse in parte datum est, sed ita vt non magis in hac, quam in illa, atque de his affectibus agit Galen. qui tam in hac, quam in illa parte contingunt: & in vna quidem, sed in hac non necessariò, nec determinatè cum in primo egisset de his, quæ totum adoriuntur corpus. videbitur forsan alicui de omnibus affectibus Galen. tractare per indifferentiam, quod tamen non præstat, iam diximus indeterminatam habere veritatem ad vnumquodque membrum. Nam & Galenum non tractare de omnibus, cum non explicuit de psora, & lepra: quanquam fuere nonnulli, qui existimantes illum tractare de singulis hoc modo addiderunt in

tex.

tex. Galen. nulla alioqui in tex. Græco mentione podagram, & leprã, & tractare etiam de omnibus, verũ est in virtute: affert enim methodum, qua cuique intemperiei possumus occurrere, nedũ podagræ, aut lepræ, AB INFLAMMATIONE EXORSI ET &c. tametsi intelligatur inflãmatio tam de intemperie sine affluxu, quam cum affluxũ, hic tamen de ea solum, quæ cum affluxũ intelligit, traditq; quo ordine sit procedendum: nam ab inflammatione exordiendo VT QVAE ET FREQVENTISSIME &c. assignat causam quare ab inflammatione sit exordiẽdum: quoniam frequẽtissime accidit, quod verò frequentissime accidat respectu aliarum omniũ intemperierum perspicuũ est: primo propter habilitatem, & hoc natura rei facit: vnaquæque etenim inflammatio est in genere fluxionum: nisi fluxione autem illa solet frequenter accidere, quæ membrũ habet robustius mandans, & vias latiores, & materiã copiosam admodũ, & membrũ recipiẽs debile. In inflammatione autẽ calida est sanguis ferũẽs ratione acrimoniæ, ac tenuitatis, qui nõ facile fluit, sunt viæ latiores, quia calidi est aperire: deindevbi humor est calidus aliquo in loco virtus ibidẽ est fortior. Nã calidi est excitare, hac ratione inflãmationes lõge fre

 quentius

quëtius essent. ACCEDIT ETIAM EXPERIENTIA &c. ex decem quæ contingunt inflammationes erunt octo calidæ cum sit paratissimus humor calidus ad fluxionem faciendam, quod etiam debeamus incipere ab his, quæ frequentissime accidũt clarũ est: nam debemus, quæ maximè vtilia sunt ante declarare, quæque scire præstat, quam cætera minus vtilia. ANTIQVAM etiam mens occupetur aliis habentibus turbidis, & plurimas habet differentias & &c. Hæc est alia ratio quare ab inflãmatione sit exordiendum, quod quidem habeat plures differẽtias: iam vidistis sex præter illas, quæ fiunt quando complicantur, videbitis postea infinitas. In vnoquoq; autem genere, vbi sunt duæ differentiæ oppositæ, & in vno membro plures extant differentiæ, in altero non: ab eo quod plures habet differẽtias debemus incipere, verbi gratia, corpus diaphanes quoddam est tenebrosum, quoddam lucidum: ab hoc quisquis est sanæ mentis incipiet, non à tenebroso cum plures habeat differentias: nam differentiæ sunt cognitionis causæ, & quanto quippiam plures habet differentias, tanto distinctius cognoscitur. Quare ab inflammatione calida est incipiendum, quę plures habet differẽtias, quam aliæ: quibus omnibus

bus febres accidere solent. Quid si non omnes inflammationes sequentur febres: occurrunt enim chirurgi inflammationibus, & bubonibus sine febre, non est ergo necessarium quanquam sæpe cõsueuit. dicet quidam Galen. OMNIBVS TAMEN ET SOLVIT ET &c. addidit, vbi enim sit aliquis terminus contingentiam, & possibilitatem includens, hic iam non ponit actum, sed aptitudinem, dicimus quidem omnes homines solitos irasci, non omnes irasci, cũ qui irascuntur frequẽter, solent irasci: quia habent aptitudinem ad irascẽdum, sed hæc logicis dimittimus: ita familiare est, vt contingat febris inflammationibus, si alicuius sint momenti saltem ephemera, vt in bubonibus. potest enim esse tam parua putredo, vt calor successiue non deueniat vsque ad cor, ita vt non erit apta huiusmodi dispositio, vt febrem efficiat. ITAQVE ET &c. concludit omnes istas inflammationes esse aptas ad febres faciendas, quia in omnibus est immodicus calor sic aptissimus ad febrem: quod si calor tantas habet vires, vt possit saltem spiritus alterare, & perueniat ad cor, faciet saltem ephemeram. harum autem cuiq; sua inest differentia, ex qua tum species cognoscitur, tum idoneũ remedium suppeditatur: breuissime totã rationẽ me-

dendi tradet. scitis quomodo differētiæ dicuntur constitutiuæ specierum : dicit ergo in vnaquaq; inflammatione esse suam differentiam, quæ facit species, omnisq; curatio habet ortũ à natura morbi cognita eius specie, hæc autē cognita sua differentia quæ est forma, ex differētia sanè cum genere species constituitur, ex differentia quoque eadē cognoscitur. oportet enim vt homo ponatur in esse, & cōstituatur, & ratio propria speciei est à differentia rationali, ita etiam per differentias cognoscitur cum facit rationis opera. facit itaque differentia & constitutionem, & cognitionem, tũc remedium idoneum suppeditatur: non possumus quidem suppeditare remediũ, nisi natura morbi cognoscatur, quoniam ex cognitione speciei quamprimum cognoscitur remedium si applicetur secundum rationem conueniens naturæ eius : quam verò continuè dixit Galen. IDONEVM REMEDIVM ET &c. diximus alias non esse remedium, nisi applicetur secundum rationem, est quidem materia remediorum, qui ergo docēt multitudinem remediorum, & receptas, & secreta, dant materias remediorum, non remedia, materiam inquam quæ se habet ad vtrunq; , hoc est, quæ & præsto esse, & abesse potest. quãdoq; enim interficietis, quoniam

non

non sunt remedia, nisi applicentur arte, & ratione adhibita. Fit autem remedium idoneum, cum natura & species morbi cognoscitur, quæ cognoscitur sua differentia perspecta: ALIA ENIM HERPETIS ET &c. à natura rei variãtur indicationes: quocirca si volumus applicare idonea remedia, ipsi aspectus dignoscendi sunt: quare si inflammationes curandæ, earum differentiæ per sua signa cognoscendæ, & prius inflammationum differentiarum distincta est habenda cognitio, sicut & in primo loco fecit Galen. nam prius differentiarum signa ponere, quas scire prius oportet, aliter non curabuntur. PRIMA ITAQVE INFLAMMATIONIS SPECIES &c. hoc loco Galen. inflammationis nomen vno modo accipit, alio modo superius dixit, ab inflammatione exorsi, illic intelligebat de ea, quæ cum affluxu materiæ: hic verò de omni intemperie calida, & humida, &c. dicit humidam quæ est cum affluxu materiæ, & siccam quæ est sine materiæ affluxu: signum, quod nõ loquutus est de inflãmatione proprie dicta, hæc sicca dicitur intẽperies præter naturam citra vllum defluxum, quã appellant quasi febrem membri: nam si febris est calor innatus ad igneũ versus, & hic est calor innatus, qui accedit ad igneum, quid

intereſt,niſi quod in hoc membro eſt veluti quædã febris: vbi verò totus calor vniuerſus eſt mutatus ad igneum eſt febris abſolute, quæ cum ad immoderatam iam caliditatem & ſiccitatem peruenit extinguitur omnino,& moritur. ſciatis quod vbicũq; eſt intẽperies tam cum affluxu materiæ,quam ſine affluxu materiæ,& natiuus calor vel extinguitur,vel augetur non poteſt munia vitæ obire: nam in quolibet mẽbro(vt alias dixi)eſt temperatura propria,calor naturalis dictus complexionalis declaratus & ab Auicenna, & à Galeno, qui eſt duntaxat in potentia non in actu non exercẽs opera vitæ, niſi actuetur à calore manente à corde dante actum vitæ in ſingulis etiam membris, & per ea diffuſus ponens in actu calorem complexionalẽ: vbi enim principalis ille calor non eſt tantũ alteratus, ſed etiam amittit propriam formam,emoriũtur mẽbra,vbi inquam ſuffocatur,qui deueniet ad membrum propter multitudinẽ humoris, aut malitiam vel augetur, vel extinguitur: neq; exercet opera vitæ, quæ ſi debet obire illum neceſſe eſt eſſe moderatum. Quare fit aſchachilos paſsio vt arabes dicunt, ſecundum Græcos ſphacelos, à latinis qui male verterunt ſyderatio dicitur, quæ aliud eſt, quam aſchachilos:eſt enim tanquam caries

propter

propter extinctionẽ caloris innati. siue ergo ab opposito extinguatur calor innatus, siue elidatur, siue suffocetur, siue resoluatur propter calorẽ igneum fiet corruptio, & caries ex diminutione caloris. QVO CIRCA NEQVE IN PLVRIMA POTEST DIVIDI QVEMMAMODVM ALTERA DIFFERENTIA ET &c. Vult diuidere Gale. omnia membra,& accipit illam partem,quæ nõ potest diuidi, & hæc est inflammatio sine materia: vt antea diximus non potest aliquid diuidi, in species,nisi varietur vel qualitas,hoc est forma vel materia:inflammatio, siue intemperies sine materia non potest diuidi per materiã, quam nõ habet, sed per qualitatem solum: quæ sunt diuersæ & variæ qualitates, faciũt diuersas diuisiones, & differentias: frigida tamen non est inflammatio, calida tamen postea non potest amplius diuidi, imò non dixerit quispiã tu diuisisti cum dicebas calidam quandam esse tantum, quandam calidam & humidam, quandam calidam & siccam, quæ omnes sunt intemperaturæ calidæ,& tamen habent differentias, quia habent varietatem qualitatum. Nam ad differentias constituendas materiã vel formam variare oportet: variatur autem forma sic: in vna est caliditas tantum, in alia caliditas

& siccitas, in alia est caliditas & humiditas: ad hoc respondeo verum esse, si intelligatis de omnibus intemperaturis, nempe tot esse differentias (vt diximus) sed si intelligatis non de qualibet inflammatione, sed de inflammatione intensa, quæ facit febrem in membro, tūc non licet diuidere. nam febris qualitas febris habet calorem, dico quātitas febris ratione formæ, quā intelligit hic Gale. cum dicit hoc autē quadam tenus febris partis ipsius, scilicet, inflammationis, vbi ergo est inflammatio in aliquo membro, (vt diximus) erit calida, vel sicca tātum inflammatio. NEC EST TVNC CALIDITAS CVM HVMIDITATE QVEMADMODVM ALTERA DIFFERENTIA &c. Quæ est ex defluxu materiæ ad aliquam partem, quæ dicitur humida. diuisa ergo inflammatione in siccam, & humidam, sicca non amplius diuiditur, humida verò sic: quia hic non deuenimus ad alterā differentiā sicut in sicca, sed de his hactenus.

Debetis meminisse quemadmodū ex Galeno posuimus diuisionem intemperierum calidarum, diuidebat enim Gal. intēperies calidas hoc modo, vt quædam essent siccæ, quædā humidæ, siccas appellabat, quæ sunt sine affluxu materiæ: humidas, quę cum affluxu materiæ. diximus intēperiē calidam

sine

ſine affluxu, non pati diuiſionem aliquam, quia eſt differentia vltima, deerat ſecũdum diuiſionis mẽbrum intemperiem calidam diuidere, quæ eſt cum affluxu. EIVS ENIM MVLTAE SVNT SPECIES. Diximus & probauimus ex Galen. ſententia 13. therap. differentias vt intemperierum diſtinctiones à diuerſa fieri materia, cum dicimus intem peries cum affluxu eſſe varias, materia eſt quæ huiuſmodi diſtinctionis eſt cauſa. ISTARVM ERGO INTEMPERIERVM CALIDARVM CVM AFFLVXV MATERIAE, QVAEDAM A SANGVINE, QVAEDAM A BILE ET &c. notate indiget hoc ſpeculatione, quod ſi animaduertatis, reliqua erunt faciliora, iſte eſt ſenſus, facit nouam differentiam Gale. iſtarum inflammationũ, quod intemperierum calidarum cum affluxu materiæ quædã ita ſe habent, vt humor calidus antequam defluat ad locum inflammatũ ſit putrefactus, quædam ita, vt ante non putruerit, quã defluat, ſed poſtquã defluxerit in loco putreſcat infartus, quem appellãt iſti incuneatũ, vel obſtructum, & ſic aut humor deſcendit putrefactus, aut putreſcit in loco. hæc ergo eſt noua differentia, ſi illud ſemper verum eſt ex varia ſeu noua qualitate, vel noua materia variari differentias, vbi fuerit intẽperies

ries cum affluxu materiæ nouæ facit nouas differentias: intemperierum enim cum affluxu quædam à sanguine, quædam à bile, quædam ab vtrisque: fuit hæc distinctio ex materia perfecta. Itidem si dicatur fluit humor putrefactus, fluit non putrefactus, nascentur nouæ differentiæ: humor enim putrefactus & non putrefactus differunt toto genere, & oppositi sunt, quoniam alter vndequaque est præter naturam, alter non est. sed dicet quis, quid ergo dictũ supra nullas præter eas, quæ dictæ sunt intemperierum cum affluxu differentias inueniri, cum tamen Galenus nouas afferat, quod si putrefactus humor, & non putrefactus nouas efficiunt differentias, quo nomine, qua natura præditæ sunt huiusmodi, quæ ab his fiunt inflammationes, hactenus non est visum si defluat humor putrefactus, & faciat inflammationem ratione putredinis, cuius naturæ ea sit, nec quo nomine appelletur, quoniam de hoc non dictum est, & per quæ signa cognoscantur, vidēdum est vbi de hoc tractat Gale. quoniam post tractabit de his, si non fuisset præuaricator cum de his operepretium sit tractare: hæc est vna difficultas ad quam & aliæ duæ accedũt maiores: quibus solutis & prioris erit habita solutio. præterea quærendum est nunquid sit eadē ratio in

febribus,

febribus: quæ est in huiusmodi inflãmationibus: atqui in libr. de inæquali intemperie eadẽ ratio est de affluxu materię ad totum, quærendũ inquam febribus interpolatis, in quibus extant humores extra venas expulsi, quoniã quãdoq; exeunt putrefacti, quandoq; non: sed putrescunt: vtrum enim si pituita putrefacta in venis exeat extra venas: sit eiusdẽ rationis cum ea, in qua pituita nõ putrefacta extra mittitur? vtrum eadẽ febris ratio, an non eadẽ? præterea ex quo dicitur, aut humores putrefacti, quærendũ est ad locũ inflammatũ deueniẽtes non putrefacti nunquid si pituita frigida putrescat, tunc proculdubio erit calida, & defluat ad locum, cum sit putrefactus humor, & propterea calidus nunquid reponẽda sit huiusmodi inflãmatio, vt defluxio inter inflãmationes, an inter intemperies frigidas: si inter frigidas dixeris, materia ista calida est cum sit putrefacta: si inter calidas, fuit ergo diminutus Gal.. vbinam hoc tradidit? neq; verò alij sunt humores calidi præter dictos à nobis. Ad primum cum quæritur, cuius naturæ sit inflammatio, quæ generetur ab humore descendente iam putrefacto, de non putrefacto, & syncero: iam vidistis differentias, & quas species inflãmationis faciat humor putrefactus, quo res facilior sit, acci-

piamus sanguinem, & videamus, quæ ab eo possunt proficisci: si putrefactus deueniat ad loca inflammata, credo meminisse vos quòd sæpenumero diximus ex secundo de diff. feb. c. 9. in fine, quando sanguis putrescit, deuenit ad naturã bilis: quãdo tenuior est, & efficitur bilis nõ plane, sed ad eius tendens naturã: si verò crassus sanguis sit, efficitur melancholicus humor. Si ergo tenuior pars putrescat, & fluat efficit erysipelatis speciem, de qua infrà tractabimus: nam habet omnes conditiones requisitas ad erysipelata: sanguis enim si est tenuior tendit ad naturam bilis, eiusdẽ rationis cum illo humore, qui facit febrem synocham cum putredine, quæ (vt persæpe diximus) non fit à putredine sanguinis, cum non putrescat præterquam in pestilentialibus. Itaque putrescens tenuior pars sanguinis vergens ad naturam bilis, tendénsq; ad locum inflammatum facit speciẽ erysipelatis: si verò sanguis crassus putrefactus deueniat cum sua putredine ad locum inflammatum, factus quidem est succus melancholicus, pars illa sanguinis crasioris adusta inquam succus melancholicus non naturalis cuiusmodi est, cũ natura separat fæcẽ à sanguine, sed tunc est ob putredinẽ succus melãcholicus, pars illa, scilicet sanguinis crasioris adusta

iam

iam nō amplius facit simpliciter cancrum, sicut facit fæx adusta, quæ longe benignior est, sed facit cancrū cum additamēto, id est cū vlcere siue vlcerosum, quemadmodū & nō pura bilis facit herpetē cum additione esthiomenon, id est corrodentē nō simpliciter herpetē, atq; hæc sint de sanguine si putrescat. si verò bilis fuerit quæ putrescat, & putrefacta deueniat ad locū inflammatū, vt eius sunt variæ putredines varia fiūt inflammationum genera. potest primo ex eius putredine fieri atra bilis, quę si descendat ad locum inflammatum facit non erysipelas, nec herpetem qui esthiomenos dicitur, qui fit à bile crassiori, tamē sub specie bilis, sed cum sit facta atra bilis, quod est pessimum adustionis genus, faciet phagedenas morbū, scilicet qui dicitur sancti Antonij, vel noli me tangere, quæ omnes sunt cum vlcere aliquo caco, & hæ ab antiquis dictæ, & habent plures gradus, cur verò sint ita maligna? causa est, quod in his nihil deterius est, quam terrestre adustū, vnde fit maxima corrosio: & idcirco vitriolum, vt aliàs diximus, habet vim erodiendi, quia habet caliditatem cum terreistreitate, & quæ hoc modo sunt maligna sunt, quod si bilis non ita putrescat, vt rarefiat ne ipsa quidē appellabitur amplius bilis, permultos etiam hoc modo ha-

bet gradus, verbi gratia ex bile prasſina, & eruginoſa ſtatim exulcerante & fiunt varia genera vlcerum erodentium, non ita quidem ſicuti priora, tamen ſunt maligna, quę habent varios gradus, & omnia conueniunt in hoc, vt vlcera dicantur. & inter alia peſſima, quæ bile putrefacta in atram bilem verſa, atque in locum inflammatum deſcendente fiunt: atque hæc de ſanguine, & bile putrefactis deuenientibus ad inflammationis locum, quæ non faciunt ſimplices inflammationes, ſed cum vlceribus. Iam verò ſi humores, vt reſpondeatur quæſtioni, deſcendẽtes ad locum aliquem non nominabitur inflammatio, nec faciet aliquo modo tumorẽ præter naturã ex his, quos ſuprà diximus, ſed faciet apoſtema calidũ, non quidem calidum propter humoris naturã, ſed ob putredinem ſibi aduenientẽ, per quam mutat ſpeciem. quomodo autem cẽſentur, & cuius naturę ſunt? dico vbi pituita putrefacta deuenit ad locum pro ratione varia putredinis fiunt variæ inflammationes, vt ſi pituitoſa materia propter putredinem ſalſedinem acquiſiuerit, & faciat inflammationẽ, ſi pauca ſit faciet impetigines, ſi multa lepras, quæ dicuntur leucæ albæ propter quas decidunt pilli. ſi verò humor pituitoſus maiorem habeat putredinem, & fuerit

craſſus

crassus facit inflammationẽ dictam saphati ab Arabibus, inter mala vlcera numeratã achores in capite, quas tineas vulgo vocãt. quando non est putrefacta pituita facit solùm œdema quod ab ea vel magis, vel crassa exoritur. scabies etiã inter hæc enumeratur, quæ à pituita salsa prouenit modo per adustionẽ bilis: cuius verò naturæ sint, cunque humores putrefacti descendunt ad loca inflammata, vtrum diuersæ naturæ ab humoribus non putrefactis? clarũ est quod diuersæ sunt naturę, quibus notis quispiam dixerit cognoscuntur? notetis à natura rei, nunc verò ponere signa non vacat suis quæque locis ponuntur, satis fuit ponere differentias. si quis dixerit vbinam hæc Galen. habet? videat ille in secundo de tumoribus præter naturam, & in libro de inæquali intemperie, vel de plenitudine, & 13. & 14. the rap. sed præcipuè in libr. de tumoribus, vbi omnes enumerat differentias non eo ordine, quo nos statuimus. restat dubitatio cur non posuit hic Galen. has differentias, quas diximus, sufficiẽter distinxisset omnes differentias, quæ sunt sex, nisi vltra computentur: hoc autem ordine tradito non solùm non erunt viginti: sed etiã mille. Nam quemadmodum in secundo libro de facultat. natur. dicebat Galen. ex mente Protha-

gorę dicentis seu ponentis vndecim, vel tredecim humores si multiplicamus putrefactos, qui prout non sunt putridi, sunt quatuor: imò erunt infiniti pro ratione putredinis, ita in inflammationibus erit dicendum erunt infinitæ differentiæ pro ratione variæ putredinis: sunt enim varia pustularum genera, quædam genera vlcerum, quæ non omnia credent chirurgi, sunt innumeri gradus. cur in diuisionibus nō posuisti has differentias? respondeo me posuisse tantum eas, quæ procedunt ab humoribus sub propria rerum forma ad loca inflammata defluentibus, ita vt cum dicimus inflāmationes calidas à bile, vel à sanguine, vel vtrisque fieri intelligi volumus de bile rufa, non de atra: de sanguine sub propria forma non putrefacto. Itaque solùm simplices differentiæ sex sunt, quę si postea cōponantur sexdecim omnes. dicet quispiam bilis putrefacta facit inflammationem: iam diximus non poni inter differentias, sed inter eas, quæ sunt ex humorum putredine, quæ sunt innumerabiles. ad vltimum quæsitum de febribus, nunquid quemadmodum contingit in inflammationibus, in quibus varia non est, si descendant humores non putrefacti ad loca inflāmata, ab ea si putrefacti deueniant, ita etiam in febribus continget,

nam

nam humores vt pituita, vel bilis, qui tépore accessionis expelluntur ab interioribus partibus venarum extra, quandoq; potest vsu venire, vt exeant putridi, quandoq; non putridi: nunquid si putridi exeant eadem sit species febris, ac si non putridi exirent? verbi gratia si pituita putrefacta exeat ab interioribus partibus venarum, vtrum faciet febrem eiusdem speciei, vt pituita, quæ exeat non putrefacta, postea tamen putrescat? respondeo vbi putrescit pituita, vel alij humores in venis fiunt febres, quas assiduas vocamus, & ponunt humores ipsos in calefacto esse, & sic tunc veræ cõtinuæ, fiunt cum in venis humor putrescit. vtrum modo possit expelli extra venas? sic, quod genus faciet febriũ quando extra venas expulsus humor fuerit? sunt infinitæ: ex variorũ enim humorum putredine diuersæ fiunt febrium species, de quibus postea nos tractabimus cum suis accidentibus insequentibus, & cum seruant eundem typum, nec faciunt nouum genus à principio, vt in febribus, quas vocamus ardentes, cum enim humor intra venas putrescit biliosus fiet rigor, itidem erit cum extra venas, intermittentes vocantur, & sic non fit nouum genus febrium, quoniã tantum mutatur typus, & sic habetis responsionem in dubium.

PVTRESCIT IN PARTE INFARTVM, &c. Vbi putrescit & de inæqualitate temperaturæ, vel natura vincit morbum, vel vincitur: si vincitur morbus dissoluitur per halitum, vel deuenit ad suppuratione, si vincit morbus naturam vel ad spacelum, id est membri mortificationem deuenit, vel ad duritiem. IDQVE VEL SVBSTANTIAE CRASSVM EST, VEL TENVE, VEL SVAVE, VEL ACRE, &c. Nolite referre ad id, quod iam dixit putrefactum, sed ad id quod non est putrefactum, & hoc est perspicuum ex verbis sequentibus: dicit enim sanguinem quendam substantiæ crassum, quēdam tenuem, ita vt de humoribus intellexerit, cum non sint putrefacti. VEL SVAVE, &c. Malè versum est hoc ab interprete, & Leoniceno, qui optimè vertit: nam nec suauem, nec optimum significat χρήσιν χύμος: χρήσις enim idem significat, quod bonus, vel vtilis χρήσις, αἷμα sanguis bonus, vel vtilis naturaliter generatus à natura ad aliquam vtilitaté, cuiusmodi sanguis sub forma sanguinis, bilis sub propria forma, sic pituita. cum verò habent qualitaté præter naturam, non sunt amplius humores vtiles, vt si bilis prasina fuerit, pituita salsa. SANGVIS CRASSVS quo ad substantiā, amarúsque, vel acris, &c. Quare dixit

xit hoc modo? quia loquitur de inflãmationibus pendentibus ab humore calido, cum transit ad qualitates, præter naturã fit vel acris, vel amarus: acidus minimè: nec astringens. SI ERGO SANGVIS, &c. incipit ab humore defluente sub propria natura, quando est bonus adhuc non mutauit naturã. potest autem dupliciter mutare naturã quippiam, vel enim potest alterari ita aliquid, vt non mutet formã: quod si ita sit, fiunt inflammationes, quas priori loco diximus: vel potest alterari ita, vt mutet propriã formam, & ita inflammationes tunc, quas secũdo loco diximus. bilis enim quan do seipsa crassior, vel subtilior est adhuc bilis est: itidem sanguis sub forma sanguinis est etiã siue subtilior sit, siue crassior: tamen non putrescunt, nec mutant formam. incipit ergo Galen. ab inflammatione cum vtatur compendio, quo docet totam medicã artem. Idcirco solùm posuit necessaria ad indicationes inueniẽdas, vt fiat curatio, & affert materiã & formã à quibus sumatur indicatio quid agendum: satis enim hoc sibi fuit, vt traderet indicationes à materia, & à forma sumptas. ego verò non solum quid agendũ, sed etiã quantũ, & quomodo, & quãdo, & cur, & vbi, vt cognoscatis ad naturam totam inflammationum ha

habendam afferam methodũ, quam docet Gal.in libr. de tumoribus præter naturam: quã quidẽ auspicari possumus in inflãmationibus adesse sanguinem, non alterum humorem, à Galeno ita deducitur: inflammationibus adest tumor præter naturã: tumor autẽ prouenire non potest, nisi à tribus causis, vel cum substantia est humor, & humor ibi turget cõtentus propter caliditatem & feruorẽ, quia facit illum humorem flatulentum, & funditur, vel quia caro accreuit, verbi gratia manus mea potest intumescere propter carnẽ adauctam, vel quia aliunde fluat aliqua materia, in inflãmatione propriè dicta non potest esse primũ, scilicet calor feruescens fundans substãtiam membri: quia si esset in loco inflãmato causa tumoris, caliditas loci, quæ faceret flatum, & humorem cõtentum in manu turget: si poneneretis res frigidas reprimetur humor manifestè, sed nõ residet pulpa sita re frigida super inflammationẽ: & si cum re frigida perseueretis fit palidus locus, deinde fit scirrhus. præterea si incidatis in locũ inflammatum, non exibit flatus, nec spiritus, sed sanguis, nec detumescet: præterea si non primum, fortasse secundũ erat causa inflãmationis, quod accreuerit aliqua caro. At ne hoc quidem potest esse causa, quoniã si ca-

ro esset addita, non mutaretur calor, nec color saltem, sed intēsio, vt & de niue: sic enim albedinis tantum habet nix pauca, quātum multa, vt & in situla plena aqua calida, sic de carne. SI ESSET CARO ADDITA NON MVTARETVR CALOR ET &c. nec calor sicut nec in situla, hæc tamen duo sequuntur: ergo nec secundum est causa inflammationis, quod caro accreuerit: cū autem sint tātum tres causæ aut flatus, aut caro addita, aut aliquis fluens humor: nec flatus, nec caro id faciat addita, relinquitur id fieri ab aliquo humore affluente, quia aut est caliditas, aut frigiditas: à frigiditate non fit inflammatio: à calido proueniet: calidus autem humor aut bilis est, aut sanguis: bilis autem nec hic facit inflammationē, quoniam flauum colorē haberet: at hic ruber est, ergo à sanguine est tumor talis factus, sed quæro à vobis, quænam sit melior cognitio an à causis, an à signis, si estis empirici melior à signis: sin autem galenici à causis melior cognitio comparatur, cuius gratia vos studetis philosophiæ, tamen empirici sine philosophia artem suam possunt assequi. SI ERGO SANGVIS &c. postquam Galenus diuisit calidas intemperies, quæ sunt cum affluxu materiæ, & quæ sunt sine, & post acceptum illud mem-
brum

brum cũ materiæ affluxu,iterum subdiuisit & dixit intemperierum calidarum cũ affluxu materię quaſdam eſſe à ſanguine,quaſdã à bile.& ideo iure diuiſit,ſi quidem duo tantum ſunt humores calidi ſecundũ naturam ſuam in corpore noſtro:Alij autem vt pituita,& atra bilis nunquam,niſi putreſcant. ita enim diximus dando etiam aliam diuiſionem de humoribus facientibus inflammationem,quoniã quidã fluunt putrefacti ad locum:quidã verò nõ putrefacti fluunt, ſed putreſcunt in loco,in quo recepti ſunt, vel ad quem ſunt attracti.facta autem hac diuiſione Galenus inquit QVAEDAM INFLAMMATIO FIT A SANGVINE ET &c.tunc alterum diuiſionis membrum accipit,aſſumit enim temperaturã,quæ fit ex affluxu ſanguinis,& ſic dicit Galen. SI ERGO SANGVIS BONVS ET &c. in præcedẽtibus aliqua dicere incepimus,quæ ad verborum vſum faciendorum admodũ faciebant,& methodum Galen.oſtendimus in lib.de tumorib.habitam &c. per quam vidimus quomodo diuidendo vnaquæque ſumitur inflammatio.de hoc ſupra ſatis diximus,deerant alia declaranda pro præſentis diuiſionis manifeſtatione : huiuſmodi quidem ſunt,quæ hoc in loco Galen.facit, vt ſumatur indicatio operandi ex cognitis

infla

inflammationibus per indicia,& hac ratione quilibet medicus operatur,& ita propter hoc tota medicina dicitur practica scilicet à fine,quod est operari,& medici sit intentio quæcūq; agere curationis gratia:cumq; Galenus hic per compendia omnia tradat: ideo quod magis ad rem facit ab eo aggreditur,quod est scire quid agendum in curatione,quod sumitur à natura morbi cognita,ac perspecta per suas proprias indicationes.natura autem morbi,siue essentia ex duobus constat,ex materia & forma:his sic positis, & intellectis principalis intentio medici est curare,& scire quid agendū,hoc autem requirit,vt cognoscatur natura rei: quam vult inquirere,& agere de intemperie,quæ fit ex affluxu sanguinis ad aliquem locum.Ideo dicit quinq; indicia huius inflammationis,vt videbimus, quo curandi talem intemperiem per affluxum sanguinis indicationem habemus, & quia sensui vt plurimum,& ferè semper morbus occultatur,operępretium est,vt enumeremus symptomata, quibus quod occultum est deprehendamus,sicut in casu nostro, in quo agimus de inflammatione, quæ fit à sanguine,& eā vidistis tripliciter ab huiusmodi sanguine contingere posse,vel enim peccat sanguis purus,syncerus,affluxus aliquo, & tunc

& tunc phlegmone, vel inflammatio communi nomine dicitur, vel peccat sanguinis pars subtilior, quæ est ichor, & tunc erysipelas, à crassiori parte fit carbunculus. hic autem nos acturi sumus de inflammatione facta à sanguine puro, & mediocri, & sic volumus dare sua signa, & indicia, quæ diximus esse quinq; tradita hic à Galeno. cæterum antequam dicta signa à Galeno relata recitemus, omnia vobis tradere decreui, vt nihil desiderare possitis. Aduertatis itaque inflammationē nō tantū habere causas materiales, sed etiam efficientes, & instrumentales, vt medici dicunt, & ipsum locum, & nisi calluerimus efficientes, instrumentales, & vasa etiam per quæ materia defluat, & locum in quo fit determinate talis fluxus, non inueniemus in curatione indicationes omnes curandi: nam licet ex materia cognita indicationē quid sit agendum non ignoramus, aliæ tamen indicationes quomodo, & quando, & quantum, & vbi nos præteribunt. hæc ergo omnia vt habeatis, necessarium esse videtur scire causas materiales, vt supra omnia non ignorata, incipiamus adamussim rem hāc deducere: & primo de efficientibus tractemus. notetis autem causæ efficientes vel sunt ex parte mēbri mandantis, vel membri recipientis, & nō potest esse

alia

alia causa intrinseca, de quibus sermo est nunc, non de extrinsecis & omnia ista haben tur in secundo de differen. feb. in principio, licet non ita explicitè, & in principio 13. siue 12. therap. ex parte mandãtis membri, quando mandat membrũ ex se etiamsi recipiens nihil faciat, quod membrum recipiẽs concurrit passiue, nempe recipiẽdo: & cum membrum mandãs vere est causa efficiens. illud autem cõtingit propter multitudinẽ materiæ aggregatam in ipso membro, ita vt natura cogatur talem expellere materiã, vel propter malam ipsius qualitatem virtus ad expellendum irritatur, incitatúrq;, & nõ cessat huiusmodi expulsio, donec ad membrum deueniat imbecille, quod membrum recipiens, vt diximus, tantũ passiue concurrit. fortitudo ergo membri mandantis est vna causa efficiẽs: quomodo autem fiat huiusmodi expulsio declaratur in secundo de fac. naturalib. & in lib. de inæquali intemperie, & in lib. de plenitudine. ex parte autẽ membri recipiẽtis quandoq; est causa, quia non est semper in causa membrum mandans, sed & medio modo se habet, & recipiens cõcurrit actiue, & effectiuè, & est causa defluxus: tunc enim membrum mandans habet excrementũ, à quo attrahit recipiens, quod causa est effectiua. illud autem

est vel quia forte membrum recipiens plus æquo incalescit: cum incaluit ratione caliditatis attrahit materiam, verbi gratia, vt quando à sole caput incaluit, tunc attrahit multam materiam ad se, & fiunt postea destillationes pessimæ. hoc enim membrum recipiens est causa effectiua propter calorē aduentitium, vel causa quod recipiēs attrahat est dolor propter quē materiam attrahit magis, sicut à ventosa: propter enim dolorem illius efficitur vt recipiens sit causa defluxus illius, & sic hactenus duas habemus causas, vel caliditatem aduenientē recipienti mēbro, vel dolorem propter quæ duo attrahunt. tertia causa quod recipiens attrahat, & effectiue concurrat est vacuitas membri, sicut ex ventosa: quod faciūt sæpe medici irritantes naturā, quando enim volunt attrahere materiam, apponunt cucurbitulas, & sic ratione vacui trahunt materiā ad locum per partem post partem. vacuitas ergo in membro efficiens est causa fluxionis: habetis hactenus causas efficientes tam ex parte membri mandātis, quam recipientis: quandoq; autē, & sæpe cōcurrit vtrunq; tam membrum mandans propter suas causas, quam membrum recipiēs, cuius rei tres causas assignauimus vel quod attrahat ratione caliditatis, vel doloris, vel vacuitatis, vt in.

vt in pleuritide in principio bene concurrit membrũm mãdans, sed facta fluxione post semper concurrit membrum recipiens effectiue, & principaliter, sic de membro mandante, quod mandat cũ sit repletum materia multa, aut ratione etiam malæ qualitatis id efficit: & sic propter has causas tales fiunt defluxus. Et quoties vna causa sufficit ad vnum effectum, vbi duæ cõcurrunt longe maior & citius fit effectus: vnde si hæc duo cõcurrunt simul pessima sequitur fluxio: hæ sunt causæ membrorum mandantium, vel recipientiũ, vel vtriusq; simul: causas materiales nunc dicere silentio pretereo, cum de his supra verba fecerimus, agamus itaq; de locis recipientibus: loca recipientia immediatè defluxum si fuerit sanguis fluxus faciens inflammationẽ in principio sunt venæ, & arteriæ, quæ in membro sunt inflammato, & post caro musculorum, quæ est proximum subiectum inflammationis, & hoc est cum prouenit inflammatio à sanguine, quæ semper apparet in profundo: quoniam in musculis, & venis, & arteriis est, quæ deinde vbi deuenit ad exituram, vel ad abscessum, vel ad apostema facit peremi nentia membra: si sanguis fuerit subtilis, vt non deueniat in profundum, sed vsq; ad cutis infimam partem, vel extremam spargi-
 tur,

tur,ita vt sit in propatulo tunc sanguinem talem subtiliorem facere erysipelas,si verò fuerit crassus adustus fit carbunculus,& manet ille sanguis crassus adustus in profundo,cuius rei signum est,quod quamuis in carbunculo sit crusta in cute,tamen si tetigerimus ad profundum,sentimus duritiem: quod indicat sanguinem ibi esse adustū talem facientem carbunculum, quod nō erit erysipelas,quoniam aliter se haberet res,cū sit erysipelas à sanguine tenuiori,cum enim subtilis sit pertransit expulsus à natura extremam cutis partem:in carbunculo verò cum sit sanguis crassus adustus manet in profundo.si autem bilis sit,quæ faciat inflammationem,& sit pura facit herpetē verum,& est in cute,vt in epidermide:si fuerit dilutior, aquosior fit species herpetis, qui dicitur milliaris,& tantum huiusmodi bilis est in profundo, ita tamen,vt semper exeat ad extrema propter acrimoniam, & fiunt pustulæ paruæ millio similes:vnde sic milliaris appellatur herpes.si verò sit bilis adusta,non tamen vt sit iam atra bilis,incipit à profundo ad superficiem deueniens,licet ad medium cutis,& exulcerat,& dicitur herpes esthiomenos,& sic habetis & causas, & loca ad quæ fluunt humores tales vel bilis,vel sanguis, quando non sunt putrefacti,

cti, sed sunt in propria forma humoris. his visis modo sunt videnda quinq; signa consequentia ipsam inflammationem propriã dictam à sanguine mediocri, quæ dantur etiam à Galeno in libro de inæquali intemperie, & in quinto therap. licet non sic explicite. primum signum est renitentia ad tactũ, secundum est calor maximus, tertium color rubeus admodum, quartum pulsus infestans in profundo, quintum dolor vehemens: sunt hæc quinq; symptomata insequentia inflammationem, quę quidem nos non ignorare operæprecium est, quia hæc erunt quæ rei notitiam afferẽt: ex qua quidem cognita re de facili etiam scire possumus, quæ videlicet consequi possint symptomata insequentia inflammationẽ, si inueniamus eorũ causas, & vnde sumuntur. dicimus itaq; ex his quinq; duo sumi ab vno fonte, tria ab alio fonte: à primo fonte nimirum ab actionibus læsis duo sumuntur. tria verò ab accidentibus, à secundo fonte nihil nos habemus: declarauimus enim tres esse fontes. in præsenti loco dico quæ ab actionibus læsis sumuntur, sunt dolor, & pulsatio: dolor nihil aliud est, nisi tristis sensatio, pulsatio est actio lęsa in virtute vitali. alia verò tria calor, color, & renitentia sumuntur ab accidẽtibus: sed videamus doloris causas, &

vnde proueniat. Iam aliàs diximus duas esse doloris causas, alteram intemperiem alteram solutionem cõtinuitatis: licet altera ex se sufficiat ad hoc, vt faciat dolorem. primo enim est intemperies, vnde est calor feruẽs, & ex sanguine puro confertim fluente per venas, & arteras secundũ Galen. contra Erasistratum, ad locum fit inflammatio ex calefactione sanguinis in loco, ita vt videatur tendere locus ille, & sic ex calore excitatur dolor. præterea potest esse solutio continui causa doloris, quia dum venæ, & arteriæ repleantur sanguine multo, nec eo solum: sed spiritu etiam extenduntur venæ, & arteriæ impletæ exterius, vt causetur dolor extensiuus. Postremo occurrit musculis, quibus adhæret & multitudo sanguinis, & sic premuntur musculi, ex qua presione causatur itidem dolor facta tali solutione continui. sed notate esse maiorem læsionẽ in venis, & arteriis comprimentibus, quam in musculis cõpresis: quoniam in musculis repressio cum cesset, cessat & dolor, & nunquam ferè cessat in arteriis: siquidem arteriæ semper mouentur, & sic propter plurimam percusionem, & continuum motum causatur dolor continuus, & vehemẽtior, atq; multiplicatur. habetis ergo iam causas doloris solutionem continui, & intemperiem. quare

autem

autem incalescat est videndū:sed videamus vnde fiat pulsatio talis in profundo. dicimus itaq; illud esse,quia materia in qua est plurimum caliditatis propter continuum motum variat motus,cū etiam propter calorem à vera necessitate euentationis, & sic velociter arteria extenditur,& sic fit dolor pulsatiuus,de quo vide in secundo de locis affectis.apparet autem pulsatio in illis locis,in quibus non apparebat tempore sanitatis,quia tunc turget materia,cū quis patitur flatū hypochondrij arteriæ,quæ sunt in dorso insigniter mouentur,& percipitur motus,cum tamen prius non perciperetur: & quare hoc est?quia turget spiritus in arteria,& sic fit primo pulsatio. Nam necesse est arterias semper moueri,deinde dolor pulsatiuus,tertium signum est calor proprius,vt in lib.de tumoribus pręter naturam clarius etiam habetur,& in libro de tuēda sanitate. vltimo est retinentia ad tactum, quia plurimus sanguis aggregatur in loco musculi turgentis,arteriarúmq;,& venarū,& sic fiet durities,quæ quidem efficitur aut propter exiccationem,aut propter congelationem, aut propter repletionem,& sic habetis iam quinque signa cum suis causis vobis addiscenda: quoniam deducent vos in notitiam inflammationis meræ à sanguine.his

itaque sic habitis, & declaratis legamus literam, & omnia erunt vobis manifestissima. VTRVNQVE FREQVENTER EX OMNI ET &c. Enumerat causas efficientes, quæ se tenent ex parte membri mandantis, & recipientis: VT VVLNERIBVS CONVVLSIONIBVS ET &c. Hæc sunt facientia membrum recipiens concurrere effectiue. PRAETER HAEC OMNIA &c. Declarat quando membrum mandans concurrat effectiuè. VT IMBECILLIOR VEL RARIOR ET &c. Rarior quidem ratione vacui, omnia iam clara sunt ex dictis: quãdoque enim concurrit tãtum effectiue mẽbrum mandans, aut recipiens tantum, quãdoq; vtrunq; simul. FLAVA BILIS ET &c. Bene & optime suam sequitur diuisionem Gal. dixerat enim intemperiem calidam cum affluxu materiæ quandam à sanguine fieri &c. sed notate artificium Galeni, primo debebat fieri diuisio in membris, & hoc primo fecit de sanguine diuisionem faciens: hic autem diuidit ipsam bilem, & facit tres gradus ipsius bilis, cum tot species, & gradus reperiantur etiam sanguinis. respondemus, quod hoc faciet infra, & sic distulit distinguere, sed interim petet quis, quid fuit in causa si infra diuidit, quod hic non diuidat? respondetur sic, quod duæ partes

tres illæ bilis participes sunt naturæ sanguinis, & contra: quando enim sanguis est multum subtilis non multum differt à bile ipsa tenui, & sic quando crassus sanguis est, non admodum differens est à bile crassa, & atra bile. Incipit ergo à bile flaua, quæ per se potest causare tres species inflamationis: si enim est syncera bilis suam seruans naturam separatam à sanguine facit herpetem absolute: si vero fuerit bilis, & separata quidem à sanguine vt prior, sed tenuior facit herpetem milliarem dictum, si crassa fuerit, & calidior facit herpetem, quem appellamus esthiomenon, & sic iam patet, quod sola bilis facit herpetem. vnde non leuiter Manardus deceptus est dicens differre herpetem ab erysipelate, quia hoc fit à bile mista, cum tamẽ Gal. hic totum oppositũ dicat, quia separata à sanguine facit herpetem. caueatis itaq; à Manardo, modernorúmque falsis diuisionibus circa hæc. dicimus itaq;, quod à bile sola fit herpes: erysipelas autẽ nullo modo fit à syncera bile, sed vel à sanguine tenui, vel à sanguine admisto cum bile. videamus cuius naturæ sit bilis in sua tẽperie. Gal. in secũdo de facul. naturalibus. & in quarto de tuẽda san. inquit, bilis ꝑpetuo generatur in tẽporibus calidis; est eñ humor omniũ calidissimus,

& ficcissimus,& maximè in corporibus calidis, & biliosis: hoc autem sumptum reliquit Gal. in secundo de tempera. quomodo autem nunc dicam bilem omnium humorum esse calidissimam & non sanguinem, aliàs declarauimus: supponatis id nũc, quod hoc ita sit &c. habet autẽ duos sapores amarum propter quem vim habet abstergendi, habet acredinem propter quam incidit, & erodit. quod autẽ sit amara bilis patet sensu, nónne & dicitur bilis amara? quod autem sit aëris, si non potestis dignoscere ex sensu, cognoscatis ex authoritate tantũ, videatis Gale. in secundo de vsu partium, vbi inquit in bile esse facultatem erodendi, & acrimoniam habet. ergo bilis non tantum amaritudinem, sed etiam acredinem cum erosione, & sic calidissima & siccissima: post hoc facile est colligere, quod sit subtilis substantiæ, & tenuis, & in quarto therap. Gale. refert quod bilis ista ita est subtilis, vt nisi abundaret plurima in corpore euaporaret quandoq;: hoc idem habet in libris de fac. naturalibus. est enim substantiæ admodum tenuis, & fluidæ: si autẽ bilis nõ seruet suam naturam, sed magis incalescat, tunc fit crassior, & tunc non est amplius pallida facta adusta, vt naturalis: pallida enim est naturalis. nec miremini nos vocare bilem pallidã,

quoniam

quoniam nónne vocamus & aurum pallidum, vtpote quod habet plurimas indicationes, & sic fit coloris magis fului, quando plus incalescit: ex quo fieri morbum Sancti Antonij voluit Cornelius Celsus: est enim color fuluus in rubro: ex rubedine autẽ fit æruginosa, & prassina: per vlteriorẽ autem adustionem bilis deuenit ad aciditatẽ, quia omnia quæ aduruntur primo fiunt amara, deinde salsa, & tandẽ remota caliditate acida. Quomodo autem bilis acida fiat per vlteriorem adustionem aliàs nos diximus: & sic habemus queãdmodum bilis est tenuis subtilis, vt in lib. de naturalibus fac. & fluida, postea habemus eam esse feruentissimã, acrem mordacem, & erodẽtem, vt in quinto de vsu partium, vel secundo. Quid à natura rei iam habendum est, à natura rei habere potestis eam propter tenuitatem facile fluere, & sic deuenire ad vltimas corporis partes, vt in lib. de tremore, & spasmo, cum enim humor est subtilis facile fluit, cúmque syncera bilis syncera fit, & tenuis, ac præter hoc mordax, acris, calida, iure deuenit ad exteriorem partem cutis, & facit herpetem, quem & nostro tempore mulieres appellãt ignem saluaticum, siue, vt alij vocãt, ignem persicum: non autem appellatur ignis sacer, id est, morbus sancti Antonij, vt Cornelius

voluit, in quo quidem turpiter lapsus est, quod si bilis sit crassior, & vitellina ex adustione, quæ est syncera faciet aliam speciem herpetis, quæ dicitur esthiomenos, de qua ante diximus. notate autem dixi ex bile, & vitellina ex adustione, quæ est syncera bilis, quia non intelligo hic de vitellina composita ex bile, & pituita quæ dicitur maioris famæ: vnde aduertatis quod male se gessit Auicenna in diuisione bilis syncerę cum miscuerit vitellinã constare ex bile, & pituita, compositæ enim species simplicibus non sunt commiscendæ, & sic tripliciter fit species herpetis à pura bile. his visis reducatis ad causas erysipelatis hæc, & videatis si sequatur effectus, qui ex bile sequitur. cognoscetis vos erysipelas nõ esse superficiem, nec serpere de loco ad locum, nec esse in extima parte cutis, sed in media, nec habere corrosionem, quod si esset tunc efficitur quod diximus, & hæc non sunt erysipelata. ergo à bile non fit erysipelas, quod est absque vlla corrosione, sinéque vlcere inflamatio, ac solutio continui, nullus autem est herpes sine corrosione, & solutione continui. præterea erysipelas habet colorẽ subrubeum, flauũ, quem non habet herpes: & id quod dicunt erysipelas à bile fieri, nec naturam bilis, nec quid sit erysipelas, nec Galenum intelligũt.

dicim

dicimus itaque eryſipelas aut fieri à ſanguine ſubtiliori, aut à ſanguine miſto cum bile, non autem à ſyncera bile, quod manifeſtum eſt hic ex Galeno, SI EX SANGVINE quidem, ſed feruido ac ſubſtantia tenuiſsimo effectus eryſipelatis vocatur &c. Hoc idem dicit in lib. de tumoribus pręter naturam: præterea quo ad nomen id etiam patet, quod eryſipelas non fiat à bile: quid enim vult dicere eryſipelas ſiue, vt aliqui transferunt erytropelas quod ſignificat rubiginem partis propinquioris: rubigo autem eſt morbus ſegetum, quando propter frigus, aut alia de cauſa putreſcunt: vnde rubiginalia appellantur ab antiquis, quas nos lętanias dicimus, preces enim agros luſtrantes ſpargebant erga deos, vt ſegetes à rubigine tuerētur, ac cōſeruarēt, eſt ergo rubigo partis propinquioris, nō quod ſit in ſuperficie, nec in profundo, ſed propè extimā partē cutis. nonnulli ſic dicūt dici eryſipelas id eſt, erytropelas moderni latini quaſi partes erubeſcentes verterunt, & nullum eſt eryſipelas, quod non habeat rubedinem: de his hactenus. Vnunquodque corpus ſiue ſanū ſiue ægrū dum vitā ducit ſemp in ſe habet quatuor humores bilē atrā, pituitā, bilē rufam, & ſanguinē, qa ſine his quatuor humoribus viuere nō poſſumus, ſicut patet p Hip. in libr

in libro de natura humana, quod idem Gal. ibi probat, isti quatuor humores vario modo se habere in corpore nostro, & habere multos gradus in latitudine, adeò vt in corpore aliquo vt in calido & sicco dominatur ruffa bilis, in alio pituita, vt in frigido & humido, in altero vero sanguis vt in corpore calido tantum, vel calido & humido: cuius ratio hic à nobis non affertur, & si hoc pulcherrimum sit, quia nimis vagaremus. dicimus ergo in corpore variam esse istorũ humorum proportionẽ, quoniã necessarium est, vt horum sit proportio inter se, si debet esse corpus sanum, cum habeant latitudinẽ, & simul misti sint. vbi autẽ quis istorũ humorum in multa proportione se habuerit, aliósq; excesserit: tũc necessariò in corpore generatur ægritudo aliqua secundũ naturã humoris superabundantis. ista autem mutatio humorum in proportione: & multitudo potest esse in duplici genere, vel mutatur humor in corpore secundum quantitatem tantum, adeò vt quantitas tantum redundat. alio modo potest mutari in qualitate tantum, & non quãtitate, ita vt si humor in corpore pro sanitate debet esse attemperatus, dum mutatur in qualitate fit acris, mordáxq; ipse humor, vel crassus, vel tenuis, & sic solent mutari humores à proportione

ratione qualitatis,& non quantitatis.quando autem tantus est recessus vnius humoris in proportione ab aliis, vt peccet in qualitate & quantitate simul, & in vtroque horum genere est diuersus modus mutādi vel tantum quantitate peccat mutans proportionem cum ita se habet, vt cum fluit sanguis & superfluus cum ipso alius humor, & sic in quantitate tātum peccat, quia mutat tantum proportioné: & quod dico de quātitate idem velim intelligi de qualitate peccante,nam nō separatur à sanguine,sed semper cum ea fluit. quare iterum repeto diuisionem hanc, & dico proportio horum humorum mutari potest dupliciter: vel talis humor non proportionatus aliis humoribus miscetur cum sanguine, vel secedit ad aliquod mēbrum particulare: accipiamus modo primum mēbrum huius diuisionis. quando sanguis peccat in quātitate tātum, non tamen secernit alios,facit tunc multas, diuersasq; ægritudines secundum variā naturam variorum humorum,& quando fluit sanguis in plus,per totum corpus,& diffunditur,tūc fit morbus, qui appellatur plethora.quando autem fluit bilis,generatur tunc morbus regius. quando vero humor melancholicus fluit fit elephātiasis. sin autem fluxerit pituita generatur καχεξία,si modo humores

mores isti misti cum sanguine per totũ corpus non peccant quantitate, sed qualitate tantum, ita vt alterentur in calidum, & siccum: fiunt etiam diuersæ ægritudines secundum varias humorum alterationes. Itaque si pituita fiat salsa in corpore, tunc fiet scabies vbique. si vero bilis in corpore salsa fiũt pustulæ in corpore: si vero in tali humore fiat maior adustio, tunc fiunt lepræ. non tantum intelligo de ea, quæ est elephantiasis, sed & de aliis. dico ergo si humor quis mutatur in sanguine, & à sua naturali proportione in corpore discurrit in totum corpus cum sanguine mistus in corpore peccans tantum qualitate facit alios morbos. si vero humor in corpore existens cum sanguine expellatur ad aliquẽ locum, id est, fluat ad aliquod membrũ, tũc separatur à sanguine, & in tali fluxione de necessario peccãt duo membrũ mandans, & membrum recipiens: mãdans quidẽ dum transmittit talẽ materiã, recipiens vero quoniã recipit talem humorẽ fluentem. vnde in his causatur dolor vbi fit iste defluxus ab humore peccante, si peccauerit tantũ in quantitate, non in qualitate, & secedat iste à proportione aliorũ humorũ facit morbũ, qđ si fuerit sanguis facit veram phlegmonem, quæ dicitur inflammatio: nam sic vocatur

à nomine generis sui: si vero fuerit humor peccans bilis tantum secedés à sanguine facit herperé: si vero humor non mutatus est in temperatura, sed in quãtitate tantum sit redundans, & sit humor malãcholicus facit cancrum. sin autẽ fuerit pituita iste humor peccans facit œdema. quare secũdum quod sunt quatuor humores variæ, ac diuersæ naturæ peccãtes sic fiunt quatuor humores in corpore nostro diuersi, & veri, & puri: quoniam & humores hoc facientes sunt synceri: repeto & dico, si humor fuerit peccans separatus à sanguine ad aliquod membrum accedens facit tumorem secundũ suam naturam. & ideo sicut quatuor humores peccantes diuersi in corpore nostro, sic quatuor faciunt varios tumores, vt ostensum est. si vero huiusmodi humores redundantes in corpore non sint puri, & synceri, sed sint alterati à propria natura, tunc fit duplex alteratio vel ista humoris alteratio talis erit, vt alteretur humor non ita, vt mutetur species eius, sed eam retineat: tantum enim in tali alteratione humor iste fiat acutior seipso, vel tenuior, vel crassior: quia est in via ad corruptionem sui, & est in alteratione, & sic retinet suam speciẽ, & suam formã: vel ita alteratur humor, vt deficiat à sua specie, & mutet etiam suum nomen. quare

cum

cum sit alteratio duplex quandoq; retinebit speciem suam, quandoq; non, imò quãdoque etiam eam perdet, & suum etiam nomen, & fit aliquod aliud. si primo fluat humor sine sanguine, & dum alteratur nõ mutat suam speciem, sed seruat eam (loquimur nunc de humoribus calidis, suoq; loco tractabimus de fluxione humorũ à natura frigida) quando humor iste calidus fluens qui vel est sanguis, vel bilis pura, quia est intemperies calida, & huiusmodi sanguis secedens ab aliis humoribus fluat ad aliquod membrum particulare retinet quidem suam speciem, & habet duos mutationis gradus seu alterationis sicuti asserũt dogmatici. Adeo vt alteretur ipse sanguis, & fiat subtilior se ipso, vel crassior per adustionẽ: nam vel est intemperatus ipse sanguis, vel alteratur: & si alteratur vel fit crassus, vel subtilis, in quibus tribus speciebus sanguinis sunt multi, atque infiniti gradus: & nos habemus regulam à Galeno, quod siue sanguis sit subtilis, siue crassus suos habet gradus, & quantum ad vnam partem sanguinis subtiliorem, dico cum Galeno & Hippoc. si sanguis alteratus fiat tenuis, tunc temporis generatur erysipelas verum tendens, & vergens ad naturam bilis: si verò sanguis alteratus sit crassior seipso fluens ad aliquod membrum

brum facit carbunculum, vt suprà cum ad humoris melãcholici naturam vertatur, & sic patet partẽ sanguinis subtilem participare de natura bilis, sicut pars crassa participat de natura melancholica, ita vt sæpissimè dicitur carbũculũ fieri à melancholia, vel atra bile. quare iam habemus quid sit fluxio sanguinis qui est vnus humor faciẽs intemperiẽ calidã. si sanguis non est alteratus non facit inflãmationẽ: si autẽ alteratur aut subtilior, aut crassior fit: si subtilior erysipelas: si autẽ crassior carbunculũ facit: si verò est bilis flaua, quæ alteretur vel est pura, & tunc facit herpetẽ: si ea seruat naturam suam vel subtilior, vel crassior, dum alteratur: si crassior facit herpetem corrodentem, vt suprà: si subtilior herpetem milliarem. nec miremini, quod sæpe ad idem deueniamus, eo quod medicus per suas diuisiones probando quod intendit, semper ad idem deuenit: sicuti arithmetici, qui probatis suis principiis postea semper ad idem redeunt, sic nos his sic expositis, atq; declaratis, si humor alteratus à sua naturali dispositione facit de natura sua varios inflammationum gradus præter naturam cum vlceribus, quæ omnia nunc omittimus, cũ hic non sint ad propositum, licet in se sint pulcherrima, ab hisq; multa emergat vtilitas, i

ggg facta

facta modo tali diuisione est: modo videndum dum dicit Gal. erysipelas fieri, quomodo fiat? diximus iam erysipelas fieri ab ipso sanguine subtiliori alterato. vidimus auté quid sit huiusmodi alteratio sanguinis subtilis, qua visa & intellecta vobis erit principium inueniendi veritaté huius rei. dicebamus vnde dubia oriuntur, & hos dubitare, qui non rectè intelligũt, quæ legunt ex maiorũ intellectu: ideo estote attenti: nam in omni materia quemadmodũ dicit Arist. & Gal. & vt est probatum, omnis humor extractus ab aliquo mẽbro solido habet tres substãtias, sicut sanguis: vna est temperata: alia est in fundo, & est vt fex: alia est tenuior, & est sicut sanies, quæ appellatur vel serum, vel colamentum seu ichor: est enim pars serosa, atq; subtilis. quod dicitur de sanguine, illud debet intelligi de aliis tribus humoribus: & quare omnis humor habet serositatem, sicut apparet in pituita, quæ est aquositas insipida. in atra bile humor insaniosus, de quo Gal. voluit carbũculi specié fieri, sic sanguis facit suã serositaté, quemadmodũ & alij humores, & quod in aliis humoribus, idem contingit in sanguine: quoniam in quolibet humore tot reperiuntur partes, sicut & in alio primo. sanies est illa pars subtilior sanguinis sicut ichor. quid intel

intelligitis modo per ichorem? dico si iste ichor est tantū ab ipso sanguine, & non dependeat ab aliis humoribus, talis ichor est admodū dulcis, sine caliditate corrodēte, & est mitis. & ideo non facit erysipelas, nec vllam aliam inflammationem. quare ichor iste prout prouenit à solo sanguine nullum horum morborū producit, & cum ego semper rationibus procedere soleam primum nō tantū præteribo hoc quod sine autoritatibus medicorū confirmatur. nam ichor sanguinis prout de solo sanguine distincto ab aliis humoribus non facit erysipelas: alio modo accipitur serum sanguinis non ita, vt in primo modo, vt tantum à subtili prouenit sanguine, sed prout sanguis accipitur pro tota massa sanguinis in venis existente non separatus, nec distinctus ab aliis humoribus. ab istis ergo omnibus humoribus serum hoc secundo modo sumpto dicitur tanquam à massa sanguinis: quando autem ab istis separatur pars subtilior, & aquosior ista talis pars, vel serum tale calidum, acre, mordáxque, quoniam extrahit per partem aliorū humorum, & etiam ab humore melancholico: nam est adiunctum cum omnibus humoribus, & eorum serositates omnes sunt simul, & ita serositas ista sanguinis, quoniam sanguis pro tota massa accipitur

in venis cum aliis humoribus est mordax, & ad bilis naturam vergit. At dicet aliquis; vnde habes diuisionem hanc, nam dum ita dicis diuidendo hoc modo timemus, de aliqua chymera? respõdeo ista est diuisio Gal. & non meum figmẽtum, & quod hoc sit verũ videatis ipsum in 6. epid. in secũdo com. secũdum antiquam traductionem, in quodam Aphorismo, vbi dicit sanguis ichorosus mordax, & acris, ibi Gal. dicit de hoc rectè, & quanquã in præsenti dixi de ambobus ichoribus, ibi ab eo habentur videlicet; quia sanguis purus, & massa sanguinea est: nam ibi Galen. excusat Platonem, qui dixit sanguinem esse benigniorem sine vlla mordacitate: ideo Galenus dicit pro Platone, quod ichor est duplex, vel est à tota massa sanguinis, & dicitur esse mordax, & de hoc intelligit Gal. in secundo de diff. febriũ vbi agit de febre sanguinis, quoniam non est febris sanguinis, sed tales febres sic dictæ habent naturam bilis, cum ad bilem vergant, quia sanguis ille antequam bulliat: magis etiam habebit de natura bilis veræ: in ebullitione enim fit ardẽtior, & mordacior: ideo fit ferè bilis propter calorẽ illi aduenientẽ: tendit enim talis ichor ad naturã bilis. si ergo talis sanguis subtilis putrescat magis vergit ad bilem: nam Gale. sæpe dicit excalefactus

lefactus suprà modũ facit bilem. quare dicamus quod bilis vera nihil aliud est, nisi pars sanguinis tenuioris bullientis, qui huiusmodi sanguis habet, & participat de natura bilis. si verò sanguis ipse crassus fuerit, & putrescat, tunc fiet melancholia: nam talis sanguis vergit ad naturam bilis atræ, & facit febrem atræ bilis, quia habet omnes conditiones talis sanguis. si verò subtilior pars sanguinis sic appellata ichor intra venas putrescat, & faciat febrẽ, fit tunc febris synocha: huiusmodi enim febres synochæ fiũt ex ichore sanguinis secũdo modo sumpto, & habent naturã febrium ardentium, quæ omnes curantur ferè eodem modo ardentes, & synochæ, quoniam sunt valdè affines, sicuti sanguis crassus, & melãcholia affines sunt, sic & pars subtilior sanguinis, & ichor maximè conueniunt, & sunt in vicino. si ergo huiusmodi ichor putreat in venis, hanc facit synocham, si verò extra, facit tunc erysipelas. At posset quis ambigere, quare dixerit ab ichore massæ sanguinis febrem synocham fieri, cum Gale. sit contrarius in nono therap. tertio, vbi ait totũ oppositum, quod febris synocha fit, quãdo humores omnes æquè in venis putrescũt: sicq; non fit synocha ab ichore sanguinis? respondeo nihil esse peius, deteriúsve, vt videbitis,

quàm cõsiderare autoritatem sine ratione, sed quando habere naturam rei semper in omnibus quærimus, vnde oritur ipsa veritas, qua habita, atq; intellecta deinde habere quomodo autoritates sanè intelligendæ sunt. Quare non est mirũ si multi decipiantur in autoritatibus omittentes scire naturam rei, qui sibi satis esse putant autores habere: ideo dico illa autoritas nihil facit contra nos: nam quando dicimus hanc propositionẽ omnes humores æqualiter putrescere in venis, potest huiusmodi propositio dupliciter intelligi vel quod nulla pars istorũ humorũ in venis sit, quæ non putrescat, id est quod totus humor putrescat: vel quod nulla pars sit in humoribus, quin putrescat æqualiter in venis aliqua proportio: quare vel dicitur quod nullus sit humor, qui ęqualiter in venis non putrescat: & hoc modo dicere falsa est manifestissimè propositio talis, quia si sic etiã Gal. esset falsus, quòd tota massa sanguinis putrescat in febre sanguinis, id est synocha: quoniã hoc accidit in pestilentibus febribus, & pessimis, quæ solent terminari in quatuor dieb⁹: dico pessimis, quia nõ omnes sic isto modo terminantur. ista autẽ synocha nõ est ita sæua, vt ardens, sed mitior, & ita mitis est sicut febris à sanguine mitior est aliis febribus dependentibus

bus ab aliis humoribus. quare dicimus, quãdo Gal. dicit ibi omnes humores æqualiter putrescere in venis, verum esse, & quod idẽ vult in epid. loco allegato, quod ichor sanguinis, qui putrescit in venis peruenit à tota massa sanguinis, & humor in venis putrescẽs, quia est substãtia emanãs à quatuor humoribus, ideo dum permiscẽtur humores isti, procedit hęc febris à quatuor humoribus putrescentibus æqualiter, quoniam omnes habẽt proportionem permistam simul. ideo autoritatibus non est confidendũ, nisi rectè intelligãtur, & ista etiam est vera expositio Galen. hic, & ibi: vnde tolletur omnis cõtradictio. ratio enim prius amplectenda est, quã autoritates. vnde dico Curtium illum destruxisse totam medicinam cũ autoritatibus suis falso adductis: & vtinam nonnatus esset homo iste. his visis reducẽdo modo omnia ad propositũ nostrũ, dicimus erysipelas fieri ab ichore prouenienté à tota massa sanguinea vergente ad naturã bilis: quãdo Gale. dicit, vbi loquitur de erysipelate hoc fieri à bile intelligit, vt ipsemet docet in libr. de atra bile, & est cap. quintũ secũdum istos, licet sit paruus liber ille, in eo libro dicit clare, quando fluit humor biliosus ad partẽ aliquã facit erysipelas, quando atra bilis fluit siue melancholia

facit carbunculũ: tamen alibi ipse dicit carbunculũ fieri à sanguine crassiori, erysipelas à tenuiori, & sic nõ exquisite loquitur tunc Gale. vnde possumus nos dicere, quod pars crassa sanguinis est melancholia, sicut pars tenuior dicitur bilis. & ideo hic opponitur vnum alteri, id est pars tenuior crassiori, vt suprà. at in transitu loquitur, & non exquisite dicit ex bile fieri vt suprà: vnde aliqui putarũt carbunculũ fieri ab atra bile, quod falsum est. quod autẽ autoritates sæpe confundant vera, patet per Galenum in libr. de fac. naturalibus in principio, vbi Plato dicit plantas esse animalia: vbi Galen. ipsum non locutum esse exquisite ait, sed à similitudine, quia plantæ habent animam vegetatiuam: vnde inquit ibi sic sæpe dici solet, quando sumus in confinio, siue in transitu. quare quomodo intelligendæ sint autoritates, quando in decimotertio, & in decimo quarto therap. dicit erysipelas fieri à bile: hic notetis eo quòd aliud est Galeni notandum: nam ibi pertransiuit omne genus inflammationũ calidarum, quoniã est suus finis eo loco curandi inflammationes, distinxítq; tantũ inflãmationes, quæ à sanguine, & bile fiũt, nihil verò vlterius diuidit aliud genus herpetis. & ideo non locutus est de herpetibus, quoniã ibi dicit & cum omnis

herpes

herpes sit erysipelas, includit ibi omnes inflammationes sub herpete. vnde hoc in loco melius diuisit, clarius quoque curauit, eo quod distinctio causarũ magis adiuuat distinctionem curæ: quod idem facit in lib. de tumoribus præter naturam.

FLAVA BILIS QVANDO SVAM SERVANS NATVRAM, &c. Si memoria tenetis, quæ diximus facile hæc intelligetis: dicebamus enim suprà de necessitate in corpore nostro dum viuimus, quatuor existere humores, & quæ sequuntur, quod aliquis humor secundũ qualitatẽ, vel quantitatẽ mutetur: ex qua naturali mutatione contingit ægritudo, sicuti si bilis peccet aut quãtitate, aut qualitate tunc fit morbus, & sic potest altero duorũ modorũ accidere, vt humor distribuatur per vniuersum corpus, & secernẽs ad aliquã partẽ faciet inflammationem, quemadmodũ bilis, qui humor vel fluit simul cũ sanguine per totũ corpus, vel dum fluit separatur à substãtia sanguinea. si autẽ bilis cum sanguine fluat per totum corpus, tunc fit morbus regius, seu icteritius, icteros Grecè dicitur ad similitudinem cuiusdã auis luthei coloris: sunt enim isti patientes coloris luthei propter multã bilem dispersam in cute, vbi ergo dominabitur bilis dispersa à substãtia sanguinea, secedat

per totum corpus ad aliquã partem, vt ſecundo modo ſumpſimus eam fluere non fit tunc morbus regius, ſed herpes, FLAVA BILIS, &c. Videte tunc ſi ſic diximus, & ſi nunquam in huiuſmodi diuiſione diſceſſimus à Gal. vbi ergo bilis ipſa permutet in ſua naturali diſpoſitione, & impura natura, vt diſtinguit vt cõtra quia alios humores, &c. reliqua ſuprà. HERPETA VERO, &c. Iſta verò bilis triplicem poteſt habere differentiã, vt ſuprà &c. aut quãtitate tantum peccauerit. & tunc aggregatur, vel ſecedens alteratur, & dum ita ſit immutatur quidẽ, ſed ita tamen, vt ſeruet ſuam naturã, ſuam ſpeciẽ, & ſuum nomen: vel ita alteratur, vt non poſsit ſeruare ſuam ſpeciẽ, vel ſuam naturam, & ſuum perdit nomẽ verum, modo nos hic de primo loquimur, de ſecundo verò minime. vbi ergo alteratur talis humor ſuam ſeruando naturam, ſuam ſpeciem, & ſuum nomen, &c. Licet ſint immutationes infinitæ, tamen ars, & medendi methodus, redigit latitudinem magnam harum mutationum ad duas tantum mutationes, quod dum alteratur humor vel fit craſsior, vel fit ſubtilior ſeipſo, & dum immutatur aut alteratur à calido, vel à frigido: vel remanet temperatus, aut mediam ſuam ſeruans naturã. humor ergo tres habet

bet differentias in genere, aut est temperatus, aut dum alteratur seruat suam naturã, aut ita mutatur, vt eam cum nomine perdat: quando huiusmodi bilis suam seruat naturam, dum in subtilitatem, aut crassitiẽ non alteratur, tunc fit herpes verus: quia nõ secedit nec ad vnam, nec ad aliam partem, & reliqua suprà. CVM SOLA À SANGVINE SECRETA EST, AC IN PARTE ALIQVA CONSISTIT, &c. Vnde hic notate errorem Achachię, qui interpretatus est hunc secundum librum, sed hic deceptus est: non enim cognouit vir iste clarissimus, nisi duas species herpetis, tamen Gal. hic in text. ponit tres, & vt ego audio multi sunt secuti ipsum in hoc, & ipsi errãt, & ita cæcus cæcum ducit, & cadunt omnes in foueã, & si vir iste clarissimus in hoc errauerit, tamen raró solet errare. & ideo non est collocandus in classe istorum ignorantium, quia non aduertit vlterius, & hoc accidere solet cuiq; viro doctissimo: quandoq; ideo non est in totum damnandus. nos autem vt in diuisione nostra patet tres posuimus, sicut & Galenus, id est intemperatum, & subtilem, qui subtilis si datur, datur etiã tertius, qui erit crassus: qui omnes habent varios effectus. QVAE SI CRASSA SIT &c. Quare bilis crassa exulcerat cutim vsq;

ad

ad carnem faciendo vlcus,& dicitur herpes esthiomenos,& hæc est prima species, quæ corrosionem facit,& quare fit?de hoc diximus in methodo nostra de simplicibus, vbi dicitur quod & si sit materia aliqua subtilis, in qua dominatur caliditas,& etiam sit crassiuscula talis materia corrodit. vnde si accipiatur vitriolum exulcerat super cutim,& facit sicut piper, quod est calidum, sed non crassum: ideo non valde exulcerat, & non est sicut calchantum, quod etiam est calidum, vltra hoc est deinde crassum: ideo valde exulcerat,& magis, quam piper. Quæ itaq; calida,& crassa validè exulcerant,& faciunt vlcus. vnde etsi atra bilis non sit ita calida vt flaua, quemadmodum habetur in libro de facultatibus naturalibus, tamē erodit,& adurit vsq; ad ossa, nam & ipsa flaua bilis parum erodit, quia est subtilis: & atra quidem valde cū etiam præter caliditatem suā sit crassa, à qua fiunt erysipelata,& phagedenæ,& huiusmodi alia. bilis autem cum mediocris sit humor facit herpetem simplicem: cū verò tendit ad crassitiem facit herpetem vocatum esthiomenon: nā tunc corrodit ἐσθίειν Græcè dicitur corrodere,& est quasi serpigo, vt latine dicitur: vnde serpit, deinde quia talis materia est crassiuscula comedit,& facit vlcus: si tenuior sit bilis superfi

perficiem quaſi deurit,in comparatione loquor,non quod adeo tenuis ſit,vt in extremo ſit comparando tenuitatem ad craſsitiem:eſt enim mediocris in tenuitate.ſunt nanque tria ex quibus ſunt duo extrema craſſum,medium,& tenue.accipit enim hic tenue pro medio quod non eſt ita craſſum, vt atra bilis,& cum ſit media facit herpetẽ abſolutum,& hæc eſt ſecunda ſpecies in ordine.nam primum habemus herpetẽ eſthiomenon ab atra bile,poſtea eſt herpes abſolute dictus à bile temperata,id eſt minus craſſa,qui herpes eſt ſine additamento,alius eſt herpes milliaris,qui etiam fit ab ipſa bile,ſed non proprie ab eadem. ALIARVM ENIM DVARVM FORMARVM ALTERA COMMEMORATA &c. Quæ fit à craſſa bile id eſt atra: ALTERA VERO MILLIARIS DICITVR &c.duo enim ſunt herpetes:vnus eſthiomenos ab atra bile: alius autem milliaris, & quare dicitur milliaris?reſpondet Galen.in tex.quod puſtulæ paruæ,ac multæ in ſumma cute &c.dicitur enim milliaris,& quare dicitur milliaris?quia habet puſtulas paruas,& ferè infinitas in ſummitate cutis,quæ proprie aſsimilãtur millio,& iſtud tertium genus herpetis fit à bile tenuiori,& minus calida,quã alia bilis, quæ exulcerat: habet enim iſta

ſuam

suam soliditatem, per quam deuenit ad cutim, & cum huiusmodi caliditas non sit potens non facit vlcera, vt atra bilis in esthiomeno, sed quid facit? facit pustulas millio similes sic dictas in vice vlceris in cute: scitis enim quod quãdo humor vult vlcerare eleuat, & exiccat cutim: si prærerea huiusmodi humor est potentior, nõ tunc exulcerat cutim, sed emittit pustulas similes millio, tunc herpes milliaris, id est corrodens, qui cutim incidere nequit ob paucitatem suæ caliditatis. SED MINVS, QVAM PRIORES &c. Quando est minus calida, quam alię biles superiores, ideo facit herpetis tres esse species: ex quo patet error Achachiæ, & de his satis. Deueniamus modo ad ipsum erysipelas, & primo colligamus fragmenta. diximus superius, vt audiuistis, quæ à sanguine fit inflammatio puro, quando putrescit, quæ essent fluxiones à bile, & omnium inflammationum duas esse causas, aut quod inflammatio fit à sanguine, aut à bile ipsa, & quæ sequuntur &c. Primũ quæ à sanguine, post quæ à bile, quæ inflammatio habet tres species dictas herpetes: vna quidẽ absolute sine additamento dicta, alia facta ab atra bile herpes esthiomenos vocata, tertia erat à bile minus calida, aliisq; milliaris dicebatur, nunc modo restat, vt diuidamus.

VEL

VEL SANGVIS, VEL PVRVS FVIT &c. si ergo erit sanguis bonus, & syncerus facit inflammationẽ: quod idẽ dicit de bile, quarum species millies dictæ sunt. sed hic mouetur dubiũ alibi pensitãdum cur Gale. dum dicit sanguine fluente fieri inflammationem, nõ distinxit ipsum in tres species in temperatũ, tenuẽ, & crassum, sicuti de bile fluente dixit fieri? non videtur seruare ordinem: debebat enim & ipsum sanguinẽ diuidere, ibiq; tantũ inflammationem facere. aliud cur ergo hanc nõ posuit diuisionem? alias diximus erysipelas verum dupliciter fieri, & sic etiã carbunculũ, aut fit ipse carbunculus à sanguine adusto per se, & tenuiori, vel à sanguine cum bile misto: sic de erysipelate dicitur vel fit à bile mista cum sanguine: vel ab ipsa parte tenuiore sanguinis. & ideo cũ Gale. faciat huiusmodi misturas, oportet primũ facere de inflammationibus veris, & simplicibus: post has deinde agere de herpetibus simplicibus, postremo tractare de compositis. quod SI EX SANGVINE, ET BILE FLAVA &c. habuimus omnia recte diuisa, oportet modo trãsferre omnia ad proprium membrum, quod si sanguis est purus, & mediocris ab eo fit inflammatio vera, si autem est sanguis subtilior iusto, vel crassior fit erysipelas,

& car

& carbunculus de quo ſupra &c.quod eryſipelas ab ichore fiat clarum eſt,ſed quod modo fiat herpes ex ſanguine,& bile ſimul miſtis de hoc dubitatur.vnde dicere poſſet aliquis,tu dicis eryſipelas verũ fieri ex permiſtione bilis cum ſanguine tenuiori,ſed Galen.dicit ex permiſtione bilis cum ſanguine fit inflammatio habẽs nomen,de,nã vel dicitur inflammatio tendens ad naturã eryſipelatis,vel dicitur eſthiomenos:notate iam miſcellam horum humorum non dici eſſe quo ad pondus,ſed miſtionem ſecundũ iuſtitiam tantũ:eſt enim quædam proportio in temperamento,vt ſi miſceatis ſanguinem bili,ſic iſti duo humores proportionãtur,vt fiat ichor,à quo fit eryſipelas.vnde ſumatis vinum potens,in quo miſceatis aquam,tunc habebitis vinum leue ex hac proportione,& ex tali miſcella,& ſic poteritis facere tale vinum eſſe ſimile cũ humore iſto:nam ſi miſceatis bilem acrem,mordentem,& facientẽ vlcus,& eam miſceatis ſanguini,qui temperat ipſam bilem,ſicut aqua potens vinum:ſic verificari poteſt iſta propoſitio ex miſcella horum duorum humorum ex bile,& ſanguine,vt fiat temperatũ ſimile ichori,qui eſt pars ſubtilior ſanguinis.poſſumus ergo temperare bilem cum ipſo ſanguine,ita vt habeat omnes illos af-

fect

fectus, quos habet ipse ichor sanguinis,& cum ista mistura deuenerit ad hoc, vt sit quemadmodum ichor sanguinis, modo sit eadem vis nõ curamus si fiat erysipelas à tali mistione, vel ab alia: quoniam cũ est eadem forma, sequitur eadẽ ægritudo. & ideo hoc verificatur sicut de mistione vini diximus: & ex hac mistione vinum potens tenue, & mite fieri potest, sic de huiusmodi bile acri cum ipso sanguine fiet illa bilis, vt ichor, modo non curo si in tali mistione vinum sit leue, vel potens cum aqua, & sic de bile mista cum sanguine: & sic propter hoc Galen. posuit erysipelas fieri altero duorum modorum vel à sanguine tenuiori, vel à bile cum sanguine permista. quare dico non posse fieri erysipelas vllo modo à pura bile, & syncera, quia si posset, fieret cum vlcere, sed erysipelas verum semper est absq; vlcere. ergo concluditur non posse fieri erysipelas à pura bile, sed ab ichore: SI EX SANGVINE ET FLAVA BILE &c. docet hic Gale. quomodo cognoscatur erysipelas: vnde notate quicunq; curauerit semel ipsum cognoscet, & scio quod isti semper viderũt erysipelas cũ rubedine sine vlcere: dicit primo Galen. erysipelas est multo calidius inflãmatione, deinde aspectu flauius: est enim rubeum, sed non ita, vt inflammatio. & qua-

re?ratio est quoniam vel factũ est ab ichore sanguinis,vel à bile mista cum sanguine. Et ideo tendit calor ipsius ad flauum,& si tetigeritis,sanguis facile subfugit: ergo signum est manifestum esse sanguinẽ in erysipelate. RVRSVSQVE AFFLVIT EXQVISITE TENVIS, ET VISV RVBET &c. inflammatio enim est dura, sed erysipelas inflammatio non ita dura & pura inflammatio,quia in erysipelate est sanguis exquisite tenuis.ideo sic est procedendum à natura rei, si volumus cognoscere ægritudines,& fugere autoritates implicantes mentes,ET VISV RVBET &c.appellat erysipelas rubeum:nam erysipelas dicitur quasi erysipelos,quod dicitur quasi rubedo vicinioris partis,non tamẽ æque cruciat erysipelas,atq; inflammatio:& merito sic dicitur,quod non ita cruciat,quia nõ sic extenditur seu magna fit extensio in erysipelate:nã in inflammatione extẽduntur necessario ipsi musculi,venæ,& arteriæ & ideo magis causatur dolor in inflammatione,cũ musculi, & arteriæ sint partes sensibiles,& extendãtur:vnde maximus causatur dolor. IN ERYSIPELATE AVTEM NON TANTVS DOLOR PROPTER TENVITATEM; NEQVE SECVNDVM VLLAM INFLAMMATIONIS

SPE

SPECIEM &c. quia cutis in eryſipelate eſt quieta, & inter cutim, & carnem datur ſpacium. AVT PVLSAT &c. Quoniam ibi non ſunt arteriæ. AVT PREMIT &c. Quia non eſt ibi, quod moueatur, & ſic non cauſatur ibi dolor ille magnus, nam dolor fit à pulſione, aut ab aliquo exempla agente, aut diſtenditur. ideo in eryſipelate eſt paruus dolor. VERVM ALIQVANDO MODERATE OMNIA INFESTAT &c. Eſt enim neceſſarium, vt moderate infeſtet, quia ibi non eſt mala compoſitio & varia, qui eſt humor feruentiſsimus, à quo cauſatur paruus dolor, quia fluit ad cutim. & ideo fit in ea dolor, ſed remiſsior valde propter ſuam acrimoniam, & maxime cum in ſolam cutem ſparſum eſt. DE HOC LOQVOR, VT EXQVISITVM EST, ATQVE MAGNA EX PARTE &c. Eſt enim exquiſitum eryſipelas hoc: nam eſt rubeum viſu, in eo non eſt vlcus, nec eroſio, & quando verſabimini in cura, recordemini eorum, quæ dixi hic. QVEMADMODVM ID QVOD SVBSTANTIAM CARNEAM INVADIT &c. Hic modo Galenus incipit ad eryſipelas declinare, quod non eſt exquiſitum: nam exquiſitum intuenti rubrum eſt, tendens

ad flauum subfugit in eo sanguis tactu, est tenue cum pauco dolore, vt habetur à natura rei: modo est aliud erysipelas non verum, sed est diminutum ab eo superiori, & tendit ad naturam inflammationis, & nõ fit vt erysipelas verum: nam non fit vel tenuiori parte sanguinis, vel à bile mista cum sanguine, sed in ista mistione erysipelatis non vere miscetur sanguis crassiusculus, & non subtilis cum bile, quæ miscella si sit talis, & in ea dominetur bilis, & addatur in ea acrimonia erysipelas dicitur phlegmonodes: si verò dominetur sanguis, qui est pars crassiuscula dicitur phlegmone erysipelatodis, quoniã denominatio sumitur à parte dominante in mistione semper. si verò humores æqualiter se habeant in mistione tali cum suis effectibus fiet etiam mistũ tale æqualiter ex vtroq;, & dicitur inflammatio, & erysipelas simul mista. & ideo videtis etiam tres esse species erysipelatis non veri, & videtis quænam differentia sit inter verum, & non verum erysipelas, quæ in hoc tantum differunt, quia mistũ à quo fit verũ erysipelas attenditur penes iustitiam, si mistum illud erysipelatis nõ veri attenditur secundum pondus, & non iustitiam, & sic ista duo erysipelata assimilantur, & cõparantur simul: vnum verò secundum iustitiam, & est

ver

verum:aliud autẽ à misto secundũ pondus, & hoc est non verũ,nec exquisitum. ITAQVE EXQVISITVM ERYSIPELAS &c.Epilogat modo Gale.quod verum erysipelas est vel à tenuiori sanguine,vel à bile cum sanguine secundum iustitiam mista:& est vitium in sola cute,quia nõ habet vlcus. si verò sit cum sanguine crasso mista, tale mistum est secundum pondus,& non verum &c.& secundũ quod in ea vna pars dominatur,vel altera facit varias species erysipelatis nõ veri,vt iam dictum est. AT INFLAMMATIO &c. Posset quis dicere nonne inflammatio vera quandoq; est in cute?verum est inquit Galen.posse esse inflammationem in cute,sed tũc non dicetur erysipelas,sed inflammatio tantũ:præterea dicet vlterius quispiam ex quo non potest inflammatio esse in cute:quomodo differt inflammatio ab erysipelate cum ambo sint in cute? AT INFLAMMATIO NON SOLVM SVBIECTARVM CVTI PARTIVM CVMQVE MAXIME QVIDEM HARVM, SED ET CVTIS ALIQVANDO AFFECTVS EST, ET QVOD PVLSIONE CARET. Quoniam in cute non sunt arteriæ,cũ ergo careat pulsione oportet,quod sit ipsa inflammatio tãtum in cute.quid dicẽdum?supponamus quod in cu-

te ſit vera inflammatio rubea, quomodo eſt cognoſcenda talis inflammatio ſeu differentia? dico cognoſci hoc modo, quoniam in inflammatione apparet vera rubedo, in eryſipelate eſt rubedo vergens ad flauitiem: præterea in inflammatione eſt dolor magnus, in eryſipelate autem eſt dolor paruus, quia caret pulſione cum fiat in ſola cute, vt ſupra. hoc enim facile ſoluitur quomodo differunt, ſed quæſtio eſt de cauſa, à qua dependeant, quoniam inflammatio fit à ſanguine ſubtili ſicuti eryſipelas, & ſic erũt penitus eadem: quomodo ergo differunt in cauſa efficiente? debetis ſcire per diſtinctionem datam à Galeno in lib. epid. loco ſuperius allegato de ichore duplici à ſanguine ſubtili, quoniam vnus eſt ſuauis benignus, nec erodit, nec vllam facit mordacitatẽ, nec vllo modo ſapit naturam bilis, ſicuti ibi habetur à Galeno etiam de mente Platonis, talis inflammatio non fit à bile ſanguinis, ſed à ſubtiliori, & benigno. vnde curat Galenus inflammationem, & eryſipelas eadẽ ferè cura. Sed quare huiuſmodi inflammatio notabilem cauſat dolorem? quia ibi adeſt mala complexio calida: præterea craſsior, ideo magis imprimitur ibi, ex qua craſsitie maior fit dolor: ex quo non poteſt ita euaporari, vt materia tenuis. & licet non ſit in

muſ

musculis, tamen est in cute, quæ est pars sensibilis. alius etiã nõ dicitur ichor sanguinis distinctus ab aliis humoribus, & iste ichor à sanguine dicitur etiam à Galeno bilis, & est serositas quædam totius massæ sanguinis. vnde bilis dupliciter capitur: vno modo, vt distinguitur contra alios humores, vt supra, & herpetem causat: alio modo prout suauior & tenuior pars sanguinis, & facit tunc erysipelas, quod idem dicitur de sanguine. nam pars subtilior sanguinis facit erysipelas, & hæc satis sint dicta de erysipelate. Et debetis scire vnum: caueatis à sophistis, quod quando occurritis erysipelati, in eo semper est rubedo cum tumore siue vlcere, & tamen dum curatis ipsum in processu temporis, ferè semper fiunt ampullæ quædam. vnde isti maligni tunc imponunt vobis, quia in eo apparent huiusmodi crustæ; & sic à bile pura. vnde recurratis ad Galen. in 14. therap. vbi dicit de erysipelate vlcerato, erysipelas vlceratum est eiusdẽ generis cum herpete. Quantũ vero ad causam dicemus nunc esse eiusdẽ rationis, quia est eadem qualitas horum, & inducit crustas illas pro solutione continui. quare dum erysipelas facit vlcus, tunc illa materia dicitur esse eiusdem rationis, & generis cum herpete. quantum vero ad causam erysipelatis, di-

co quando erysipelas incipit fieri, quod talis humor in principio est crassior, & nondum putret. vnde fit erysipelas sine vlcere: sed dum putret magis huiusmodi humor transit in naturã bilis: nam fit acrior: vnde tũc in ipso facit crustas. & ideo tũc erysipelas constat ex materia qua fit herpes, quia semꝑ putret sanguis ille subtilis, & fit mordacior & acrior, & talis humor est ita putrefactus, vt is qui facit herpetem esthiomenon. sed in principio putredinis admodum differunt herpes, & erysipelas: tamen postea non differunt, tametsi in erysipelate fit vlcus ratione dicta. vnde quãdo incipit erysipelas fieri, primum incipit in vna parte, deinde apparet & in alia, vltimo facit huiusmodi crustulas per processum, prout putruit sanguis ille subtilis. in principio ergo quando fluit materia, vel putrida, vel non putrida fluit ad locum, sed in erysipelate nõ fluit putrida, quia deinde putrescit ille sanguis subtilis. & ideo non exulcerat in principio, in quo habet naturam erysipelatis veri, & facit tamen tumorem non vlcus, sed postmodum cum talis humor ibi moratur subtilis, facit vt supra, & sic erysipelas habet de natura bilis, vt in secundo de differ. febr. vt dixi, vbi inquit, dum putrescit sanguis subtilis vertitur in naturam bilis, & dicitur

bilis:

bilis:non mirum si faciat vlcera,id est, herpetem esthiomenon dictum. erit ergo talis sanguis tunc temporis eiusdem naturæ, vt bilis,quia crustæ apparent in tali erysipelate, & vlcera propter affinitatem materiæ, quoniam illa pars subtilis sanguinis fit vera bilis erodēs acris,quæ deinceps facit herpetem. quamobrem patet primo erysipelas cum rubore sine vlcere, postea materia putrescit, & facit crustas,& vlcus, & tunc materia eius à bile facta à subtiliori illo sanguine pendet. vt decimoquarto therap. inquit Gal.germē bilis est eryspelas,quod vlceratum materiam habet herpetis, si nō est vlceratum dicitur phlegmone, si vlceratum eiusdē erit naturæ cum herpete,aliter phlegmon,& nō vlterius diuidit ibi Gal.sed tantum has duas ponit differentias vlceratum, & non vlceratū: & ita curare cura phlegmones,& nō vlterius. Galenus in illo decimoquarto diuidit has inflammationes,& nullibi clarius,distinctiúsq; loquitur de huiusmodi inflāmationibus,quam in hoc secundo libro,& non in lib.de tum.præter naturam,sed in lib.decimoquarto therap.locutus est cursim,& non exquisite.ideo vlterius non diuidit:hic autem locus est proprius in principio.dum itaq; sanguis subtilis fluit, tendit ad naturā phlegmones, post in pro-

cessu fit subtilior, & acrior, & mordacior, quia putrescit vlcera, & crustas producit, & tale erysipelas ad naturam herpetis tendit, quia subtilis ille sanguis per corruptionem mutatus est in bilem, & hæc satis de ipso erysipelate. & antequam vlterius procedam, colligam fragmenta, ne pereant inflammationes, quæ fiunt à sanguine puro, & syncero peccante tantum in quantitate: fit inflammatio quæ habet nomen generis, vel inflammatio fit à sanguine subtiliori, & calidiori, qui cum sit se ipso acrior, tunc fit erysipelas, & de his nulla est alia differentia, propterea quòd sanguis habet tres species, vel medius & temperatus, vel subtilior fit, vel crassior dum alteratur. diximus iam de sanguine medio, & de sanguine alterato ad subtiliorem partem, & quomodo inflãmationem faciat, modo restat dicere de tertia specie sanguinis: quãdo alteratur ad crassitiem propter nimiam caliditatem, & adustionem. CVM AVTEM sanguis admodum calidus, & crassus est &c. Notate, Gal. in hac parte pingit carbunculum, quia fit cum sanguis calidus, purus syncerusque per caliditatem fit crassior, & calidior seipso: vnde sanguis fit crassiusculus cum fiat calidior seipso. scire debetis quod in meth. nostra vniuersali de simpli. diximus & etiã Gal.

Gal.in quinto de simpli. medic. vbi est aliqua calida materia, quæ habeat substantiã crassam non tantũ calefacit locum, in quo est, sed adurit etiam : quæ autem materia fuerit calida, & substantiæ subtilis calefacit tantum,& non adurit, quia citò pertransit locum : ideo non potest imprimi talis materia calida & subtilis, sicuti quæ calida & crassa est, quæ etiam adurit propter calefactionem. Itaque à tali materia crassa fit adustio in loco,in quo est : & sicuti de ferro candenti, & de lapide ignito, ita de omni materia crassa, & calida, quæ non est sicut palea ardens,quæ & si parum calefaciat, nõ tamen adurit,nec potest perforare, quia est subtilis substantiæ : bene ferrum candens forabit, quia imprimi potest. ET SIC sanguis iste alteratus per adustionem crassus &c. Vbi enim trãsit ad aliquam partem, calefacit eam,& adurit, & vlcerabit quoq;, quod tamen non faciet inflammatio à puro sanguine subtili, quæ tantum habet ruborem sine vlcere aliquo. At materia calida, & crassa facit & tumorem : & vlcus. HANC EXVRIT &c. Scitis enim cum pars sanguinis deuenit ad locum,tunc pars, quæ est magis ignea, perforat locum : modo pars quæ est crassior, & non sic feruens, non perforat, sed facit tumorem. vnde

in carb

in carbunculo apparet vlcus cum tumore: est enim tumor in carbunculo propter materiam crassam, quæ non potest penetrare, ideo fit humor: est & deinde in eo vlcus nigrum præter tumorem,& hoc propter partem illam igneam, & adustam, & crassam, quæ facit illud vlcus nigrum,& hæc omnia manifesta sunt à natura rei. ET NIGRAM CRVSTAM HABET &c. Debetis scire quę supra dixit Gale. vnde notate diuisionẽ superius datam, & factã. diximus vbi quis humor fluit ad aliquam partem, dupliciter fluere posse huiusmodi humorem alteratum: vel fluit alteratus non immutans suam speciem,suamq́ue naturam: vel fluit alteratus mutans suum nomen,& naturam. si principio fluat fit sanguis crassior seipso, sed non ita crassus,vt amittat suam speciẽ, sed remaneat sanguis: & si sit alteratus, facit inflammationem, quam superius diximus: de hoc non dicamus nũc, sed tantum de sanguine crasiori alterato, qui suã mutat naturam, perditq́ue suum nomen: qui adeo feruens est, vt faciat carbunculum. si ergo sanguis alteratus crassus suam mutet speciem propter putredinem à nimio calore,tunc faciet carbunculum, non tamen absolute, sed carbunculum pestilentialẽ, quẽ arabes appellant althoi, vt habetur in prima

ma primi ab Auicenna, & dicitur than in cap. de morbis: quod idem dicit Auicenna in tertia quarti, vbi agit de inflammationibus calidis althoi. ergo est carbunculus pestilens, & non absolute, sed carbunculus primo modo dictus qui quidem malus, sed est etiam salubris: at secundo, modo facit vlcus tātum, in quo est sanguis putridus. ideo cum deuenit ad loca huiusmodi sanguis putridus facit hunc pestiferum, qui est malus, & interficit, & facit etiam iste secundo modo sumptus gangrænas, de quibus carbunculis agit Gal. in tertio epid. commen. tertio, commento secundo, & quinquagesimo. de his videatis ibi Gal. ista ergo erit carbūculorum differentia, prout materia fluens erit putrida, vel non putrida. habetis iam signum vnū de carbunculo. vidistis in superioribus quomodo probauimus per ipsum Gal. febres pestilentiales fieri tantum à putredine sanguinis, quæ putredo erat vel in humoribus cordis, vel in substantia eius: sic habetis hoc signum de carbunculo, quod fit propter sanguinis putredinem crassi, cum ipse tamen fluit, primum tumores facit, postea verò propter caliditatem putrescit: vnde facit carbunculum cum vlcere: sicq; fiunt febres pestilentes à magna putredine sanguinis in humoribus cordis, vel eius substantia

ſtantia exiſtente. & ideo non eſt dicendum, vt dicũt noui & malè huiuſmodi febres peſtilentes fieri à qualitate occulta, ſed à putredine ſanguinis maxima in corde: & iſte eſt verus ſuus charateriſmus, & propria idea: & hæc repeto ſolum pro conſeruanda veritate. Scitis iam qui ſunt carbunculi mitiores, & minus mali, qui fiunt à ſanguine craſſo alterato, manente tamen ſub forma ſua, & in ſuo nomine, & iſti dicuntur carbunculi abſolute: deinde qui ſint mali, & non mortales, qui fiunt ab eodem ſanguine craſſo alterato, non tamen retinente ſuam naturam, & deperdente eam, & ſuum etiam nomen: & iſti peſtilentes carbunculi appellantur. Quapropter iam patet omnia. vnde notate errorem vnum in Achachia: errauit enim iſte vir clariſsimus in hac parte dupliciter: primo dum dicit carbunculum fieri ab humore melancholico ſeu à fæce ſanguinaria: cum tamen Galen. dicebat ipſum fieri à ſanguine craſſo, & fæculento. poſſet quis dicere excuſando ipſum, ego intelligo per humorem melancholicum illum craſſum, ſicut dicit Gal. in lib. de tumo. præter naturam de eryſipelate, quod ſit ab atra bile: ſecundo peccat, & deterius, quia dicit cancrum fieri à fæce ſanguinis non aduſta, & quod huiuſmodi ſanguinis fæx aduratur, &

tunc

tunc fit carbunculus, imò dicit si fęx sangui nis nõ est adusta fit cancer, vt dixi: si autem aduratur illa fęx sanguinis, tunc fit carbunculus, & sic secundum ipsum carbunculus erit longe peior ipso cancro, & etiam ipse cancer vlceratus non potest curari, & appel labitur ab istis noli me tangere. at cum iste vir dicebat oppositum errat, & causa erroris sui fuit, quia non aduertit reliqua, quæ sunt in tex. facilia. CVM VERO SANGVIS &c. Vidistis superius causas doloris: vnde in hoc fit dolor maximus. QVI SI INFLVENS SANGVIS NIGER SIT &c. Hic Galen. affert aliud genus carbunculi non multum differentis à primo carbunculo: non enim est pessimus iste, & primo dicit sanguis fluens vel est syncerus, vel habet ichorem, id est, saniem secum cõmistam. Sed dubitatur nunquid huiusmodi ichor sit humor verus tenuis, vel sit pars massę sanguinis? hoc cognoscitur ex natura rei: nam vbi fuerit sanguis, & alteratur: vna pars eius fit crassior seipso, alia fit subtilior: pars quidẽ tenuior facit erysipelas: crassior verò à magno calore facit carbunculum. si enim resoluant partes subtiliores, fit ichor, qui ichor cũ mutetur, & fiat calidior propter multam caliditatẽ facit tunc pustulas adustas, sicuti fit de erysipelate vlcerato, qa

tunc

tunc aduritur ichor sanguinis: cũ verò misceetur sanguini, & in eo nõ fit tantus calor, vt resoluantur partes subtiliores, stat ichor in tali humore, à quo fit carbũculus: mistus verò cum crassiori facit pustulas circa carbunculum, quæ serpunt circa ipsum, quia carbunculus est, vt erysipelas, participãs de natura herpetis. iste ergo carbunculus sapit naturam harum inflammationum, quoniã est materia crassior, quæ mista sanguini adusto facit inde pustulas illas: cognoscetis quidem quomodo carbunculus iste distet à primo, quoniam superior carbunculus habebat nigrum humorem in medio vlceris, & pustulas etiam: sed in secundo carbunculo præter hæc dicta, præter tumorem, & pustulas sunt & aliæ pustulæ paruæ ambientes, albæ, & adustæ, nigredo quædam circa ipsum carbunculum, qui tendit ad naturam herpetis: propterea enim sanies, & pars serosior, id est, sanguis ille crassior vergens ad naturam herpetis per adustionem facit istas pustulas suprà nominatas, facítque effectum, quem erysipelas vlceratum. possunt tamen & hæ pustulæ quandoque fieri ratione temperaturæ, vt qui habet bilem multã, & sanguinem tenuem, id possunt facere has pustulas. PVSTVLAE IN CVTIS SVPERFICIE, &c. Primũ enim fiũt ampullæ

læ à bile, deinde mutantur in pustulas. sic ergo materia faciens carbunculũ facit illas pustulas propter nimiam caliditatem, EST ET HIC AFFECTVS carbunculus etiam, &c. Quia etsi habeat ampullas illas in principio, tamẽ dicitur carbunculus, quia denominatio semper fit à maiori, vt diximus de erysipelate, potéstque esse, & dici carbunculus tendẽs ad naturam herpetis. TOT ERGO SVNT INFLAMMATIONIS SPECIES, &c. Epilogando concludit species diuersas inflammationis calidæ, quæ inflãmatio vel fit à bile, vel à sanguine, vt suprà, si fit sanguis temperatus fit phlegmone: à subtiliori quidẽ parte eius fit erysipelas, à crassiori verò fit carbunculus sicque à bile tres sunt species: & primo in sui natura facit herpetem simpliciter: si subtilior seipsa redditur fit herpes milliaris: si verò crassior fit inflammatio dicta herpes esthiomenon. vnde in toto sex erunt species: at si humor corruet fient infinitæ inflammationes. dicit ergo tot esse, quia habet sex affectus secundum naturam. & notate, diuisio semper ita fit, quia est à genere, & genus est vbi existent differentiæ: diuisio autem dicitur fieri vel secundum formam tantum, vel secundum materiam tantum, vel à forma, & materia simul iunctis, vel penes loca: & primo

fit diuisio penes formam tantum, & quãdo profert, tumorum alij sunt calidi, alij sunt frigidi, &c. hic primæ sunt qualitates ex parte formæ, sicq; sumitur diuisio à forma: quandoq; autẽ tantum diuisio à materia, vt quando dicimus tumorũ alij sunt à sanguine, alij à bile, &c. aliquando verò accipitur diuisio à materia & forma simul, vt cum dicitur tumorum alij sunt mites, & benigni, alij mali, alij duri, alij molles: nam dum dico mites, mali, & feri, tunc considero formam & materiam: diuisio secundum loca sumitur sic, vt si dico tumorum alij fiunt in cerebro, alij in brachio, &c. vt dolor capitis vel est in substãtia cerebri, vt Gale. secundo therap. vel in mẽbrana, vel in cranio. Quare potest fieri diuisio & secundum formam, & secundum materiã, & ab vtraque simul, & præter loca. ideo dicit Galen. tot sunt inflammationis species, tot sunt inflammationes, quot affectus secundum naturã: sed quomodo hic est naturæ affectus? dixi naturam esse primum affectum: vnde quãdo dico naturam rei, formam & materiam, intelligo, & sic hæc diuisio est secundũ loca: verũ dicit de diuisione secundum formam, quæ facit hic ad propositum. & ideo dicit intemperaturarum, id est tumorũ calidorũ alios esse à sanguine, alios à bile, dátque differentias

tias secundum formam, & secundum materiam: deerat modo diuisio secundum loca. MVLTAS VERO species quispiam forte putauerit, vt sunt bubones, &c. Dicit se dedisse omnes differentias inflammationũ calidarum, & non sunt nec plures, nec pauciores, sed tantum sunt sex, & alij dicũt inquit esse bubones phymata, quæ sunt inflammationes calidæ. dicet ergo quis, Galenus non dixit de omnibus inflammationibus calidis? aduertatis numerari ab ipso Galen. omnes differẽtias secundum materiã & formam, non secundum loca, qui dicit tantum dico de affectibus secundum naturã, & non secundum loca, & quia eadem erit inflammationis natura, & eadẽ species: nam siue inflãmatio sit in capite, siue in pede, vel in aliquo alio membro est eademmet semper in seipsa. quare eiusdem erit speciei inflammatio, vbique in se, & hoc non mutat rationem eius. quare dicit Galen. de affectu secundum naturã tantum: vnde quando dicimus bubonem esse inflammationẽ partium glandosarum, vel phymata, vel phygethla, dico verũ esse in huiusmodi partibus semper fieri huiusmodi inflãmationes, sed sunt idẽ cum aliis, quia phygethla sunt inflãmationes tendentes ad naturam erysipelatis, & phymata tendunt ad naturam

herpetis:nõ omnia sunt sub genere inflãmationis benignioris, vel bubonũ: sunt enim inflammationes paruæ, & fiunt à sanguine magis pituitoso, tamen habent easdem causas, quia talis materia vel est sanguis, vel bilis, vel mista est ex his, & sic non mutat speciem. OMNIA ENIM hæc inflammationis, &c. Si enim multa de his videre quomodo mutant sua nomina, videatis Galen. in secundo therap. in principio vbi ponit varia ęgritudinum nomina, & apostematũ, vt pleuritidis, quæ est inflãmatio membranæ succingentis costas: phrenitis est inflammatio cerebri: vnde à variatione loci fit etiã variatio nominis harum inflammationũ. Quare diuisio secunda mala est, quia non est secundũ naturam affectus, QVAE ERGO in cõspicuis corporis, &c. Vir iste doctissimus in nominibus noluit prætermittere, quod esset necessarium non tantum ad curationem, sed etiam ad cognitionẽ, quia videbat duo esse generalia loca, vnde fluit materia: nam locorum quædam sunt extima, quædam intima, & videtis magnam esse differentiam non tantum ad cognoscendum, sed etiam ad curandum intus & extra, nam plurimum facit scire an morbus sit in superficie, an in profundo: ideo cum videret hæc Galen. dicit quæ fiunt exempla, facileque

cileque cognoſcuntur: vt quando quis habet tumorem durum, rubeum, calidúmque cum pulſu. quis eſt ille, qui non cognoſcat herpeté eſſe cum tumore, & cum rubedine? &c. ſic cognoſcitur herpetes, ſimiliter ſiue ſit herpes milliaris, vel eſthiomenos facilè cognoſcitur: ſi quis videat corrodentem totam carnem vſque ad cutim, ſic vlcerare & eſſe cũ tumore, deinde facit ampullas paruas, & poſt puſtulas vbique: vnde his viſis cognitio facilè habetur, quænam inflammatio ſit. AT SI INTERIVS fiat inflammatio non expulſione per rubedinem, &c.

Nec per tumorem haberi poterit, ſed tantum per tres fontes ſignorum: primus fons ſignorum eſt, vt ſi conſideretis actiones læſas in mẽbro, & ab huiuſmodi læſis cognoſcetis ipſum, qua ægritudine laborat: ſecundus fons ſignorum eſt, vt videatis excrementa mutata, quorum cognitione ſcietis, quinam morbus in corpore ſit: tertius fons eſt ex accidẽtibus apparẽtibus. Nam quandoq; eſt dolor, quandoq; eſt calor, quãdoq; rubor: & ſi inflammatio fuerit interius, ſi cognitionẽ eius volumus inuenire, oportet per hos tres fontes diſcurrere, quos in methodo noſtra vniuerſali poſuimus. deueniendo autẽ ad primum fontẽ quod actiones læſas, qui nunquam fallit: ex iſto enim

cognoscentur, quæ sint actiones læsæ in huiusmodi inflãmatione interius facta: sed primum cognoscere oportet functiones naturales membri, in quo est inflãmatio. ex naturalibus enim actionibus venimus in cognitionẽ non naturaliũ functionũ, sed quomodo haberi possunt actiones ipsę naturales? non possunt haberi hæ, nec cognosci, nisi per anathomẽ, quæ in primis valde necessaria est in his affectibus, vt cognoscamus substantiam, & operationes naturales vniuscuiusq; membri, quemadmodũ declarat Gale. in primo de locis aff. non possunt ergo haberi occultæ, & internæ ægritudines absq; actionum læsarum cognitione, quæ si debent haberi, primum oportet, vt cognoscamus, quæ sint naturales in vnoquoque membro: nam aliter nullo modo habere possumus. si quis enim exactè cognosceret propriã formã membri, siue instrumẽti intrinsecus: statim perciperet facilè, an esset morbus intra, nécne. CVM diuisissemus omnes inflãmationes particularium intemperaturarũ calidarum, diximus inflammationem aut diuidi penes materiã tantum, aut &c. vidimus autem, quod diuisio ista erat secundum materiam affectus, quæ nobis quid agẽdum affert, circa indiuiduum. quoniã autẽ si volumus rectè curare huiusmodi

modi inflãmationes, nõ opus est tantũ quid agendũ, sed quantũ, quomodo, vbi, & quando: quę indicationes in vnaquaq; ægritudine necessariæ sunt: quæ indicationes sumuntur à diuisione inflãmationis secundũ loca. ideo opus est etiã, vt videamus diuisionẽ secundũ loca: expedita autẽ diuisione inflammationum, quæ sumitur secundum naturã affectus, restat modo, vt videamus de diuisione secundũ loca affecta: plurimum enim confert scire quænã sint loca affecta, quæ verò non. Neque prodest, vt sciamus ipsa loca affecta intra, vel extra, sed vt sciamus sua signa diuidẽtia naturam ipsius morbi: propterea quòd plurimum, & maximè confert habere loca affecta ad prognosticandum: vt vtrum inflammatio sit in vno tantum loco, aut in alio, & hoc multum ad curationem huiusmodi inflammationis attinet, & clare patebit suis locis propriis. dicamus itaque quid necessariò debet agi de diuisione hac secundum loca affecta, siue locus inflammatus sit in parte interna, siue in externa, vel alio modo: nam in inflãmatione, siue in tẽperie calida potest esse membrũ mandans, quod peccat in superfluo extra mittẽdo tale superfluũ ad aliud mẽbrũ, vel potest peccare tantũ membrũ recipiens, quod membrum sit alteratum à calore, vel

dolor accidit ratione cuius fiat talis alteratio, siue inflãmatio: tertio modo potest causari inflammatio, quando vtrunque membrum peccat mandans, & recipiens, & concentrari potest. ergo fieri inflammatio vel à membro mandante tantũ, vel à recipiente tantum, vel ab vtroque simul concurrente probatur: & cum res ita se habeat, & Galen. ordine procedere volẽs prius incipit ab inflammatione facta à membro mandante, postea alteram absoluet: sed huiusmodi inflãmatio, quæ fit à mandante suum principium, suámque causam habet, à qua dependet, quæ est ipsum defluxum, vel materia illa fluens: est enim necessariũ fore membrum mandans, quod peccet in inflammatione, & ipsam fluxionem, id est suam causam: non enim potest esse vitiũ in tali mẽbro, quin sit etiã materia fluens ad hoc, vt fiat talis fluxio. Quod autem ad id spectat, duobus modis potest cõsiderari huiusmodi inflammatio: primum potest sumi, vt est in toto tempore sui motus, deinde prout est in termino: habet enim duplex principiũ inflãmatio, vel est ratiõe sui motus, vel ratione termini: si consideretur inflãmatio prout est materia fluens, seu pro tẽpore illo, dum est in motu: aut quia est materia fluxa, videlicet pro illo termino vt est terminus.

In

In quibus duobus principiis variantur & indicationes curandi, quando fluit ipsa materia, & quando est fluxa: quoniã huiusmodi principia etiam sunt varia, vt patet: atq; oportuit hæc probasse, vt haberetis indicationes rectè curandi, & ista omnia sunt breuiter dicta. QVAE ERGO IN CONSPICVIS SVNT, &c. & tẽdit vsque ad partem illam, AD HAEC QVIDEM, &c. & hoc est argumentum de dicendis: facta tali diuisione superius dicta restat modo videre, quomodo Galen. faciat diuisionem in inueniendis modis huius vltimæ diuisionis, quæ sumitur à locis affectis: & cum loca affecta sint multiplicia, diuidit etiam secundum locos varios, vnde fiunt varij modi affectionum. sumitur itaq; diuisio à loco, & prout multiphariam consideratur membrum affectum, sic variȩ sumuntur indicationes curandi. sunt autem loca septem penes quæ sumitur variatio diuisionis: & primo penes substantiã membri, vt cum dicitur inflammationes quasdam in partibus carnosis, quasdã in membranis succingẽtibus costas fieri, vt est de pleuritide: vel est in substantia hepatis, si est caro: & ista erit diuisio secundum substantiam membri ita vt vna fiat inflammatio in substantia carnosa, alia in membranosa: vel sumitur diuisio penes

modum subſtãtiæ membri. nam vel eſt inflammatio in membro raro, vel denſo, vel molli, vel duro, & hoc ſcire maximè confert: oportet enim iſta optima diuidere, ſi vultis rectè habere indicationes curandi: & ſic ſecunda diuiſio ſumitur penes modum ſubſtantiæ. tertio ſumitur diuiſio penes temperaturã membri, vt inflammatio aut eſt in membro calido, vt in hepate, aut in membro frigido, vt in ſubſtantia cerebri, etſi raro. quandoque ſumitur diuiſio penes oppoſitiones, vt quando dicimus inflammationem in aliquo membro habente oppoſitiones ſiue ſint naturales, ſiue vitales, ſiue animales, tunc vel fit in inſtrumento anhelitus, & ſic in hoc, vel in primo inſtrumento, vel in ſecundo: in ſubminiſtrãtibus vel eſt diuiſio in membris naturalibus, & ſi in his vel in his, quæ generant chylum, vt ventriculus, vel in his, quæ faciunt ſanguinem, vt hepar: & hæc eſt quarta diuiſio, aut ſumitur penes nobilitatem, & ignobilitatem membri diuiſio, vt quando dicitur inflammatio eſt in mẽbro principali, in quo exiſtẽt operationes vitæ ſiue modo ſint operationes cerebri, ſiue cordis, ſiue hepatis: vel eſt inflammatio in membro ignobili, vt in cute: propterea quòd cutis dicitur eſſe membrum omnium ignobiliſsimum, quia eſt

tantum tegmētum corporis nullam aliam habens operationem. At cor dicitur esse nobilissimum omnium, & vitæ thesaurus, siue dicatur cerebrum esse nobilissimũ omniũ, quia de hoc agitur quæstio, quod sit nobilius. tertium autem in ordine secundum nobilitatem est hepar, in quo fit sanguis: deinde subsequũtur aliqua mēbra per ordinem prout magis, vel minus nobilia sunt, & ista est vera diuisio. sexta autem sumitur penes figuram membri, & hoc scire multum facit ad curationem, vt sciatis an membrum, quod est affectũ sit curuum, an rotundũ, an in eo sit cauitas nécne. septimo & vltimo sumitur diuisio penes situm vtrum inflammatio sit in profundo corporis, vel in superficie nécne. hæ enim sunt septem diuisiones diuersæ secũdum diuersitatem locorum: vel sumitur penes substantiã membri, vel modũ substantiæ, vel temperaturam, vel qualitatē loci, vel operationes, vel nobilitatem, vel frigidam, vel tandem situm: & sic septem sunt diuisionis genera secundum loca diuersa, ex quibus Gal. in hac parte vltimum sumit diuisionis membrum, quod est inflammatio penes situm: & diuidendo dicit quasdam inflammationes fieri in profundo corporis, alias in superficie, vt in cute. Et quare hanc incipit diuisionē ab vltimo

mo mēbro, ratio prima est, quia in in flammatione secundū situm est cura magis generalis, deinde post huiusmodi curam generalem deuenit ad particularem: nã in quacunq; cura est primum videre, an membrũ lęsum sit in profundo & occultum: an in superficie, quia sic procedendo facile poteritis vos curam adhibere. si quidem vos debetis applicare remedia in loco profundo, qualia sunt futura, non qualia sunt, quia dum penetrant, & transeunt de superficie ad profundum amittunt suã vim, suámq; formã. vnde si applicetur acetum inquit Galen. in lib. de med. secundum genera, vt eat ad profundum, quãdo ibi fuerit non habebit eam vim, quam habuit in principio, dũ fuit applicatum in superficie: quoniã eam amisit transitu. quare dabat Galen. in punctura extima acetum? non vt profundo penetret sua vi, quoniam, vt dixi eam amittit: quę oportet scire, quia multum conferunt ad indicationes. QVAE ERGO IN CONSPICVIS &c. Et recte, quando inflammationes sunt in propatulo facile cognoscuntur, quænam sunt, quia huiusmodi apparẽt sensui, & sunt valde manifesta sua signa, nã ex his extimis inflammationibus habetis signa clara: quisnam est, qui non cognoscat inflammationem à sanguine puro, cum apparet

paret humor in principio, deinde rubedo, caliditas,& durities,& pulsatio cum magno dolore? hæc enim Gale. esse huiusmodi inflammationis signa dixit. ergo inflammatio à sanguine puro per sua signa facile cognoscitur, si erysipelas fit à sanguine tenuiori per sua signa facile habebitur: nam in cute apparet tumor, & rubedo cum citrinitate quadam, deinde ex compresione digiti dealbescit illa rubedo,& etiam statim fit ille rubor pristinus, quoniam ex compresione fugerat sanguis: & sic albedo apparuit,& paruus est dolor pungitiuus. vnde si quis percipiat omnia ista tactu,& visu, ergo facile cognoscitur huiusmodi inflãmatio esse erysipelas: quod idem dicit de herpete, vel carbunculo secundũ sua signa,& hæc dicta sint loco exempli, vt sciatis quam facile inflammationes, quæ extimæ sunt habeantur per sua signa. at inflãmationes, quæ in parte interna generantur non ita facile per sua signa, vt exteriores inflammationes, haberi possunt, imò indigent, vt cognoscãtur à perito medico,& sagaci:& hi sunt medici physici, qui ratione vtuntur, alij verò sunt chirurgi, qui sciunt tantũ inflammationes exteriores considerare, tamen est eadẽ sententia,& in omnibus vtimur mediis physicis, siue inflammatio sit in interna parte, siue in exter

externa, sed quia, vt diximus, difficilius est cognoscere inflãmationes intrinsecas, quam extrinsecas, ideo indigemus in his discursu philosophico & ratione, & non solum visu cum rationabiliter huiusmodi inflammationes attribuuntur physicis, & chirurgis; sed etiam experiẽtia, quæ connexa est ratio ni. ideo studeatis esse boni physici & chirurgi, cum pauci excellentes reperiãtur hodie, qui non sint boni physici, aut boni chirurgi. similiter contra, quia in his indicationes sunt æqualiter, eandem habẽt curã, nisi chirurgus in hoc plus se habet, quam physicus: in aliis verò physicus superat ipsum, tamen si plus deficiat physicus indicationibus, non erit physicus, de chirurgo erit eadem ratio. In proposito ergo cũ inflammationes, quæ fiunt interius habeant easdem indicationes, quas extimæ. si in hoc tantũ differunt quod intimæ difficilius cognoscuntur, & differũt, vt ignotum à noto: ideo indigent viro physico & experto, & qui habeat anathomen & sciat facere syllogismum: sed quibus signis, quáue arte cognoscemus huiusmodi inflãmationes? oportet singulorum habere notitiam, quæ in methodo nostra vniuersali tradidimus, & inuestigare omnes fontes, ex quibus deuenimus in cognitionem morborum occultorum. & primo sunt actiones læ-
sæ,

ſæ, quæ demonſtrant: ex actionibus enim læſis quiſnam morbus ſit in corpore cognoſcitur, ad quem fontem accedere debetis, & animum dirigere, quoniam huiuſmodi primus eſt fons fontiũ: ergo prius actiones læſas aduertere debetis, quæ ſunt in triplici differentia, aut enim ſunt animales læſæ, aut vitales, aut naturales. ſecundus fons eſt ab excrementis mutatis: tertius ab accidentibus, quæ contingunt: omnia hæc primo conſiderare oportet, deinde curare morbum. quantum ad primum fontem id eſt ad actiones læſas ſcire debetis quaſdam eſſe actiones proprias vnicuique membro, aliàs non proprias, ſed eiuſdem generis. propriæ enim actiones vnius membri ſunt, quando ita inſunt vni membro, vt alteri non cõueniant: non propriæ actiones, quæ illis ſunt proportionales, & non tãtum vni conueniunt membro, ſed pluribus familiares ſunt. & iſtæ non propriæ dicuntur eſſe duplices: vel enim ſunt eiuſdem, vel diuerſi generis. dicamus primo de actionibus propriis vnicuique membro, vt actio ventriculi propria eſt facere chylum: hæc enim ventriculo ſolum conuenit, & non alteri membro, actiones non propriæ ventriculi, ſed eiuſdem generis ſunt veluti diſtributio chyli in venis meſeraicis ad ipſum hepar:
ſunt

ſunt hæ eiuſdem generis,quia ſunt omnes naturales:licet enim iſta diſtributio non ſit propria ipſi ventriculo,eſt tamen ei familiaris,& eiuſdem eſt generis : alia verò eſt actio non propria,& diuerſi generis ſicut eſt pulſus cordis,& arteriarum,hęc nõ eſt propria ipſi ventriculo,quia non eſt ei familiaris.ergo per omnes huiuſmodi actiones diſcurrere debetis,ſi vultis cognoſcere omnes affectus,qui ſunt intus.ſecundus fons ſignorum eſt ipſorum excrementorum mutatorum,quæ ſunt in duplici differentia,& genere:vel enim ſunt propria illi membro,& familiaria,vel non propria:propria autẽ ſunt, vt ſi ab inteſtinis abiiciantur fæces:hæ enim ſunt tantũ propria inteſtinorum excrementa : non propria , vt ſi chylus excernatur ab inteſtinis,quod quandoq; contingere ſolet. ideo non eſt eis proprium hoc,nam ſi proprium eſſet,hoc eis ſemper ineſſet : ſi enim excrementum vnicuiq; membro proprium mutatur,vel adhuc eſt naturale,ſed parum alteratum,vt fæces quãdo mutatæ ſunt:vel quia ſunt fætidæ,vel quia ſint liquidiores, tamen ſint excrementa naturalia,ſiue molliores ſint,ſiue duriores:alio modo excernũtur excrementa propria,quæ ſunt ex toto genere præter naturam,vt ſi caro excernatur ab inteſtinis, vt apparet in dyſenteria:

eſt

est enim proprium excremētum intestinorum dysenteria, sed penitus præter naturā. quæ verò signa sumuntur à tertio fonte, sunt accidentia exteriora, vt dolores, tumores, rubedines, asperitates & huiusmodi, de quibus dicemus suo loco. His sic visis videamus modo de inflammatione, & supponamus inflammationem esse in hepate, quæ est tumor à sanguine puro factus, & fit in eius substantia: est enim inflammatio occulta, si volumus hanc cognoscere opus est, vt ratione procedamus, sed quomodo? primo est procedendum ab actionibus læsis propriis, quomodo autē scietis hic procedere? nunquam hoc cognoscitis, nisi prius cognoscatis, quæ sunt operationes naturales, in hoc anathome est summe necessaria, vt cognoscatur operatio naturalis vniuscuiusq; mēbri, & sua substantia. operatio hepatis est facere sanguinem, quod membrum est ita necessarium, vt sanguis generetur ex chylo: sed cum tale mēbrum fuerit impeditum ab actione propria, non potest operari: docui enim vos in methodo vniuersali, quomodo vniuersalia applicētur particularibus ipsis: dixiq; vbi contigerit in aliquo membro intemperies frigida omnes tunc diminui, & extingui operationes, nam hoc est propriū frigiditatis facere, vt diminuat, & (vt dicunt

omnes)habeat extinguere motus.caliditas naturalis facit operationes sicut oportet id est temperatas,& si caliditas fuerit nimia, non extinguet operationes,vt facit frigiditas,sed faciet actiones esse maiores solito: propterea quòd caliditas ignea facit operationes quidem,sed corruptas:quia excedit, & superat modum naturalē.cum ergo inflammatio sit in hepate,necessarium est ibi esse ægritudinem,& operationes ipsas habere malas,& eas impediri ac lædi,cum sit inflammatio,& intēperies calida cum materia per affluxum:& est inflāmatio insignis, si insignis,actiones sibi propriæ læduntur,& non tantū diminuuntur,sed etiam corrumpuntur, quia excedit caliditas,maiórq; fit actio,quam oporteat: cúmq; calor in hepate non sit,vt conuenit,quia excedit,& hepatis proprium sit facere sanguinē,& sanguis in hepate sit factus seipso calidior temperato,tunc fiunt operationes maiores,quam deceat,& ideo cum hepar facere debeat sanguinem temperatum à calore immoderato facit humores calidiores ipso sanguine,sed qui sunt humores huiusmodi calidiores sanguine in corpore?est bilis ipsa flaua,vt habetur à Gale.in secundo de fac.naturalib.& in secundo de temper.si modo calor sit immoderatus,tunc calor non diminuitur,sed

fit ac

ſit acrior,& ſit bilis,quæ eſt calidiſsima omnium humorũ,qui ſolet accidere in ſanis, vt temperatura hominis bilioſa tãto magis in ægritudine fiet,quãto inflammatio fuerit in hepate,cum inflammatio ſit in fonte ſanguinis:quid aliud expectãdũ,niſi ibi plurimum generari de bile,& hoc manifeſtum eſt à natura rei:nã cum hepar dicatur facere ſanguinem tẽperatum,facit bilẽ:ſi bilẽ, eſt ibi intemperies calida, & calidiſsima à flaua bile,& tunc nõ expellit hunc humorẽ calidiorem, qui diſtribuitur per corpus,& emittitur ad cutim : vnde ſit icteritius,quæ cum appareat ante ſeptimum ſignificat inflammationem in hepate,& eſt peſsimũ ſignum,quia denotat mortẽ futuram,& hoc idem aſſerit Auic.ſi æger non moriatur ante ſeptimũ,poſtea ipſa bilis in hepate cauſata ſit maior,aduſtiórq;,& in ea ſit vt fiat intemperies frigidior ad melancholiã tendens,& tandẽ fiat ſcirrhus,etſi pertranſit annum,ſit ſcirrhus in hepate.ſumpta eſt ergo diuiſio,primo ab operationibus læſis,nam ſi eſt inflammatio in hepate non generatur ſanguis, ſed bilis : & ideo eſt, quia in eo eſt caliditas excedens. vnde corpora calida,& ſicca faciunt bilem,& hoc eſt præcipuum , & maximum ſignum.vbi autem in ægro fuerit talis temperatura calida,&

kkk 2 ſic-

ſicca tãto magis fiet de bile in hepate: hoc erit certum ſignum, vbi bilis abundauerit per corpus, quod inflammatio ſit in hepate, & ita ab actione læſa propria hepatis cognoſcitis affectum, & modum læſionis in corpore, & ſic ſcietis quanam materia abundet æger vel calidiori, vel frigidiori, quia ſi fuerit calidior, in hepate fiet bilis, & fiet tẽperatura calidior, quia loco ſanguinis generatur bilis: & iam habemus ex actionibus læſis, ſiue operationibus cognoſcere, vbi ſit morbus ſeu inflãmatio in corpore. ab actionibus autem nõ propriis, ſed eiuſdẽ generis cognoſcitur etiam, quę inflammatio fuerit, in hepate, vel in corpore: nã vbi inflãmatio fuerit, hãc tũc cognoſcetis, quoniã quæ egeruntur per aluũ, ſunt liquidiora, & hoc eſt cũ non fit recta diſtributio, quia hepar nõ cõplectitur chylum, & non fit debita alteratio chyli ab ipſo calore hepatis, qui eſt nimis excedens. ideo chylus factus in ventriculo. non poteſt recte cõcoqui, ſed ab illo calore hepatis corrumpitur chylus, chylo verò corrupto hinc eſt, quod fæces ſunt liquidiores propter malam concoctionem, & putredinem, quia chylus erat putridus. patet ergo in inflammatione hepatis fæces fore affectas: nam non recte concoquit ventriculus, nec ipſa inteſtina, & ſic nihil mirum, ſi

fœt

fœteant. quãtum verò ad actiones læsas diuersi generis, vt est de arteriarum motu, & cordis pulsu, istæ quidem actiones sunt naturales, sed diuersi generis, licet habeant magnum consensum cum omnibus & conspirationem, ita vt vnum membrum correspondeat alteri, quandoquidem si afficitur hepar, consentit etiam cor ad talem affectum, & hoc est quoniam ex sanguine subtili, & alterato in hepate, à quo deinde generantur spiritus ipsi, non est mirum si tunc arteriarum motus alteratur, & diminuitur. ergo fit paruus: nam tunc victus est imbecillis, & spiritus sunt pauci, qui fiunt à sanguine subtili, qui quidem sanguis est paucus, nec huiusmodi spiritus sunt boni. & quare hoc est? ratio est quia non sunt facti à sanguine subtili temperato: ergo non est verus motus cordis, sed quia est multa necessitas, ideo fit pulsus frequens, non est velox, & quare? dixi alias velocitatem indicare virtutis fortitudinem: vnde qui debiliter mouentur, habent virtutem debilem, qui cum non possit moueri velociter, supplet frequẽtia, sic facit pulsus, quum sit debilis, non potest cum velocitate in tempore debito facere suum motum, sed sæpe iterat motum, & motum frequentat, vt patet de baiulo: vnde pulsus iste est paruus ratione

virtutis imbecillis: est autem frequens, quia cum ipse supplet, deinde velox, sed non multum: postea dicitur esse imbecillis, & non multum recessit. est autem mollis, & ratio est quoniam inflammatio est in hepate, & in hoc distinguitur inflammatio hepatis ab inflammatione membranæ, in qua pulsus est durus, sicuti habetis tertio de locis affec. vnde Galenus à Glaucone retulit summum honorem, quoniam alius medicus dicebat ipsum habere pleuritidem, sed inflammatio erat in hepate: vnde pulsus erat mollis: quare hic etiam est mollis. vbi autem inflãmatio esset in membro membranoso, tunc esset durus, sed in molli membro fit mollis pulsus, & sic diuersis modis per omnes operationes naturales læsas facta est diuisio inflammationis. isti autem nõ delirant, nisi in maxima inflammatione, & raró, quia non est multum de consensu cum ipso cerebro. quantum ad excrementa per vrinam facile est cognoscere, quænam sit inflãmatio: qui enim nouerit actiõnes læsas naturales hepatis, cognoscet ibi inflammationẽ esse: cum enim videbitis actiones naturales hepatis non facere sanguinem, sed generare bilem loco sanguinis, & vrina habebit colorẽ sanguinis, qualis est intus, cúmq; sanguis intus fit bilis, non est mirũ tunc, si in vrina est bi-
lis

lis facta: ista etenim vrina est icteritia, quia inflammatio est in hepate à tali humore faciente icteritium, quo cessante cessabit talis vrina: quantum ergo ad excrementū per vrinam habet colorem icteritium: quantum ad excrementa, quæ per aluum egeruntur sunt liquida, & hoc quia non rectè dissoluitur cibus in stomacho, & chylus. & quare? ratio est quia hepar inflammatum non trahit naturaliter chylū, sed ipsum deurit, nec eum decoquit. ideo nec bona fit distributio, nec bona attractatio, cum hepar non attrahat chylum, qui fit in ventriculo, de necessitate ibi corrumpetur: caliditas deinde hepatis aggreditur talem chylum corruptum, & expellit partes putridas: vnde excernūtur fæces liquidæ colliquatiuæ, & dicitur συντήξις, id est, fluxus colliquatiuus, & hoc est signum inseparabile à febribus pestilentibus. vt visum est: patétque qualisnam inflammatio sit quo ad excrementa mutata. quantum vero ad tertium fontem, id est ad ea, quæ exterius apparent, color istius est citrinus, quia vertitur ad icteritiū circa oculos, & ratio huius est, quia multiplicatur bilis, & non expellitur, nisi ad cutim: secundo circa linguā est siccitas magna, & color citrinus, & ratio est, quoniam vapores multi biliosi ascendunt etiam propter consensum

ventriculi: ideóq; fit ſiccitas in lingua, quæ vix poteſt extingui. præterea ſi fuerit in gibbo hepatis, id eſt in parte conuexa, tunc apparebit tumor in formam lunæ, ſicuti ibi apparet forma hepatis, præterea & ſentitur quædã grauitas tendens à parte dextra trahens deorſum, & ratio eſt quoniam materia mala cum ſit in hepate: & inflammatio, & ibi ſit vena magna concaua ad iugulũ aſcẽdens, vt attrahatur deorſum ob id ſit talis gradus: ſi verò fuerit talis inflammatio in concauo hepatis, tunc non videtur aliquis tumor hepatis, & hoc cognoſcetis, quia ſi verteretis tale corpus verſus dorſum, & premetis partem illã hepatis, & ventriculi ſentitur, tunc magnus dolor, & talis non poterit preſsionem pati, & hoc maximũ eſt ſignum in parte hepatis concaua fieri inflammationem, & hæc ſatis ſint dicta de tribus fontibus ſignorum, à quibus ſumitur morborum cognitio. IN QVO ID IN PRIMIS &c. facta diuiſione dixit inflammationes poſſe fieri in parte interna, & externa, quæ in interna difficilius cognoſcit, & eget maxima arte: quæ in externa parte facilius cognoſcitur. Galen. dimittit primum membrum, & accedit ad curationem inflammationum in externa parte, & ratio eſt, quoniam huiuſmodi inflammationes facile curantur,

rantur,& à facilioribus incipiendum, quoniam remedia loco facilius applicari possunt, & dum vult curare sumit primum. QVOD ET IN OMNIBVS ALIIS &c. Dum vult incipere curationẽ, inquit, oportet vt cognoscamus causas morbi ad hoc vt faciamus curam, aliter curare non possumus. ergo sunt necessariæ causæ morbi, & vt omnia clara habeamus apud medicos tres reperiuntur causæ, vt in methodo vniuersali tantum tres esse dixi: quarum præcipua est causa efficiens, secunda materialis, tertia formalis: finalis autem non datur apud medicos, & ratio est, quia quicunq; agit, ratione finis agit, & ad propositũ: sed medici circa hanc causam frustra agunt, quia nulla est ægritudo ratione finis: nam si esset, reduceretur ad effectum. ideo in ægritudine non datur causa finalis: quãtum verò ad causam instrumentalem, illa reducitur ad causam efficientem, & nõ est multum necessaria: ab Arist. autem 2. phy. & vbiq; habentur quatuor causæ, & non posuit instrumentalem, sunt tamen tres tantum causæ apud medicos, debetis scire oportere, si volumus rectè curare, vt cognoscamus vnamquanq; caucausam. Pro his quæ dicebamus cum Galeno in illa parte text. in quo id in primis, quod & in OMNIBVS ALIIS &c.

vsq; ibi, NEMPE, VT CAVSAM MORBI INVENIANT &c. Super his verbis dum Galen. dicit ita ante omnia est inquirendus ipse morbus quid sit, siue causas morbi: vnde pro huiusmodi declaratione dicebamus tres solum reperiri causas apud medicos materialem, formalem, & efficiētem, & paulò pòst diximus, quod causa efficiens quatenus efficiens est, de necessitate semper suum habet producere effectum, nimirum morbum. ideo si ipsum curare vultis, quando est in actu nunquam poteritis, nisi tollatis ipsam causam efficientem, aliter morbum curare non poteritis: & si prius debet tolli causa, oportet ipsam cognoscere, quænam sit, quæ causa appellatur sine qua non, vt habetur tertio methodi quinto. sine qua morbus curari non poterit. ergo oportet prius tollere ipsam: & quanquam talis causa efficiens non sit de essentia morbi, quia semper venit ab extrinseco, tamen vt dixi: nunquam affectum, seu morbū ipsum curare potuimus, nisi efficiens remoueat. oportet itaq; ipsum medicum, antequam deueniat ad curationē morbi, considerare, & remouere causam efficiētem, dum actu est: & quoniam sæpe huiusmodi efficiens concurrit cum causa materiali secūdum medicos, & faciunt morbū, ob id quando conueniunt

hæ

hæ duæ causæ simul sunt subiectum morbi: ergo erunt idem subiecto: & differunt tantum ratione, quãdo efficiens agit in causam materialem: distant ratione formali, & conueniũt in subiecto, vt verbi gratia, istius inflammationis demus exemplum, quam intendimus curare, cuius materia est sanguis purus: est enim ille sanguis causa efficiens ipsius inflãmationis, & quomodo est? quia dum sanguis fluit de loco ad locum dicitur causa efficiens, prout est in motu, & in ipso fluxu: nam dum fluit sanguis, & fit motus ille, fit etiam tumor præter naturam extensione ipsa. per talẽ ergo affluxionem fit tumor ille à sanguine puro: sed quia ista fluxio habet materiam, id est, quæ dum deuenit ad locũ, deinde quiescit huiusmodi materia sanguinis, qui causa fluxus est: & hoc modo dum in fluxione esset, erat causa efficiens: in loco autẽ est causa materialis, quia non amplius fluit. sanguis ergo purus erit in hac inflammatione & causa efficiens, & causa materialis simul in subiecto, quia sunt ipsummet subiectũ morbi huiusmodi, sed diuerso modo dicũtur esse subiectũ idẽ: propterea q̃d causa efficiẽs, vt deinde est, dicit esse subiectũ, dũ fluit ad locũ, & est in motu: materialis verò est subiectũ, quãdo ipse sanguis est iam fluxus ad locũ: sic distinctę sunt

huiusm

huiusmodi causę ratione formali. quoniam si vultis curare hanc inflammationem necesse est, vt habeatis rectè has duas causas, quomodo se habeant hic: siquidem alia sumitur indicatio curandi à causa materiali, alia ab ipsa efficiente. necesse est ergo, vt distinguatis eam secundum idem, & ponatis esse easdem subiecto, aliter maxima apparebit confusio in ipsis indicationibus curandis, & sic quod erit à vobis curandum præseruabitis, & quod erit præseruãdum curabitis opposito modo agẽdo. & ideo summopere errabitis, si verò scietis distinguere ipsas indicationes curandi, quoniam causa efficiens quatenus efficiens facit indicationem præseruandi hominem, & hoc est quia efficiens cum consistat in ipsa fluxione, & in motu facit morbum, & inflammationes, & non adhuc facit. ideo causa efficiens nõ est in facto esse, sed in fieri: sed cum ita sit, faciet efficiens indicationes præseruandi, vt præseruemus tale corpus, ne inflammatio transeat in facto esse. indicatio ergo sumetur ab ipsa, vt auertamus fluxionem ad oppositum, & hoc ne talis fluxio faciat morbum, & ponat eum in actu. quare causa ista efficiens dicitur præseruatiua à Galen. quinto, & decimo methodo? quoniam præseruatio sumitur ab ipsa. vnde medici ipsi decepti

decepti sunt dicentes præseruationem esse ab efficiente,& causa erroris fuit, quoniam nesciunt distinguere, quoniam dicit ibi Galen. ab efficiente nasci indicationem præseruatiuam. quare à causa efficiente morbi nō sumitur indicatio curandi, vt illi volebant, sed tantum præseruatiua? at causa materialis,& formalis sunt hæ, quæ faciunt indicationes curandi: efficiens autem præseruandi indicationem præbet, quia non adhuc factus est morbus: docet enim vos præseruare hominem ab ipso morbo, ne incurrat in ipsum factū. quare sic ipsis sophistis respondeatis, dum dicunt à causa materiali sumi indicationes præseruandi, dicatis falsum esse, vt vidistis. ideo dico ego tantum à causa efficiente oriri indicationes præseruandi: causa verò materialis quatenus materialis est, semper est subiectum, & materia morbi, à qua sumitur indicatio curandi, quia talis causa non est in motu, sed in termino. ideo eget curatione: sanguis enim dū fluit, ostendit indicationē, vt præseruemus, eúmque auertamus à loco ad quem fluit, ne ponatur in facto esse ipsa fluxio. at quando sanguis ipse iam est fluxus ad locum, & dicitur esse in termino, tūc sanguis dicitur esse causa materialis, & non amplius efficiēs, quia non amplius fluit. ideo cum sit materialis

rialis causa, tunc dat indicationem curādi, quoniam est pars ipsius morbi: sed indicatio curandi est ipsius morbi, ideo causa materialis facit tantum indicationem curādi: causa verò formalis cum sit de ratione morbi, & distinguat ipsum, tametsi ab ipsa indicationem curandi &c. SVNT ERGO TANTVM TRES CAVSAE &c. Prima erit causa efficiens quæ dicitur causa sine qua non. & ideo esse potest, quia si debet tolli inflammatio ipsa, debet prius remoueri causa efficiens, vt infra in curatione videbimus: quæ quidem causa efficiens est duplex extrinseca, aut intrinseca: extrinseca sunt cibi mali, mali potus, coitus, calor, & accidentia animi, &c. quæ quidem aut prosternunt temperaturam, aut compositionē, aut solutionem continui, vel continuitatem corporis, istæ enim omnes causæ efficientes extrinsecæ sunt. si vultis morbum tollere, tunc propellendæ prius sunt, aliter prius ipsum curare non poteritis. Nam si fuerint in actu ipsæ quidem sunt tollēdæ. causa autem efficiens intrinseca sunt ipsi humores redūdantes in corpore: nam dum huiusmodi humores ita redundant, non possunt corpus nutrire, & hoc est q̄a talis materia semper fluit. quare si vultis ipsum nutrire oportet præseruare ipsos humores abundantes,

vel

vel ipsos tollere oportet, & sic dicendum de causa materiali faciẽte morbum. tertio verò erat causa formalis remouenda, quæ est à termino, quia terminat, & distinguit morbum. inflammatio ergo vt inflammatio est habet tres causas iam dictas, vt sanguis fluens de loco ad locum & est in motu qui non est curandus, sed præseruãdus per remotionem ad oppositum; secunda materialis, & erat sanguis iam fluxus ad locum: qui est in termino, non in motu, erit tollẽda curatione, non præseruatione: tertia erat causa formalis, quæ dicitur esse calor præter naturam terminans ipsam inflammationem, & ipsa tolitur cũ suis oppositis: est enim figura mala, & humor qui est tollẽdus, & omne quod se habet sicut ex parte formæ est tollendum cum suo opposito, sed quia iam habetis, quod tantũ tres sunt causæ secundum ipsos medicos, & quomodo sit remouẽdæ, & hoc est quod Galen. vult dũ dicit nempe, vt causa morbi inueniatur in omnibus morbis. ergo oportet, vt causam morbi habeamus si volumus ipsum curare, ignorata ipsa deterior fiet morbus, siue sit efficiens, siue materialis, siue formalis: nam si erit efficiẽs sumitur indicatio præseruãdi, si materialis, siue formalis sumitur indicatio curandi, quomodo autem tales causæ dicantur,

tur, prosequitur. INFLAMMATIONVM QVAE IN CONSPICVO SVNT &c. Incipit dicere de causa, quæ est in quocunque morbo, & primo dicit causas inflammationis ipsius, quæ est sanguis ingens, quod vna est causa in conspicuo, quæ non est admodum occulta, nec latens, & est ipsa fluxio, primum incipit à causa efficiẽte, quæ prius remoueri debet, incipit ergo ab illa, quæ dicitur fluxio: nã dum sanguis fluit ad locum dicitur esse in motu, qui quidem fluxus sanguinis facit, vt sit causa efficiens, quia inflãmatio est adhuc in fieri, quæ tolẽda est cum ad locum faciat fluere humorem, sed omne ambiguum, seu æquiuocum distinguendum est, propterea quòd ex causis distinctis nascuntur indicationes distinctæ, & non confusæ: si debeat tolli morbus, & à causis confusis oriuntur indicationes confusæ, & cum ita se habuerint, nũquam per has tolletis morbum. quare dum circa particularia versamur, oportet, vt distinctè procedamus: cum autem hoc nomen fluxionis dicatur esse multiplex: nam vno modo dicitur fluxio propria, alio modo dicitur fluxio fieri, sed non propria: & primo Galen. agit de fluxione proprie sumpta, & quænam est ista, & dicit illam fluxionem esse propriam, quando nulla causa extrinseca

aduenit,

aduenit, vt fiat ipsa fluxio, sed dicitur fieri propter aliquod vitiū in corpore existens: talis enim erit fluxio propria. fluxio autem non propria dicitur fieri, quando aliquid extrinsecus aduenit, vt vulneris fluxio. nam aduenieēte dolore, vt puta in manu, aut calor extraneus, aut percussio cum materia dicitur fluxio nō propria, fluit enim ista materia in corpore, quia membrū est factū imbecille, & debile, quæ materia dicitur causa intrinseca, quia est initium causans talē fluxionem, ideo dicendum, quod membrum à quo fluit ista materia redundās dicitur esse labefactum. Et ideo fit fluxio vera, quare vt fiat fluxio aliqua à membro imbecilli de necessitate in eo est materia redundans: & tale membrum expellit talem materiam redundantem ad imbecilliorem partem siue in quantitate, siue in qualitate peccet: ratióque membri mādantis huiusmodi materiā, & ratione membri recipiētis ipsam causatur huiusmodi fluxio, sed patitur ipsum membrū mandans, & recipiens materiam hanc: est deinde materia ipsa, quæ fluit, etsi ipsa tria faciant fluxionem: nempe ipsum membrum concurrit ad hoc mādans, quia expellit à se talem materiam, est deinde recipiens factum debile, quod recipit hanc materiā, quæ fluit, & istud membrum alio

ſolet dici nomine rheumatizans, eo quod recipit talem materiam ſuperabundantẽ à mãdante, ſicut etiã caput ſolet dici rheumatizans, quia recipit catarrhum, & ſic de aliis membris recipiẽtibus huiuſmodi materiã. dicitur ergo fluxio vera, quæ fit à cauſa intrinſeca: non vera autẽ fluxio, & improprie dicta, quãdo fit ab aliquo extrinſeco adueniẽte in aliquo membro, etſi in cerebro fiat concuſsio, vel propter ſcarificationem, vel propter rem adurentem & exiccantem ratione huiuſmodi caliditatis, vel ſit dolor ratione cuius materia illa ſuperabundans attrahatur à membro recipiẽte. & ideo ratione membri mandantis, & recipientis ſecundum ſe nullum eſt vitiũ in eis, ſed fluit violenter iſta materia abundans, & non dicitur iſta fluxio propria: vnde ſi quis quærat, quare non debet dici vera etiam iſta fluxio? quia etiam iſta habet omnes cauſas, & ſuas omnes conditiones requiſitas, quæ ſunt tres. membrum mandans, & materia fluens. & membrum recipiens: dico eſſe fluxionem non veram iſtam reſpectu vtriuſque termini mandantis, & recipientis, quia membrum mandans mandat à toto genere, recipiens attrahit materiam ab aliqua cauſa extrinſeca. & ideo dicitur fluxio violenta, quia iſta fluxio eſt non propria, &

non

non vera propter rationem dictam, & de vtraque fluxione propria, & impropria hic agit Gal. sed primum de vera, INQVIRERE INFLAMMATIONVM ERGO, &c. Videte quomodo habeatur vtraq;, & primũ dicit de ea, quæ causam habet nõ occultam quæ est ipsa fluxio, NISI ALIQVANDO CVM HIS COPVLENTVR à latere. NISI FIAT CAVSA, ita legit, NISI AB ALIQVA OCCVLTA CAVSA, & causa extrinseca est huiusmodi vt dictũ est. QVANDO ENIM NVLLA HARVM PRAECEDENTE, &c. Pingit modo veram fluxionem, quæ quidem à nulla causa extrinseca fit, sed dicitur fieri cum affectus, & vitium fit in corpore: morbus verò affectio rheumatica dicitur. in istis ergo inflammationibus, quæ sponte eueniunt in principio curæ totius est aduertendum, vt rectè curatio fiat: vnde si quis non rectè aduertat in principio curationis, tales solent committi errores, qui deducũt ægrum ad mortem, de his postea dicemus, sed primum quid agendum sit dicamus. si autem cõmissi fuerint in curationis principio errores, apparebunt ex ipsis indicationes indistinctæ, & causa efficiens est, quæ dat nobis tales indicationes, diximus Galen. tradere nobis prius inflammationem à causa

efficiente, quæ in conſpicuo erat, & eſt ipſa fluxio, à qua quidē cauſa habentur indicationes curādi, præſeruandi inflammationē: debemus enim ſcire omnes indicationes ſumi ab ipſa natura rei: ſi ſic ergo cōſideranda talis natura rei, ſed quomodo ſumitur natura fluxionis vel rei? ſic cōſiderari debet: vel enim fluxio eſt in motu, vel in termino: conſideratur enim fluxio ipſa duplex, nam ſi prout eſt in motu, & in via vna oritur indicatio, vt præſeruemus ipſam fluxionem: ſin autem conſideretur fluxio prout eſt in termino, ſic alia ſumitur indicatio curandi fluxionē ipſam. ſi enim fluxio ſit in via, indicatur nobis de auerſione ipſius materiæ trahere ad oppoſitū, quoniā ipſe humor fluens eſt in motu: ergo eſt auertendus, ne ad locū fluat, & faciat morbum, & hoc indicat ipſa rei natura: & ſic trahemus: ſic enim fit in omni arte, quoniam ab ipſa rei natura ſemper ſumimus quid agendum. dum enim humor fluit, fit & oritur indicatio fluxionem eſſe intercipiēdam materiā ad oppoſitum: quantenus verò fuerit fluxio in termino, & nō amplius in motu, tunc oritur indicatio, quod debeat repelli talis fluxio, quoniā ſi non repelletur, nunquam poterit tolli talis morbus. expelli itaque debet, &c. & de hac fluxione ſic debet dici, ſicut de inimico,

qui

qui cum ad nos, vel domum nostram deuenerit, quæratis ipsum auertere, & trahere ad partem oppositam: dum autem fuerit in limine domus non amplius curabimus trahere ipsum ad oppositum, sed expellere à limine: sic de tali fluxione dicitur, dum est in motu quærimus ipsam ad oppositum trahere, dum est in termino ipsam expellere: quibus autem instrumentis fiat hoc videbitis postea. dicimus ergo ipsam fluxionẽ, vt est causa efficiens dare vnam indicationẽ præseruãdi ipsam à loco ad quem fluit cum auersione ad oppositum: dum verò fluxio est in termino, & est materialis causa dat indicationem de expulsione ipsius. Aristot. sic ab ipsa fluxione duæ oriuntur indicationes diuersæ, quibus visis appareant duo modi curandi: de quibus conqueritur Gal. vnde solent prouenire ista duo incommoda, & admonet nos debere rectè curare in principio, ne in huiusmodi incommoda incurramus, & declarat primum vitiũ, quod consequitur ex mala curatione, & est dum in principio non habemus curam auersionis, quam indicationem ostendit nobis causa efficiens primum esse faciẽdam, sed hoc cum non facimus, & accedimus ad ipsam infammationem euacuandam ad oppositũ statum, & hoc est primum vitium: deinde

apponimus, quę calefaciunt, & humectant, & istud est secundum vitium, quod dum debetis repellere ipsam fluxionis materiã, tunc trahetis ipsam cum calidis & humidis. ideo hæc duo vitia ex toto pugnant veræ curationi: Nam ratio dictat primo humorem esse auertendum ad oppositum, sed faciatis ad oppositũ: alia autem indicatio, cum fluxione in termino dicitur esse repellenda materia illa, sed tunc calefacimus: ob idque attrahimus tunc, & hoc est vitiũ. Et ideo ista duo vitia ex toto repugnãt primis, vel duabus illis indicationibus in vera curatione, & sic sunt duo errores, siue peccata, siue vitia, quæ habent parare maximum incommodum in huiusmodi inflammationibus, quæ cum inflammatio habeat materiam ex his erroribus magis augetur, dum deberet tolli, & fit exiccatio. præterea fiet feruor illius materiæ propter maximũ calorem, ex quibus duobus euenientibus causatur dolor, qui dolor habet resoluere calorem innatum, sed talis materia in ipsa inflãmatione indiget euacuatione: at eam non euacuatis, imò augetis, & ita, vt vix posit tolerari præ nimio dolore, quando applicatis calida, & humida: ex quibus attrahitur ipsa materia dum eam deberetis repellere. ideo nihil mirum si continuo fiat maior

maior dolor. quid ex hoc sequitur, nisi mala incõmoda, & summa adustio in inflammatione? & iste est primus terminus. secundus verò terminus est quando maturatur. & deuenit ad excretionem: est enim malũ, sed minus. tertius verò terminus est dum talis materia induratur, & fit scirrhus. quartenus verò terminus est, quando materia putrescit in membro: sicut sunt quatuor termini, sic possunt esse quatuor incõmoda facta in inflammatione ex mala curatione facta in principio in ipsa fluxione. & ideo ex his duobus vitiis factis in curatione ipsa abundat multa mala materia, quæ superat ipsum membrum, in quo existit. & ideo nõ est mirum si Galen. dicit bonam debere fierĩ in principio curationẽ, ne talia incõmoda eueniant; nam si quispiam oppositum faciat, sequerentur ista maxima incommodo, ATQVE IN HIS PRAECIPVI, &c. oportet enim in principio bonam quærere curationẽ, quam quomodo faciemus videbitis in sequenti, quæ erit auersio à causa efficiente, & expulsio deinde à causa materiali in ipsa fluxione: NAM IN IPSIS ERROR COMMITTITVR, &c. quoniam fit scirrhus, & putrescit etiã materia in membro. AVT OMNINO IMMEDICABILIS, &c. quoniã ex tali materia putrescen

trescente in membris generatur sphacelos, HAEC AVTEM DVO SVNT MAXIMA VITIA, &c. declarat ex quibus contingunt ista incommoda, & fiunt ex duobus vitiis quæ superius indicantur. primum est ibi, NVLLAM TOTIVS CORPORIS CVRAM HABERE, &c. Neque euacuant ad oppositam partem in primis, quod non est faciendum, sed debemus auertere primum, duplex error est ibi. ET LOCVM CALEFACERE, ET HVMECTARE, &c. vt superius, qui excalefaciant, & humectent, quoniam attrahitur noua materia, & sic ex tali calefactione & humectatione membrum magis redditur paratum, magísque dispositum ad recipiendam materiam abundantem. HIS DVOBVS MEDICI MAXIME DELINQVVNT, &c. in quæ vitia deueniunt nonnulli medici methodici, dicit enim hæc Galen. propter illos medicos methodicos importunos contra Thessalicos, qui profitebantur se esse methodicos veros, & tamen nullam habebant methodū, qui quidē reducebant omnes indicationes curandi ad duas, ad laxitatē, & strictionē: dicebāt enim morbum procedere aut ex laxitate, aut ex astrictione: si ex astrictione est laxandū membrum: sin autē est laxatū, est astringendū, & sic arguebant

guebāt cōtra Hipp. vt patet 3. therap. quod ars medica est facilis, quia constat tantū ex duabus indicationibus, & quod ipsa addiscitur in sex mensibus: nam dicere aut morbus fit ex laxitate, aut astrictione: si ex laxitate astringendū: si ex astrictione laxandū. ideo in sex verbis potuit addisci tota ars medica, si sic cur cerdones, sutores, & omnes plebeij non curant ad hanc addiscendā? hac de causa Gale. arguit contra illos similiter, qui dicebant si morbus laxus astringendus: quod tamen est falsum, vt 9. therap. vbi de inflāmatione loquitur, conqueritur de istis methodicis: vnde multi reperiūtur hoc tempore mali chirurgi, qui in principio inflammationū applicant anodina calefacientia, quæ sic applicata faciūt incōmoda omnia. quæ sunt in tex. clare possunt intelligi vsq; ad partē illam vbi dicit. QVAE AVTEM EVACVANDA OBSERVARI DEBENT, &c. multi sunt, qui dicunt Galen. in hoc loco nō habere veram artem. dico ego ipsum in hoc libro vti magno artificio, quod nō sic fecit in aliis libris, & hoc patet quantum artificiosus sit in suo processu: vidistis enim quomodo tradiderit nobis indicationes curandi sumptas à causa efficiente, quæ generales erant, &c. vt auertamus, dum fluxio erat in motu: dum autem flu-

xio est in termino, tunc indicatio sumpta à materiali causa, vt expelleremus materiam fluxam, sed hoc non sufficit scire quid agendum sit, sed aliud opus est habere: necesse est etiam vt habeamus alias indicationes quantum, quomodo, vbi, quando sit agendum. ideo Galen. ad particularia applicanda ipsa vniuersalia per analogismum dicit: quæ autem euacuando: ponit autē hæc in principio huius lib. & in therap. magna nūc quoque paucis explicabimus, dicit se velle idē in hoc secūdo, quod in aliis dixit, & hoc causa memoriæ, & ista sunt capita, à quibus sumuntur, quid, quantum, quomodo, cur, &c. de quibus in methodo nostra vniuersali diximus: NVNC MODO ILLA VNIVERSALIA SVNT APPLICANDA PARTICVLARIBVS. Docet alia, &c. & aduertatis, ad hoc proponit octo capita, à quibus sumi dicuntur indicationes particulares, & primum caput est ægritudo, secundum regio, tertiū tempus anni, quartū constitutio anni, an cū caliditate sit, vel frigiditate, &c. quintum est temperatura hominis, sextum est hominis consuetudo, septimū est ægrotantis virtus, octauum est habere speciem morbi: ex his enim octo capitibus habentur indicationes, ita vt nihil deerit, nisi vt accipiatis materiam ad curandum, & ipsemet

ipſemet Gale. hic aggreditur materiam, vt in hac curatione non deficiat in aliquo: dabit enim omnia, quæ exhibenda ſunt, & ſic in his octo habebitis omnia neceſſaria, prçterea ſunt habenda alia quatuor capita: nã eſt habenda ars hominis, mores deinde, poſt quænam ſit eius natura particulariter, vt num poſsit tolerare tale, vel tale medicamentum: propterea quòd quidam reperiuntur huiuſmodi naturæ, quibus ſi daretur agaricus, inciderent ſtatim in ſyncopen, ſic alii ſunt, qui abhorrent caſsiam, alii alia, deniq; conſiderandus eſt ſexus, & ſic erunt in ſonte duodecim, ſed quatuor vltima capita reducuntur ad octo cap. prima, quia ars, & mores reducuntur ad conſuetudinem, ſic & natura particularis ad cõſuetudinem reducitur: erunt enim iſta tria ſub conſuetudine ipſa: ſexus autem proportionatur artibus, & temperaturis. erunt ergo tãtum octo capita, de his quatuor vltimis non differemus, quoniam ea ſubintelliguntur ſub octo primis. octo itaq; erunt pro ipſis indicationibus particularibus: & primum de ætate hominis, quæ tripliciter ſumi poteſt vel dum ætas imperfecta, vel completa, vel defectuoſa: ætas illa, quæ nondum dicitur eſſe perfecta eſt imbecillis, quia nõdum peruenit ad perfectionem ſuam, vt ætas puerorũ: & iſta

faciunt indicationem sumendi medicamenti.& primo quo ad quantitatẽ medicamenti exigit ista ætas, quod medicina sit minor, quam illa, quæ datur in aliis ætatibus: præterea similis ætas non tantũ tollit quantitatem medicamẽti, sed etiã qualitatem ipsorum, & non solũ qualitatem, & quantitatẽ, sed etiam negat sumptionem medicamẽti, quoniã si vultis exhibere alicui puero medicamentũ euacuans, nõ dabitis in ea quantitate, in qua dabitis adulto: postremò quo ad phlebotomiam & si in puero, qui ageret annum vndecimũ cũ laboraret inflammatione, & de necessitate debeat trahi sanguis, est trahendus sanguis, sed tamen illa ætas negat phlebotomiã. & ideo minuitur quandoq; quantitas phlebotomiæ: quandoque etiam tollitur ipsa missio sanguinis secundum quod exigit ætas in ipso puero: quo verò ad ætatem defectuosam, quæ est ætas senilis, ipsa non est imbecillis, sed alio modo dicitur imbecillis quam ętas puerorum, quoniam hæc deficit à sua perfectione, nam in ea exhalauit omne calidum. & ideo imimbecillior est, quam prima, sicque magis minuenda quãtitas medicamentorũ, quam in ætate puerili, & sæpe in totum medicamenta in senectute negantur, vt in sexagenario, nam in tali ætate nullo pacto debent

exhi

exhiberi medicamenta:& si puerilis sit imbecillis,non tamen ita vt ætas senum,quia pueri tendunt ad perfectionẽ,in ætate autem media, quæ est perfecta possunt dari medicamenta omnia,& potest fieri sanguinis missio.patet ergo quantum referunt ad curationem indicationes ab ætate sumptæ, & sic verificatur indicatio,quantũ agẽdum sit ab ætatibus, quia aliquæ ætates concedunt missionẽ sanguinis,& medicamenta: aliæ verò non, imo prohibent: propterea quòd si ætas concedit medicamẽta,& missionem sanguinis dicũtur ista reduci ad vires,quæ sic tolerant. Quare hoc in ætate conceditur ratione viriũ,& quod dicitur de ætate,idem dicitur de regione calida,vel frigida.nã certũ est quod corpora languescunt propter nimiam caliditatẽ:si autem erit frigida regio corpora extinguit,si verò sit corpus robustum,vel debile in hyeme non est euacuandum,nec phlebotomãdum,quia in hyeme fieret corpus rarum,& quãdoq; deficiet temperatura ipsa.ergo nulla est faciẽda euacuatio in regione calida,nec frigida: hoc idem dicatur de tẽperatura calida propinquiori illi,& idem de tẽperatura calida & humida dicatur,quæ omnes intemperaturæ sunt imbecilles,sed vna est imbecillior, & hæc est calida temperatura: vnde

omnes

omnes indicationes, reducuntur ad tolerātiam, & vires ægri: cū ergo indicationes omnes particulares sumantur ab his duobus, vt facit Gale. in lib. de miss. sanguinis à viribus, & à morbi magnitudine: sumūtur enim indicationes ab his duobus. si vires tolerāt, & magnitudo morbi poscat. ideo ista erunt potissima, ad hæc reducentur omnes aliæ: restat modo videre de indicationibus à specie morbi sumptis: etenim si bene consideratis hæc, scietis bene curare: considerare enim speciem morbi nihil aliud est, quam habere & cognoscere naturam morbi, quia quicquid dicit speciem morbi, dicit naturā morbi. ergo omnino est habenda huiusmodi morbi natura, quam si habere velimus, primo quinq; sunt consideranda in cognitione naturæ morbi: primum considerandū est ipsa materia, deinde habenda forma, deinde habenda est ipsa tēperatura, præterea sunt cōsiderandi mores, postremo considerare debemus locū affectum, qui habet rationem subiecti, vel morbi, quibus omnibus recte cognitis habebimus, & eorū indicationes. At dicam primo de materia faciēte inflammationem, supponēdo esse in vno corpore inflammationē, quę habeat materiam in loco inflammato de necessitate, quę quidem materia sanguis est. sed notate, quæ indicat

dicatio ab ipsa materia sumatur:consideremus hanc materiã influenté.in motu,tunc sumitur indicatio quod auertenda sit,si etiã consideremus materiã dum est in termino, & fluxa est,tunc non tantũ sumitur indicatio,quod expellenda sit,sed etiã sumi debet instrumentum,quod repellat causam,quæ est sanguis mittendus est ergo sanguis,qui redundat,& sic fieri debet in hac inflammatione auersio per misionem sanguinis,& sic indicatur instrumẽtum hoc esse necessariũ: quantum verò ad formã morbi indicat talis forma,quod debeat remoueri per sua cõtraria:nam hic est inflammatio:ergo indigemus refrigidantibus,& exiccãtibus,quare exiccantibus?quoniã in ea est humiditas.

Locus erat omissus ibi in tex. Galen. PARTEM VERO INFLAMMATAM PROFVNDERE, ET DELINIRE &c. Hic sunt tria:primo vult,quod inflammationibus applicentur remedia repellentia: secundo euacuantia,non constringentia,& ita discatis artem per rationem, & methodum,oportet videre ne quid intactum relinquatur,quia fuit prætermissum videre,quæ essent indicationes repellendi,euacuandi,aut corroborandi, quandoquidem cum sint tria à variis naturis rerum, ita esse agendum indicatur : nam indicatio

vna indicat rem vnam tantū:ſicuti enim intentio ſimplex, ita etiam oppoſitio ſimplex. quantum ad repulſionē videmus quomodo repulſio ſumatur à materia fluente, quando eſt in termino, quomodo duplici modo capi poteſt, vel non fixa & permanens deuenit tamen ad terminū, licet non quieſcat, dicitur tamen deueniſſe ad terminū, vt qui diſceſsit domum, vel ſcholas, quando eſt ad hoſtium, dicitur eſſe in termino, non tamen ibi fixus manet, nec quieſcit, ſed quærit locum, quo ibi quieſcat, idē dicatur de materia, quæ dicitur eſſe in termino, non tamen adhuc fixa eſt, nec permanēs, aut quieſcens. alio modo poteſt dici materiam eſſe in termino cum ita fixa eſt, vt quieſcat, nec vlteriorem quærat locum, & ſic fit vltima pars illius fluxionis: ſi primo modo capiatur materia, vt eſt in termino, nondū tamen fixa, nec permanens, tūc intenditur nobis repellere: ſe habet enim, vt cauſa tunc materia iſta. cum autē materia in loco eſt: & termino, vt quieſcat, tunc non amplius nobis eſt repellendum, aut auertendū, ſed euacuare talem materiā: tunc enim mere habet rationem materiæ, quæ indicat eſſe euacuandū, licet contra hæc ſit quædam autoritas in quarto de tuenda ſan. vbi loquitur de laſsitudinibus, quādo laſsitudo, vt materiæ ſunt

in po

in porositatibus membrorum nō debemus tunc mittere sanguinē confertim, sed reiterare talem euacuationem, quia si vna vice plurimum mitteretis sanguinē, materia cōtenta in concauitatibus deueniret ad venas, & sic ibi permaneret: vnde iterum mittere sanguinem opus esset, sed si pluribus vicibus facietis hoc non erit illud periculū: hoc enim modo debetis euacuare maximè, quā do humores sunt in venis, si modo cum sint aliqui humores extra venas itidem fieri debet hoc modo euacuando, de hoc dicere nō est locus proprius hic, sed supponitur quod dum materia est in loco quieta, tunc nō est expellenda, nec auertēda: sed euacuanda per ea, quæ faciunt respirationem, sed quia in omni fluxione requiritur imbecillitas mēbri recipientis, quæ quidem imbecillitas venit propter ipsius morbi laxitatem: sunt enim porositates, & cauitates in recipiente, & sic præparatur huiusmodi membrum ad recipiendum: sciatis autē in fluxione quatuor reperiri: primum est membrum mandans & recipiens &c. causa sit in membro recipiēte imbecillitas propter laxitatem pororum, tunc clarum est ad prohibitionē inflammationis futuræ vti vos debere astringentibus, cum autem hanc Gale. velit curare fluxionem tria proponit, quæ tria in in-

flãmatione inueniuntur. est primo humor, qui cum in motu sit, debet repelli: secundo est materia, quæ quiescit, & vt dicunt isti, est quæ facit ægritudinem, & tunc euacuari debet: tertio est locus cõsiderandus, qui corroborandus est, vt nouam recipiat materiã, & sic tria sunt à nobis consideranda. PARTIVM VERO QVAE FLVENTIS HVMORIS VIM HABEANT &c. Ecce indicat, quod adhuc fluit humor: dicere enim influentem humorem adhuc significat præsens tempus: influit enim, quia cũ nondum perfecit in cutim repellendi vim, id est impetũ humoris, nascitur tunc indicatio, quia debet repelli, cum sit in termino, non tamen adhuc quiescat. QVOD VERO IN AFFECTO LOCO &c. non dicit amplius, quod influat, sed quod in loco sit affecto, quia est in facto esse talis humor, & actu facit inflammationem, & debemus euacuare. ROBVR VERO AC VIRTVTES &c. Hoc est tertium, quod debet afferri, robur partibus membri debilitatis: corroborant autem ea, quæ vim habent astringendi. tria ergo consideranda in inflammatione sunt: primum diximus humorem influẽtem, qui debet repelli, sed cum quibus repellemus, vos scietis hoc ex medicina, & etiam ex physica, quia ad physicam consequens est medici

dicina, & vt habetur ab Arist. secundo de sensu & sensa. vbi desinit physicus, ibi incipit medicus. habemus autem ex physica id, quod frigidum est, repellendi vim habere: cum enim frigidum sit constipans, constipando etiam repellit: at frigidum contrarium est calido: calidum frigido contrariatur. Nam calidum dilatat, dilatando attrahit: frigidum repellit constipando, calidum attrahit dilatando. Quare cum volumus repellere, vtamur frigidis, ad hæc enim recurrere necessarium est, cum frigida solum repercutiant, non alia, quia alia relaxant, attraherent, vel resoluerent. oportet vos scire vires vniuscuiusq; qualitatis, & non tantum à physica, sed etiam à Galeno in lib. de simpli. medic. & in nostra methodo declarata sunt. cum enim scieritis frigida repellere, calida attrahere: si repellere vultis, quæ frigida sunt eligenda: si attrahere calida: & hæc est prima intentio operandi, quæ sumitur à materia, dum in termino est, sed adhuc tamen fluit: si autem materia sit in termino sic fixa, vt quiescat, nec amplius fluat, tunc, vt diximus, materia fluxa in loco permanens euacuanda est. Et cum quibus euacuabimus? scitis ex Galeno in secundo de inæquali intemperie: & in lib. de tumo. prę ter naturam, quod quãdo sanguis fluit, fluit

ex maioribus ad minores venas,& facit tumorem,& excalefacit. ex calefactione autẽ, & extensione materiæ excitatur dolor,qui fit alteratio in qualitatibus,quæ duæ causæ doloris occurrunt,euacuanda est,cum quibus?cũ his,quæ faciunt euaporare materiã existentem in loco,quãdo contenta materia in loco quiescit,& causat inflammationem,tũc non est repellenda,sed euacuanda, sed cum quibus?calefacientibus, & humectantibus.& quare cũ calefacientibus manifestum est,quia ad hoc quod fiat euaporatio materiæ euacuandæ hæc sunt necessaria,& maxime cum his,quæ attenuant materiam,sed quare dicit Galenus cũ calidis & humidis?sic dicit,quoniam si nimiũ essent calida & sicca,calor esset nimis acris,& sic nimis calefaceret,& attraheret:vnde maior fieret inflammatio. opus itaq; est,vt sit calor moderatus:calor autem moderatus erit cum calida & humida adhibueritis : in his enim moderatè se habet calor, talia enim calida & humida se habent sine mordicatione,& attractione. videtis ergo quomodo ex natura rei habemus calida cum humidis applicanda esse,quoniã in his calor est moderatus, nec attrahit,nec mordicat, quod esset si calida & sicca applicarentur:talia inquam calida,& humida conferunt ad euacuan

cuan

euandam materiam,quæ iam in loco fixa est:quantum ad tertiam partem per corroborationem loci:debetis aduertere,quæ habent vim corroborandi,& constringendi,sicuti sunt habentia acerbitatem,& stipticitatem:sed quæ sunt tenuis substantiæ relaxant,& sunt humida & sicca,ac acerba constringunt, vt in libro de simpli.medic.habuimus.his itaque siccis, & acerbis indigemus vim habentibus cōstringēdi,& roborandi.huiusmodi tria faciemus in inflammationibus: primo repellere, deinde euacuare materiam in loco cōtentam,post confortare,& corroborare membrum:cum quibus autem instrumentis, iam vidistis: istæ sunt indicationes vniuersales,quæ habent sua loca,vnde oriuntur:sed nos heri fecimus catalogum omnium partium, quæ deducunt in cognitionem non tātum quid agendum sit,sed etiam quātum sumpta indicatione ab ætate, tempore anni,& reliquis omnibus:cum ista reducuntur ad vnū primum, nempe ad vires ægri.vires enim ægri faciunt limitationes nouas.vires sunt, quæ indicant quantum agendum,& quandoq; non agendum.quid indicat maxima imbecillitas virium? vel leuiter esse agendum.diximus enim supra, quod respicere semper debemus ad vires ægrotantis,etsi nō

possumus agere cum æqualib. in gradu, agemus cum æqualibus in mole: si nec cum æqualibus in mole, agemus tunc multiplicādo vices, de quibus satis superius diximus in cura tertianæ feb. quantum ad consuetudinem cum suis annexis indicatur quomodo agēdum, vt si quis sit delicatus, qui in vita sua nullam vnc. acceperit medicamenti, tamen talis sit euacuādus, tunc debetis medicinas eligere benignas. si sit vir fortis, robustus, non deliciosus, multáq; sit assuetus accipere medicamenta, tunc talia debentur medicamenta, quæ acria sint admodum, ab assuetudine etiam mutatur indicatio operandi sic à natura ægri, & morbi: si enim quisquis abominetur omnia medicamenta fœtentia, & nullo modo possit pati talem odoré, tunc si debēt dari medicamēta, commutabimus ea miscēdo odores. si ergo ideo miscetis parumper alterando talia medicamenta, dūmodo indulgeatis ægro, præterea si sit quis, qui nullo modo possit pati medicinas, & tamen necesse sit adhibere eas, quid tunc agendū? si nō poteritis dare medicinas, quæ bibantur, mutetis illas, & detis in pillulis: hæ enim indicationes sumuntur à natura ægri, à consuetudine, à viribus, vltimo consideranda est morbi species: hoc autem multipliciter consideratur, vel enim consideratur

ſideratur ſecundum materiã, vel ſecundum formam, vel ſecundum tempora, vel ſecundum motum celerem, & tardum, vel ſecundum locum affectum. ſecundum materiam quidem ſupra dixi cõſiderari poſſe duplici modo, vel prout fluit materia, non pro ratione fluoris, ſed ratione materiæ, vt quando fluit ſanguis: aut conſideramus motum, vel materiam fluentem: ſi motum, tunc indicatur talem humorem eſſe auertendũ: ſin autem conſideramus vt materiam fluẽtem, tunc ſi ſanguis eſt auertemus cum miſsione ſanguinis, ſi bilis cum auerſione. ſin autẽ conſideremus materiam, vt fluxa eſt tunc, vt diximus anteà, indicatur nos euacuatione indigere. ſi formam conſideretis morbi, ſcitis hanc eſſe caliditatem præter naturam: ſi ſic cum refrigerantibus, & humectantibus eſt occurrendum, ſic ſi extenſio ſit, aut tumor remoueatur ſemper cum oppoſitis euacuando. Quod ad tempora morbi, tunc dico habere duplicem conſiderationem, vel conſideratur vt humor fluens, vel vt materia fluxa: ſi ratione humoris fluentis ad locum, tunc ſunt quatuor tempora: primum appellant principium, quando materia fluit, & multum iſtius eſt in termino à quo, minimum verò in termino ad quem. ſecũdum tempus dicitur augmentum, & eſt quando

in termino ad quem satis materiæ, plus tamen adhuc in termino à quo: quando verò plus est materię in termino ad quem, minimum verò in termino à quo, tũc dicitur status: quod si nihil materiæ sit in termino à quo, totum autem sit in termino ad quem, tunc est quartum tempus declinatio: sed cum ab his quatuor temporibus indicationes operandi sumamus, si sit inflammatio, & sitis in principio, ita vt plurimum materiæ sit in termino à quo, minimum verò in termino ad quem, tũc occurritis cum propellentibus. propellentia autem talia erunt frigida, quæ prohibebunt, ne materia fluat: & sic dixit primum tempus inflammationis primo conuenit repulsio: quando est materia satis insignis in termino ad quem, plúsque de ea sit in termino ad quem, & fiat tumor in cute, tunc vtemur repellentibus, sed non solis propter materiam fluentem hisce vti debemus, sed quia materia fluxa est satis notabilis, & est in termino ad quẽ, tunc danda sunt euacuantia, & sic rationẽ huius materiæ fluxæ miscebimus calida, & humida, vt quod fluxum est materiæ euacuetur. mistis ergo his frigidis repellentibus cum euacuantibus calidis, & humidis, tunc repellemus humorem fluẽtem, etiam euacuamus, qui est in loco, quando sumus

in statu vbi plus est de materia in termino ad quem, quam in termino à quo, tunc occurrendum cum maximam vim habentibus euacuandi, & his, quæ vim minimam obtinent repellendi, quãdo minimus & paucus est humor est in termino à quo: tota enim ferè intentio est ad euacuantia, quæ calida sunt, & euaporantia: quando verò institutio erit in declinatione, ita vt nihil sit in termino à quo, tota ferè intentio ad euacuantia, quæ calida & humida sunt, & euaporantia, quando verò inflammatio fuerit in declinatione, quia non est opus hic his, cum nulla sit materia, quæ fluat, sed tota fluxa sit, & istæ sunt indicationes, quæ sumuntur à quatuor temporibus morbi, sed videatis modo, quæ indicationes sumuntur à moribus inflãmationis: sciatis mores sumi ab accidẽtibus ipsis: accidẽtia enim sunt quæ faciunt ægritudinem bonorũ, vel malorum morum, sicut & hodie non morigeratos vocamus ex ipsorum operibus malis, sic in inflammationibus solent accidere, & contingere accidẽtia, quæ faciunt huiusmodi inflammationem, sed quæ sunt huiusmodi accidẽtia? primum dolor vehemens: hoc enim est proprium inflammationũ. & quare? iam aliàs ostẽdimus duas esse causas doloris, alteratione à qualitatibus, & solutio-

 nem

nem continui, contra quosdam, & maximè Curtium solam continuitatis solutionem causam doloris esse afferentẽ: secundum est ipsa syncopa, quæ tamẽ raro contingit: hæc duo sunt, quæ inflammationem sequuntur, sed quæ sunt huiusmodi accidẽtia? primum dolor vehemens &c. hæc duo sunt, quæ inflammationem faciunt malorum morum, si absit dolor, iam patet cum his, quæ supra diximus esse procedendum, sed si sit maximus hic dolor in inflammatione, quid tunc agendum, & quibus vti debemus? si volumus vti repellentibus, quæ sunt frigida cõstringemus, & constipabimus, & sic augebitur dolor, duæ enim sunt causæ doloris, vt habetis secundo de ratione victus solutio continui & alteratio à qualitatibus, hic augebitur calor ex constipãtibus, & sic dolor: certum est in inflammatione adesse alterationem à qualitatibus, & calefactionẽ præter naturã in corpore, præsentiáq; materiæ constipatæ, cum hæc sint nemini dubium si debet tolli dolor, oportet nos tũc euacuare, sed id repellentibus minimè assequemur, cum sint frigida, imò nocua, vt declarauimus, quoniam constipant: si verò cum calefacientibus & humectantibus transpirationem facere voluerimus, nihil hoc quidẽ deterius erit, quia si talia adhibueritis, proculdubio

dubio rarefacietis locum, vt sit apertũ euaporationi, & euacuabitis aliquid materiæ, & aliquid subsidij vos ægro dedisse videbimini, & pauco tempore id durat, & tantũ in principio: at deinde vehemẽtior euadit dolor, quoniã augetur calor præter naturam, inflammatio augetur in loco inflammato, materia continue fluens, & sic quamuis aliquãdo in principio sedasse dolorem, & subleuasse videmini, post tamen maius sequitur nocumentum. quid ergo agendum? & quibus vti debemus, vbi adsit talis dolor vehemens? præcipit Auicenna in quarta parte quod sumpsit à Galeno, & Hippoc. vbi volumus euacuare, dolorem prius sedare debemus, quoniam dicit Auicenna vbi dolor est, ibi est attractio, & quanto maior dolor, tanto maior attractio: non ergo euacuandum est attrahente dolore. sed notate, dicũt quod dicit Auicenna non esse absolute verum: siquidem materiæ multę sunt, quæ faciunt dolorẽ, si non euacuantur. ideo melius esset si auerteremus, vbi est dolor, sed hic est dolor, & volumus curare, non possumus nec auertere, quoniam nõ potest sedari dolor, necessariũ cũ repellẽtibus sedari debet: quia vt, diximus, cõstipãt, & dolor augetur, nec calidis id possumus assequi, quia idem operarent. quid ergo agendũ in re tã ardua?

estote

estote attenti, & bene aduertite, quoniam vobis satisfaciam: Hipp. secundo de ratione victus, in quo multi turpiter lapsi sunt non intelligentes, quid imperator intelligat, dicit pleurisis est inflammatio in membrana succingente costas, & cum dolore pũgitiuo in tali inflammatione cum dolore pungitiuo nos applicare debemus in principio fomẽta ante quam fiat aliquid: si verò inquit fomenta non proderunt, deueniẽdum est ad euacuationem, & si dolor ad furculas ascenderit, tunc missio sanguinis fiat ab eodẽ latere, vbi dolor est, & sic tentauit sedare dolorem, & vult etiam vos tentare in principio. certum est si materia est pauca, quæ fluat, & plurima, quæ fluxa sit fomenta admodum esse vtilia, & debent adhiberi, sed quod impedit nos est materia multa fluens. dubium itaq; in principio est, an sit materia multa fluens, & fluxa adhibemus fomẽta, & si non multa est materia fluens, tolitur dolor cum fomentis, & curabitis: sed quando tunc erit materia multa fluens non sedabitur dolor, sed potius in dies augebitur: cum autem augeatur dolor cum missione sanguinis est occurrendum, sed hic notate oportet vti distinctione, propterea quòd inflammatio potest esse cum dolore aut paruo, aut maximo: si cum paruo dolore debetis facere

auersionem, trahentes materiam magis ad longinquum:& quanto magis à longinquo fiet auersio, tanto magis etiam sedabitur dolor:hoc perpetuo verum est,dolore pauco existente cum auersione occurrendum. sit enim quis, qui inflammationem patiatur in brachio, & cum paruo dolore, tunc debemus auertere materiã ex supernis partibus ad infernas ad pedes materiam attrahendo:si autẽ materia talis sit in pede, mittes sanguinem ex supernis partibus, secta cubiti vena vel in terna,vel media,& quare sic?id patet, quia non habemus membrum nobile affectum, nec habemus causam vrgentem dolorem maximum, quoniam hic supposuimus paruum esse dolorem,& propter hæc tunc semper inflammatione existente paruo dolore vtimur auersione. At si dolor sit maximus in inflammatione, quid tunc agendũ?est ne facienda auersio?nequaquã: hic enim non tantũ reuulsione,sed etiã euacuatione indigemus.ideo eligimus mediũ:duæ enim sunt species missionis sanguinis vel reuellimus, vel deriuamus. si vultis reuellere,locũ eligatis longinquum, si deriuare propè,sed quando vtrunq; vultis, eligatis medium,hic eligendus est cum dolor vrget:nam dicit Hipp. quando non sedatur dolor lateris per fomenta,accedatis ad missionem

sionem sanguinis secando venam internam eiusdem lateris.& quare sic? quia vrget res. est enim dolor acutissimus: si deinde est locus inflãmationis nobilissimus prope cor, tunc non valet reuulsio simplicissima, quia remedium vel nullum erit, vel tardum: propterea quia à lõginquo succurritis, nec deriuatio, quę fit à loco propinquo prope cor vbi dolor. locum itaq; medium eligatis. venam cubiti internã: nec enim locus est admodum longinquus, nec propinquus, & sic deriuabimus, & reuellemus. quod autem id multi, & doctissimus Hippocr. & Gale. voluerunt, videatis ipsum in tertio de ratione victus in acutis, vbi loquitur Hipp.& Gal. in commento dolore existente maximo debet mitti sanguis vsque ad mutationem. si crassus exit in principio, exeat tandem lucidus, hoc est remedium sedandi dolorem. si materia causa est doloris faciẽs extensionẽ, & est calefactio, certum est si euacuatis materiam, tunc etiam inflammatio cessabit: & dolor consequenter: remota enim causa remouetur effectus. Quare vbi dolor nõ obedit fomentis ad missionem sanguinis accedẽdum est: cuius cum duæ sint species principales, vt diximus, reuulsio, quę fit à lõginquo, & deriuatio quæ à propinquo, & nulla harum per se commoda sit, mediũ eligimus internam

internam venam cubiti ſecando:euacuabimus enim materiam à loco affecto,& ſic eſt agendum, vbi dolor infeſtat, repellentibus minime vti debemus,nec relaxantibus, nec calefacientibus, vt malè iſti faciebant, propterea quòd augebitur dolor. ad euacuationem ergo,quæ fit per reuulſionem, & deriuationem accedendum,quæ fit à medio loco vena cubiti interna ſecta, & adhuc habemus, quod ſi fit inflammatio exterior paruo cum dolore debemus vti auerſione,ſi autem fit maximus dolor in inflammatione tunc nos agere debemus ſicuti dicit Hip. in pleuritide:vbi enim dolor notabilis fit, aut cum eſt in loco nobili modo ſemper cum miſsione ſanguinis occurrendum,euacuando,vt diximus,non per ſimplicem reuulſionem,nec per ſimplicem deriuationem, ſed vtrunq; cõplectendo,& euacuare per reuulſionem & deriuationẽ:hoc autem fit, vt ſæpe diximus vena interna ſecta,& ſic eſt progreſſus,qui habendus eſt in inflammatione cum paruo dolore,qui quidẽ dolor accidẽs eſt vnum faciens ægritudinem malorũ morum, ſecũdum accidens eſt ſyncopa, ſed hic oportet videre,ſi occurrere velimus, quænã ſit eius cauſa,quia variis modis poteſt contingere ſyncopa ſecũdum varias materias, à quibus fit.materia autẽ fluit ad ventriculum,&

lum,& est aut pituita,aut atra bilis,aut flaua.vnde quandoque repellentibus,quandoque euacuantibus,aut reprimẽtibus occurrendum est. Indicationes autem quę sumuntur à loco affecto licet sint septem loca vt supra,sumuntur aut à substantia membri,aut à temperatura, vel vt in superficie, vel vt in profundo:&sic de cęteris,nihilominus cum Galen.non agat hic de his, sed infra, & nos de his agere differemus. Dico de indicatione,quæ sumitur de loco affecto,quia si in supernis partibus inflãmatio fuerit, tunc minuendus sanguis est in internis,& sic contra. si enim inflãmatio est in brachio fiat auersio,& mittatur sanguis à pede.fit autẽ auersio, quoniam non est dolor notabilis: si in pede sit inflammatio, vel in genu ex supernis partibus mittatur sanguis: videamus casum à Galeno positum de inflammatione à sanguine puro. CONFLVAT IN GENV HVMOR &c. ponit casum Galen. VBI VERO VNIVERSVM CORPVS SANGVIS &c. notate his suppositis patet inflammationem fieri in parte exteriori cum dicat Galen. confluat humor in genu: scitis præterea inflammatio à sanguine fit, cum hoc ita fit. quantum attinet ad indicationes ægritudinis scitis vos debere facere auersionem,sed cum sit sanguis peccans debetis

betis mittere sanguinē. VBI VERO VNIVERSVM CORPVS, &c. habemus mittendum esse sanguinem, sed quantitatem nondum: sumitur autem quantitas mittendi sanguinem à viribus, & à quantitate materiæ. hic ergo copiosam sanguinis missionem fieri debere habemus. QVONIAM EST CORPVS SANGVINE PLENVM, VALIDAEQVE AEGROTANTIS VIRES, &c. non sufficit sumere indicationem quantitatis euacuandi à quantitate materiæ, sed præcipuè vires oportet considerare, additq; præterea talia verba, VALIDAEQVE VIRES, &c. Quæ indicant quātum agendum, anni tempus, aër, regio, temperatura, &c. hæc etiam indicant fieri debere euacuationem, ADOLECENSQVE VEL IVVENIS FIT AEGER, &c. Hæc indicant etiam vires adesse. ex his itaque habemus fieri debere sanguinis missionem copiosam. cum ergo in genu confluat humor debet fieri auersio ex supernis partibus, & trahenda est materia ad oppositum, & hæc indicatio vltima sumitur ex situ partium secta cubiti vel terna, vel media vena, vt ait Galen. sed hic cadit dubitatio: dicet quispiam: ecce Galen. in inflammatione facit missionem sanguinis à longinquo: ergo non est verum, quod dixisti in

pleuritide fieri debere euacuationem à vena cubiti interna eiusdẽ lateris? soluta est dubitatio: nam diximus inflammationem fieri in parte extima, & in casu Galen. non adsit notabilis dolor impressus in notabili loco, nobilissimóq; membro, tunc debetis facere auersionem à longinquo trahendo materiam, ac euacuãdo per missionem sanguinis: at si sit in parte interna, & dolor sit vehementissimus, vt in pleuritide: tunc non sic, sed mittẽdus à vena cubiti interna: medium enim locũ eligentes & deriuabimus, & reuellemus: sed, vt iam patet, casus positus à Galeno est, quod sit affectus in parte extima, & paucus dolor. ideo tunc commodè semper mittendus est sanguis à longinquo, quemadmodum hic facit Galen. ergo nihil valet expositio facta, quia in pleuritide est inflãmatio in parte interna cum maximo dolore, cum sit in loco nobilissimo: si autem scire desideratis, quæ sint partes extimæ, & internæ: declarauit Galen. in lib. de missione sanguinis, vbi habet, quod renes sunt termini distinguentes interiores partes: vnde rectè dicit, si inflãmatio sit in renibus, huic duplici modo possumus occurrere, vel vt occurrimus inflammationibus, quæ sunt in partibus intimis, vel vt his, quæ sunt in partibus extimis: quomodo occur

occurremus? iam patet: si enim inflammatio sit in hepate feriatur vena cubiti media. sic si pulmo sit affectus, mittatur sanguis ab interiori, quoniam euacuatio debet fieri à propinquo, & sic faciendo reuelletis, & deriuabitis. quoniã medium eligetis locum: nunquam enim incommodę fluxionis impetum in contrarium, quãdo triplex est inflãmatio & in parte extrema & quæ suprà, id semper verum in reuulsione simplici cum trahitur semper, retrahitur materia, quod si præter reuulsionem indigemus deriuatione, tunc nec derinatione per se, nec reuulsione indigemus, nec vtemur remedio, & hoc est vbi inflammatio est in partibus interioribus, rectè autem Galen. inquit in contrarium sic id puto propter Hippo. qui vult, vt fiat euacuatio secundum rectitudinem, quæ dicitur καθ' ἰξὶν: vnde Hippocr. in Aphor. dicit dolenti parte capitis posteriore vena incisa in fronte prodest, & sic ex opposito, si doleat pars capitis anterior à posteriori vena incisa proderit: ratio est, quoniã fit melior attractio per lineam rectam, quam per obliquam, vt patet quoq; mathemathice. ET SI cõfluat in genu humor, &c. Quoniã proposuimus omnes indicationes curãdi, & vnde sumãtur, quo possimus curare inflãmationes proposito iam

casu à Galeno cuiusdã iuuenis patientis inflammationẽ, ne frustra hæc à nobis cõsiderata videantur, & ex meo fuisse ficta capite, videndum est nunquid Gal. vtatur remediis, & methodo eadẽ, qua nos procedimus, hæc sunt pensitanda & consideranda, vt magis arti cõfidatis, quam vobis. sciuistis indicationes, quæ indicant quid agendũ, sumi à natura morbi, quæ quidẽ natura consideratur ex suis causis: quarũ quædam erat efficiens & præcipua, vna erat intrinseca, duæ intrinsecæ, vidimus etiã quod est incipiendum à causa efficiente, quia sine eius remotione nõ possumus remouere morbum, videlicet materiam & formã: præterea quomodo sumatur quantum agendum, & quæ sequuntur ab aliis cõditionibus enumeratis, ætate, tempore anni, regione, & viribus etiam ægrotantis, &c. sed videte, an Gale. in hoc casu caute procedat, atque, quæcunque diximus, intendat in virtute, vidistis in consideratione causæ efficientis, quæ est fluxio, duplicem esse considerationem, vt supra patuit: sunt ergo duæ indicationes à causa efficiente, vt in via fluxio est, tunc facienda est auersio, vel reuulsio: cum autem in termino est, non tamen quieta repulsio. à materia etiã duplex accipitur indicatio. EST MATERIA SANGVINIS FLVENS, &c.

Omnia hæc suprà dicta sunt: si calor est feruórve debet refrigerari: tumor autem si est, cum suis oppositis semper occurrendum na scitur indicatio, quod si debet molliri tumor, considerando semper sub ratione formæ, si cōsideratur quatenus mutat sitũ, vel dolor, vel solutio cōtinui cum appositis remoueri. sed videamus, si Galen. in tex. procedit sicuti diximus: & aduertatis initium ponẽdo causam sumitur à causa efficiēte, dicit ergo cōfluit in genu humor, supponit fluere, si consuluit, ergo capitur fluxio prout est in via, vt habet ratione causæ efficiētis: denotat enim tẽpus præsens. quãdo verò dicit ATQVE REPENTE, &c. Intelligit fluxionem prout est in termino, & denotat velocitatẽ tẽporis in ea, cũ dicat, VEHEMENTER INTVMESCIT, &c. Intelligit materiam istam fluxã, & quietam in loco: tertio quod dicit in fluxione breu. quando materia est in via, & quãdo in termino, & quando in loco quieta: si verò supponat ex hac materia sequi tumorem, & calorem præter naturam, in his ostedit causas etiam, sic paucis totam inflammationis naturã osten dit, mirum profectò artificium. his autem omnibus debentur curationes, siquidem si fluxio capitur, vt in via est, dũ materia fluit illi debetur auersio, vt in termino, non tamen

men quieta, tunc indicatur vos repulsione indigere, si vt loco fixa euacuatione. HVIC SANGVINEM EX SVPERNIS PARTIBVS, &c. Indicationem dat, vt auersione vtamur quoniam adhuc materia est in via, & est fluxio, MITTENDVSQVE SANGVIS EST, EX SVPERNIS, &c. DVM IBI VERO CORPVS, &c. Præsupponit sanguinem peccare. BREVIVS AVTEM REPETAMVS. Dicta si accipiatur materia, vt in via, QVAE SVPRA OMNIA, &c. CATAPLASMATA VERO, &c. Proponit cataplasmata & facit tria repulsionẽ, euacuationem, & roborationem, cum suprà fecerit auersionem sumpta indicatione à materia existente in termino, nondum affixa, sed ex materia fluente, & dum est in via mittit sanguinem ex supernis, &c. facit quidem repulsionem sumpta indicatione à materia existente in termino nondum tamen quieta, sic patet differentia ex Galeno, quid agendum quando materia fluens, &c. altera indiget auersione, altera repulsione, vt in tex. RETRAHIT ENIM QVOD FLVIT, dum verò addit, ET QVOD CONTINET EXICCAT, &c. Exponitur secunda indicatio: tale enim medicamentum, vt cataplasmata præter hoc, quod retrahat, & repellat, euacuat etiam, & exiccat

exiccat materiam in membro affecto contentam,& tumorem tollit. tertiam dat indicationem dicens, & circũstantes partes confirmat: à laxitate membri recipientis sumitur talis indicatio, cum ita sit laxitas in tali membro propter illud recipiat, tunc operepretium est, vt corroboretur, ne sit sic aptum fluxioni, hæc tria requiruntur, ac Galenus cataplasmata facit, quo tria necessaria assequatur: tale enim medicamentum retrahit materiam, quę in termino certa est, adhuc tamen non quiescit, sed est in motu, euacuat etiam materiã ipsam quietam contentã in loco: exiccando enim euacuat, corroborat etiam partes laxas astringẽdo: habet etiam in astrictiuam huiusmodi medicamentum, vt videbimus, & sic videtis, quæcunque dximus ex Galeno excerpta omnia, ipse dicit sic: & quo ad indicationẽ quæ sumitur à forma morbi, quæ est caliditas præter naturam habet, quod est refrigerandum, sed id etiam efficit tale medicamentum. omnes ergo habet indicationes ad hoc quid agendum sit in inflãmatione, vt si opus sit auersione, repellere, euacuare, & corroborare, de quibus etiam post inueniemus. Cæterum quoniam non tantum quid agendũ sufficit nobis in curatione, sed etiam quantum, & quæ sequuntur necesse

est scire: ideo de his agamus, quo ad ipsum quantum agendum sit, quid est, quod nobis indicet vires ægri, atq; multitudo materiæ peccantis, & virium fortitudo, tunc non tantum nobis indicatur quid agendũ, & quantum agendũ sit, sed plurimum etiam agendum esse, vt hic patet cum dicit Gal. corpus &c. redundat excrementis. ergo indiget copiosa euacuatione: cæterũ quia etsi sit multitudo materiæ peccantis, non tamen ob id arguẽdum copiosam esse faciendã missionem sanguinis, quia si vires non sufficerent id nõ ageretur: IDEO SVBDIT, VALIDAE AEGROTANTIS VIRES, &c. Anni tempus, aër, & sunt correspondentia isti indicationi, quantum sit agendum: si enim validæ vires, & multitudo materiæ, & hyems, aut calor magnus, id minus cõcederetur copiosa sanguinis missio, quoniam sub cane, & ante canem difficiles sunt medicinæ, ET REGIO MODICE TEMPERATA, &c. Vnde & si sit ver, tamen esset regio calidissima propter hoc sanguinis missio copiosa impediretur: dicit ergo regio, &c. adolescens, vel iuuenis, omnia hæc requiruntur, si debet fieri talis missio sanguinis, quam diximus: si autẽ essent omnia supra dicta, esset autẽ senex, aut puer æger, non concederetur, vt tam copiose mitteretur

tur sanguis. vnde autem sumatur indicatio quomodo agendum sit id suprà à nobis dictum est, sumitur quidē ab ægrotantis moribus, à consuetudine, ac etiam à moribus ægritudinis, sed quia Gale. præsupponit talem inflammationē cum paruo dolore, nec de hoc curat cum subiectū non sit aptū, sic etiam nos silentio præteribimus declarare inflammationē esse cum paruo dolore, nec de hoc hic curat. quantum verò attinet ad quantum agendum dicit fluxionē auertendam esse: cum fluit, cunque est in principio diximus suprà, & declarauimus quatuor esse morbi tempora: in ipso autem principio auersionē fieri ostendimus, quoniā minimū de materia est in termino ad quem. influente ergo materia tunc indicatur tempus auertendi, sed vnde fit talis auersio? sumitur talis indicatio a situ, vt Gal. exemplū de genu posuit ex superioribus partibus, &c. si in brachio sit inflāmatio, fit auersio & mittitur sanguis ex pedibus, & ita indicatio vbi agendum à situ sumitur, vbi sit ægritudo cum sumus in principio, & auertenda est materia, & trahenda ad loca opposita, NVNQVID ENIM, &c. Dat modo vniuersale documentū, scilicet semper commode fieri humoris fluentis retractionē in contrarium per loca maximè opposita: hic

locus plurimis fecit difficultatem, quoniã multi dicunt non debere mitti sanguinem à propinquo in inflammatione, nec in pleuritide, imò à longinquo: siquidem vident Gal. vniuersalem, & in quocunque tempore veram esse regulã dictam: NVNQVAM INCOMMODE, &c. Semper debet fieri missio sanguinis à longinquo, quia propositio est vniuersalis dicunt: dico verum esse hanc propositionẽ vniuersalem veram vniuersaliter, & sic tenẽda est, dummodo exponatur eo modo, quo debet exponi, & dent bonum sensum, sed peruertunt isti sensum, nec intellectum verborum intelligunt: vera est vniuersaliter eo modo, quo modo à Galeno ponitur. inflammatio paruo cum dolore, nec in loco nobili, & sit non malorum morũ tunc habet locum regula Gale. vniuersalis, quod nunquã incommode fluxionis impetus in contrarium retrahitur, quodque hoc modo intelligat Gal. in text. patet cum dicit in fine, huiusmodi verò remediis vtendum, vbi dolor vehemens non sit, intendit ergo Gal. hanc propositionẽ nõ existente multo dolore, & sic vera est. at si sit dolor vehemẽs, & in loco præstãtissimo, vt in hepate, in pulmone, aut membrana, quæ proxima cordi est succingẽs cor, tunc à non longinquo fieri debet missio sanguinis, nec

vtendum auersione,sed in principio mittendus sanguis:imò vt suprà,etiam dixi,in curatione facienda reuulsio cum deriuatione, sed deriuatio non poteſt fieri venam à longinquo feriendo, sed fit à propinquo. vnde reuulsionem cum deriuatione facere volentibus satius erit eligere medium, & secare venam cubiti mediam, interiectámq;:tunc enim nec fit missio sanguinis à propinquo, nec à longinquo:sed à medio loco: eſt autẽ cõueniens diſtantia. euacuatio non esse debet vsque ad mutationem sanguinis, vt dicit Hipp. & Gal. in secundo regi. vt cognoscatis materiã euacuatã: semper enim verũ eſt, quod vbi simpliciter fieri debet reuulsio, vt fiat à longinquo:auertenda enim materia hoc modo eſt, sed vbi miſta reuulsio eſt cum deriuatione, tunc ad longinquum non eſt trahendũ:sed ad medium locum, & ita nihil habent iſti cõtra eos,qui dicunt ab eodem latere faciendam esse sanguinis missionem in pleuritide: quoniam tunc dolor eſt maximus in tali inflammatione,& eſt in membro propinquo cordi, sed in casu posito à Gal. & qui suprà, & cum fluit sanguis, licet nos vti auersione.& id semper vniuersaliter verum:habetis hactenus quid agendum:quid modo deeſt ad operationẽ,nisi vt habeamus conuenientem materiam. scitis

autem vos quandoq; debere auertere materiam, aut repellere, aut euacuare, & roborare partes laxiores mēbri recipientis, sed cū quibus hæc facietis? hæc nunc sunt quærenda remedia, his nunc opus est: sed volo vobis dare modum, & methodū remediorum, quò facilius remediis abundare possitis. quantū sit de auersione omnibus manifestū est esse cum sanguinis missione, de hac nihil vlterius mētionem faciemus, cum id potius spectet ad chirurgum, & sit opus ferro: sed quo ad repellentia, euacuantia, & roborantia, qualia, & quæ sint scire debetis. remediorum itaq; talium nūc vobis tradere materiā per methodū volumus: attendite quæso, nos in inflammationibus quidem materiam, quæ est in termino, nondum tamen quieta, repellere debemus: sed quæ sunt repellentia? frigida vt diximus, ergo frigida pro repulsione eligenda sunt. frigidis itaq; in repulsione occurrendum medicamētis, & si nihil aliud esset cōsiderādum, nullus esset labor, nisi accedere ad libros, qui docēt, quę sint materiæ frigidæ in primo, secundo, & tertio gradu, & est liber Gal. qui de simplic. medic. inscribitur, & alius liber nuper impressus, vbi sunt omnia aggregata remedia, declarantur omnia simplicia, & quas habēt vires aut calefaciendi, aut incidendi, aut ab-

ſtergendi,aut aſtringendi,aut euacuandi,& gradus eorum,vt ſi calida,vel frigida,humida,vel ſicca:ſi in primo,aut in ſecundo,aut tertio,aut quarto gradu aggregata ſunt omnia remedia conferentia ad omnes ægritudines,& per alphabetum diſtincta.dicitur autem aggregator ille author de dundis, quo cũ diſputauimus , cæterum aliud ſcire eſt neceſſarium,vt modũ,menſurámq; applicandorum.quantũ itaq; ad repulſionem materiæ medicamẽtis vti debet refrigerantibus : ſed quoniam vultis etiam euacuare ſumpta indicatione à materia exiſtente in loco operepretium eſt eligere medicamenta euacuantia.dicit ergo medicamẽta euacuantia,vel inſtrumenta poſſe eſſe duplicia, non loquor autẽ de ſcarificatione,quoniam chirurgi proprium eſt munus:vel enim euacuare poteritis cum calidis & humidis rarefaciendo,euaporãdoq;,vel cum calidis & ſiccis,calidis enim exiccabimus materiam humidam,vt fiat tranſpiratio:rarefit enim locus:& ſiccis,idcirco vtimur,vt euacuetur materia,& exiccetur à loco : exugunt enim humidũ illud,& ſic qualitates ſingulæ proprias faciunt virtutes,calidum calefacit per ſe,& exiccat:licet etiã frigidum quãdoq; calefaciat,ſed illud eſt per accidens.duplicia itaq; habemus inſtrumẽta,quibus euacuare poſſum

possumus, sunt autẽ calefacientia, & humectantia, & calefacientia & exiccantia, stante fluxione non possumus per calida, & humida euacuare, quia tunc mala sequerẽtur incommoda: si enim miscuerimus calida & humida, tunc frigum, quod debet repellere materiam in loco nõ quietam reprimetur, represso autem frigido prima cessabit intentio, quia nõ repellemus: prima enim intentio nostra est materiam in loco, & in termino existentem, nondum tamẽ quietã repellere. repellentia autem frigida sunt, si cũ his talia calida, & humida miscuerimus, calida temperabunt frigida: item cessat & secunda intentio nostra, quæ erat corroborare membrum recipiens, quod sua laxitate magis aptum erat materiã recipere: corroborantia autem sunt astringentia. at calida & humida relaxãt membrum, & sic talibus his mistionibus tollentur intentiones duæ, & augebitur inflammatio: quia membrum magis erit aptum sua laxitate materiam facientem inflammationẽ recipere. relinquitur ergo cum calefactionibus & humectationibus nullo modo materiam posse euacuari: quid ergo faciendũ? à sufficienti partium enumeratione, relinquitur, si nõ possumus calidis & humidis vti propter incõmoda dicta, quæ sequerentur, accipiamus exiccantia.

cantia.frigidis ergo & ficcis vtemur:frigidis quidem,vt fiat repulfio,ficcis autem vt materia in loco quieta euacuetur.frigidis itaq;,& ficcis in repulfione,& euacuatione vtendum eft:fed quia locus eft corroborandus etiã alia adhibenda funt:hoc autem fiet cum corroborãtibus & aftringentibus,quæ funt acerba,& auftera,vt Galen.declarat in lib.de fimpl.med.& nos etiam in noftra methodo vniuerfali de fimpl.hæc ergo eligenda funt pro corroboratione membri,frigidæ fubftantiæ,& tenuis,& ficcæ.vtimur ergo & frigidis,vt fiat repreſsio:ficcis vt fiat euacuatio:acerbis autem pro corroboratione,quę quidem acerba & auftera cũ frigida fint,& ficca,cum caliditate & frigiditate his omnibus repellemus, & euacuabimus, & corroborabimus membrum.fed quoniam medicus debet effe fagax,debetis aduertere nimis ficcũ,& aftringens parere incommodum:ficcum quidem nimis locum exafperat:aftringens faciet continui folutionem, & fic excitari dolorem,& augeri inflammationem. vnde debetis locum inflammatum exiccare, & aftringere : fed aftrictio,& exiccatio debet effe moderata, vt declarabitur.accipienda itaque moderate exiccantia,aftringentiáq; præter refrigerantia, quia fi nimis aftringeremus, aut nimis

exiccan

exiccantia acciperemus, augebitur dolor, & inflammatio, quia fieret solutio continui, & plus damni, quam vtilitatis haberemus. sed diceret aliquis, quare non eligitis moderatè refrigerãtia? ne sequãtur hæc incõmoda, nimia enim frigiditas cõstipat, corrugat, exasperat, mordicátque. cur ergo dicit ille vis cauere à valde siccis, & refrigerãtibus, astringẽtibus verò nequaquam? scire debetis semper debere opponi gradus medicamentorũ gradibus ægritudinũ: si enim sunt duo gradus caloris in inflammatione, tunc cũ oppositis æqualibus in gradu occurrẽdum frigidis. si tribus, tribus, sin quatuor, quatuor, aliter non fieret actio. debet esse ergo paritas gradum, si tot gradus sint caliditatis, tot sint frigiditatis: vnde bene sequitur si maior fuerit caliditas, quam frigiditas, sequitur corroboratio, sed cum sit maxima caliditas, maximè refrigerantia debent exhiberi: non fit ergo constipatio, imò frigiditas cõtemperabit morbum, & faciet cessare dolorem, & debet esse maxima, quoniam semper calor, qui est maximus retundit frigiditatem illam. Quod autem calor sit maximus, per frigidum id manifestatur, quia cũ talia ponimus medicamenta multum refrigerantia multum excalefit locus, vbi aliquo tempore permanserint medicamenta super locum

vnum cogitur reiterare talia medicamenta refrigerantia, quoniam multus calor continuè refrangit frigiditatē: relinquitur ergo id verum etiam quod valde frigida conueniunt, nec eadē ratio astringentium, & exiccantium cū refrigerantibus. His autem visis reliquum est videre, si talē methodum seruet Gale. in exhibendis medicamentis, qualem diximus nos: & eligimus frigida, & sicca, & etiam astringētia: sicca quidē, & astringentia intelligendo moderatè: frigida verò vehementiora. videas modo si Galen. ponat tale medicamentum, & hanc seruet methodum. CATAPLASMATA EX SEMPER &c. Primo ponit hoc semperuiuum, quod appellatur sedum: habet quo ad qualitates actiuas frigiditatem vsq; ad tertium gradum, quo verò ad qualitates passiuas est siccum in secundo, non est siccum ita sicuti frigidum. sed dicet quis, herba ista humida est, quoniam gustando sentimus humiditatem. Galen. dicit non esse humidam, & hoc haberi posset ex gustu, & maximè loquendo de tertia specie, quoniam sunt species tres: si enim gustetis sedum illius tertiæ speciei positæ à Dios. quæ dicitur faba inuersa, vim exulcerandi habere percipietis: sed loquamur nos de aliis duabus speciebus sedi: quarum vna minuscula, altera maiuscula

est,habent vim refrigerãdi in tertio,vt diximus,exiccandi verò in secũdo,quod indicat sapor,quoniam sapor eius est acidus,& austerus,nec est insipida,tametsi sit aliqua humiditas: est enim humor cum multa parte terrestri,& subtili,quæ fundatur in sicca substantia:& scitote quæcunq; acida,& austera fundari in substantia sicca, sed acida sint,& in substantia tenui,acerba auté sicca quidem sunt,sed fundãtur in substãtia terrestri,& crassa.semperuiuum itaq; nobis cõmodum erit,nec obstat humiditas illa,quia dum fundatur in substantia terrestri facile resoluitur,cum etiã sit aquea illa humiditas apparet vis exiccandi,& est,vt diximus frigidum in tertio,& siccum in secũdo: vtilissima itaq; est hæc herba,multum refrigerat, & exiccat moderate,quoniam secundo gradu astringit,etiam cũ sit acerba,quid ergo aliud in inflammatione quęrendũ est?videtur profecto hoc solum sufficere,sed tamen addit quędam alia.sunt auté,vt Celsus granatorum cortices,gręcè auté appellatur sychum,licet apud nonnullos viderim sychũ esse genus quoddam arboris apud indos,nõ curo de hoc,satis nobis est scire Galen.dicere sychum,quod nos corticem granatorum vocamus.patet ergo malicoriũ:scitote tamẽ malicorij varios esse gradus,& frigidum,

gidum,& ſiccum eſt:vnde ſi auſterum ſit,& acerbum habebit conſtrictionem & frigiditatem,& ſiccitatem:ſinautẽ malum granatum habet dulcedinem;tunc nõ ſit maxima exiccatio,nec aſtrictio.ponit ergo malicorium genus,& non diſtinguit:vnde nos eligemus cortices mali granati medij ſaporis,quoniã moderata erit aſtrictio,nec erit exaſperatio,Rhu apud Galen.in 6.lib.ſimplic.med.habet duplex genus ex ſe,alterum quod dicitur obſoniorum;alterum coriariorum:quoniã coriarij eo vtuntur ad deſiccandas pelles detergendáſq;,de hac vltima ſpecie clara eſt hiſtoria:eſt enim frutex, & magna eſt copia in agro Veronẽſi,& Brixienſi,& vulgo dicitur.Il Roſſo,& vim habet conſtringendi,& exiccandi , & refrigerandi,refrigerãdi quidem in ſecundo,exiccandi in tertio;& talis virtus eſt in toto fructice,tam trunco,quam in foliis: hæc notiſsima herba,vel frutex eſt,ſed in rhu obſoniorum multi decipiuntur,nec Dioſc.explicuit latè,ſed tantum dixit ſolet inſpergi obſoniis pro ſale:videtur ergo facere cibaria grata,ſed credo hoc eſſe incognitum, licet male quidam dicant eſſe rhu ſyrianum,ſed dicere ſic,eſt dicere buff.baf,vellẽ quod oſtenderent , & plerique medici dicunt,Recipe rhu obſoniorum,coriarorum;

quid sit tamen rhu obsoniorum ipsos latet, scio nonnullos rhu vuam crispã appellare, quia videntur grana hujusmodi esse grata & habere vim astringẽdi,& exiccandi,quoniam acerba sunt,sed sic dicere,nihil est dicere. POLENTAM &c.polenta fit ex farina ordeacea,& hoc potest esse argumentum antiquis hordeũ in vsu fuisse,non frumentum,quod & Homerus dicere videtur: semper enim dat hordeum,sed hoc quærere,potius partes laxari bassaniensis,qui nusquam foras venit,sunt.habet autem vim refrigerandi & exiccandi in primo gradu sine aliqua astrictione:eligit enim semper vnũ exiccans in secundo,& refrigerãs in tertio, quod astringit etiã moderate.deinde dicit malicorium cuius vidimus multas species, & eligimus exiccationẽ moderatam,& astrictionem moderatã.est rhu frigidũ in secundo,exiccans in tertio,& est maxime astringens,& talis farina hordeacea refrigerat,& exiccat in primo gradu sine vlla astrictione,sic calefacit cataplasma,in quo ponit nõ valde astringentia,vt rhu : modo quæ sunt sine aliqua astrictione,vt polenta.

Vidistis superius omnes indicationes, quæcunque propositæ fuerunt ad inflãmationem curandã,in principio omnes illę indicationes sunt,quando inflammatio est in prin

principio, aliter enim curatur, quando tendit ad resolutionem, & aliter quando tendit ad suppurationem. Ex quibus indicationibus duæ erunt, quæ sumebantur à causa efficiente quatenus est in via. Nã quatenus est in via fluxio indicat esse auertendam materiam, quatenus verò est in termino, sed sub motu adhuc indicat repulsionem. Indicatio verò quæ sumebatur à causa materiali, quatenus materia fixa est in loco, erat vt materia ipsa euacuaretur. Altera erat, quæ à laxitate mẽbri sumebatur, quæ indicabat corroborationẽ, vidistisq; quomodo Galenus vsus fuerit omnibus istis indicationibus. Sed quia in calce explanationis proposuerat cataplasma quoddã, quod his tribus indicationibus satisfacit: habet enim vim repellendi, euacuandi, & corroborandi: repellẽdi, quæ debetur causæ efficiẽti: vim habet euacuandi, quæ debetur causæ materiali: corroborandi, quæ debetur laxitati ipsius mẽbri. Cũ igitur cataplasma debeat necessario has tres indicationes habere, & ne habeatis res ex documẽtis, & ex Cõmentariis. Sed vt habeatis artem, rationésq;, & indicationes, cur ita operetur, considerandũ est istud cataplasma, vtrum possit hæc tria facere, necne. Componitur igitur cataplasma ex semperuiuo, malicorio, rhu, & polenta. Quantũ

enim ad semperuiuũ ad qualitates ipsas primas frigidũ est in tertio: quo ad secũdas siccum in secũdo. Semperuiuũ igitur est frigidum in tertio, siccũ in secũdo: præterea austeri, acerbiq; saporis est, ratione cuius saporis indicat substantiã terrestrẽ, in qua est austeritas. Malicorium vero quod est cortex granatorum intelligo granata medij saporis, eo quia non sunt accipienda, quę valide astringunt, nec quæ minime astringũt: ideo eligenda sunt, quæ medij sunt saporis, quæ sunt frigida, & sicca in secundo. Rhu frigidum in secundo, siccum in tertio, estq; maximæ acerbitatis, & merito astrictionis est similis in gradu cum ipsa Galla. polenta est alphytum apud græcos, & est farina hordei. Est etiam alius modus conficiendi polentam, sicut amylũ. Sed quicquid sit farina hordeacea est. Et hęc omnia decoquit in vino. Debetis scire quod methodus componendi semper præsupponit indicationes. Cum igitur tres indicationes habeamus repellendi, euacuandi, & corroborandi. Quantum ad repulsionem attinet indigemus frigidis. Nam frigida repellunt, & hæc indicatio sumitur à materia existente in termino sub motu, & habet rationem causæ adhuc efficientis. Quantũ verò attinet ad euacuationẽ, euacuamus tripliciter.

Nam

Nam tribus modis possumus euacuare vel cum calidis & humidis faciendo euaporare, vel cum frigidis exiccãtibus exiccando locum, vel euacuamus cum deriuatione deriuando materiã, & euacuando ipsam : in hoc nostro casu non conueniunt calida & humida, nec deriuatio conuenit. ergo cum exiccantibus euacuamus: talia autem fiebãt per frigida, & sicca. Accepit igitur semperuiuum: in semperuiuo enim est frigiditas, in tertio exiccatiua siue astringens in secundo : ergo in semperuiuo erunt omnes indicationes, quibus indigemus, solum semperuiuũ sufficeret : cur igitur Galenus multiplicat tot medicamenta? Dicebat Galenus in primo κάτα τόπους quod non alia de causa multiplicamus medicamenta, & componimus, nisi quia in vno nõ possumus omnes indicationes habere, nec credatis quod in aliquo composito ipsorum antiquorum aliquid ne minimum quidem pondus frustra positum sit, sed quia non oportet, vt tantum hæc omnia faciamus, quod repellat, qđ euacuet, & quod corroboret, Sed oportet vt omnia hæc penetrẽt ad partẽ, ad quã debent penetrare. Ideo cũ frigiditas per se cõstipet, & non penetret, oportet, vt aliquid quod sit tenuis substãtiæ, & calidæ cum frigidis permisceamus, quod sit vehiculum istorum fri

gidorum: Nam calidum permistum frigido facit illud frigidum citius penetrare. Dicebat enim Galenus, quod frigidum, vbi permisceatur cum calido citius pertransit ad cor, quam faceret, si calidum non esset. Et quia in semperuiuo nõ est sufficiens astrictio, propterea apponit corticem granatorum, & rhu ipsum, in quibus est talis virtus exiccandi, & corroborãdi: & quoniam sunt crassæ substantiæ omnia ista, opus fuit vt esset aliquid tenuis substantiæ, & calidæ, quæ omnia hæc ad profundum ducerent, & esset vehiculum istorum, propterea decoquit ista in vino ad hoc, vt fiat citior penetratio: Nam si in aqua decoxisset, non habuissent penetrationem. Vt igitur haberent penetrationem decoxit in vino: sed quantum modo ad artem cõponẽdi, id est, quomodo proportio medicamentorum debeat se habere, attendite. Debetis enim primo videre illud, quod primo queritis, & intenditis. Hic sunt duo, primum est vt repellatis materiam fluentem, aliter tanta materia aggregabitur, vt membrum corrumpat & ad sphacelismum deducat. Ideo oportet vt illud quod primum quæritis sit tanquam basis compositionis. frigidum igitur in hoc casu & compositione erit tanquam basis, & fundamentum istius compositionis, pro-

pterea

pterea in isto medicamento debet esse maior pars ipsius frigidi: secundum est euacuatio ipsa materiæ fixæ in loco, & ita debetis attendere cum siccis: sed debetis aduertere ne sicca talia sint, vt soluant continuũ, qualia sunt, quæ sunt immoderate sicca. Debetis igitur eligere, quæ moderate sicca sunt: tertium est corroboratio, & corroborantia debent & ipsa esse mediocria. Igitur quæ sunt frigida erunt in maiori quantitate: quę astringunt, & exiccant non in tanta quantitate esse debent, Sed in minori: & quia erat necessarium aliquid, quod penetraret, ideo apposuit polétam ipsam. Componetis hoc modo. Recip. Semperuiui partes sex, ipsius polentæ quatuor partes: Malicorij partes duas. Rhois partem vnam, Decoquantur in vino. Decoxit autem in vino, vt vinum est & vehiculum omnium istorũ: Sed cum decoquitis hæc, vel vultis facere emplastrum, vel cataplasma, licet secundum Paulum cataplasma sit commune, & ad puluerem, & ad emplastra, & malagmata, & puluisculos: Vel vultis facere epithema. Si hæc vultis facere, facietis ea decoquere, donec liquescant. Quod si vultis vti decocto, quod erit fortasse magis laudabile, facietis decoquere vsque ad tertiam partem, & ita potestis vti emplastris, & decocto. Sed caueatis ab

inflãmationibus illis, quæ vix possunt materiam fluxam sustinere, ita etiam à palea. Si suprà ponat premuntur, & dolent, ne superponatis aliquod emplastrum corpulentum, eo quod excitabitis maiorem dolorẽ. & ita præfero, vt faciatis decoctum, & cum linteo illiniatis locum: ex isto enim nullus dolor, nullum pondus percipietur, & melius penetrabit: Quod si non vultis subitam penetrationem, melius est vti emplastro, quia longè plus vis eius durabit: & non ita cito penetrabit: ALIA AVTEM SEXCENTA MEDICAMENTA MISCERE POSSETIS. Galenus enim vt toties dixi, non vult docere medicinam, sicuti alij docent ex documento: Sed vult eam docere ex methodo, & arte: Nam intentio sua est, vt proferat methodũ ipsam, & non afferre medicamenta infinita. Quapropter vel igitur discatis methodum, vel Galenum derelinquatis, & sequamini practicos. Nec ego nego, quin posſitis rectè curare, & bene cum faciatis, quæ dicuntur ab istis practicis, quæ fuerunt per methodum inuenta quandoque. Dicit igitur Galenus, quod sunt sexcenta alia medicamenta, quæ posſitis, cum artem habetis per vos metipsos componere: ecce quod hic præsupponit vos habere artem, & methodum.

VNDE

VNDE IN SINGVLIS VNVM ALIQVOD SVBIICIAM TIBI, ET MONVMENTVM, ET EIVS QVAE EST IN ALIIS FACVLTATIBVS EXEMPLVM FVTVRVM. Ecce quod Galenus vult vos artem habere: Nam dicit se velle vnum aliquod in singulis inflammationibus tanquam monumentum,& exemplum afferre,postea epilogat dicens, quod huiusmodi remediis debemus vti, vbi dolor non est, eo quia curauit tantum inflammationem extrinsecam sine accidētibus,& in principio. CVM MAGNITVDO AVTEM DOLORE. In ista parte Galenus vult curare inflammationem,quæ est cum dolore, inquit:vbi verò grauiore cum dolore inflammatio affligit non eodem modo procedendum. Multa enim hic Galenus præsupponit ex arte ipsa. Quare enim non debemus eodem modo curare, vbi adest dolor vehemens cum adest fluxio : vel enim fluxio est in via, vel in termino, vel fixa : si in via debetur auersio, si in termino debetur repulsio : si fixa debetur euacuatio : si debilitas membri debetur corroboratio. Cur igitur non procedimus eodem modo cum eædem causæ remaneant,quæ erant in inflammatione sine dolore? Dico q̄d adest dolor. Sed dicet

quis,

quis, dolor est accidens: modo ab accidente nulla sumitur indicatio, sed indicatio sumitur à causa, & ab essentia morbi. Respondeo & dico quod ab accidente quatenus accidens est, nulla sumitur indicatio: sed quãdoque contingit quod ita accidens vehemens sit, vt habeat rationem causæ efficientis, & tunc tale accidens totam ad se trahit curam nõ quatenus symptoma sit, sed quatenus habet rationem causæ efficientis, & ita facit indicationem. Nam vbi vehemens dolor est, attrahit materiam nouam ad locum, & calefacit ipsum, & cum calefaciat, & attrahat habet rationem causæ efficientis: Et si memoria tenetis, dicebamus quod vbicunque adest causa efficiens in actu, quod non potest morbus curari, nisi primo curetur, & remoueatur causa efficiens: ergo remouenda prius est causa efficiens: sed cum dolor habeat rationẽ causæ efficientis: igitur dolor primo remouendus est. Sed dicet quis, quæ est ars dolorem remouendi? Ars hæc est, quod contraria contrariis curãtur. Videamus quæ sit causa ipsius doloris: dolor enim à duobus potest causari: Dicant alij quicquid velint. Et cum dicunt, vnius rei vna tantum est causa. Dicas quod vnius rei simplicis vna tantum causa simplex est: sed vnius rei multiplicis non est vna causa

simplex.

simplex. Dico igitur quod dolor potest à duabus causis prouenire:ab alteratiōe enim causari potest,& à solutione continui:& altera per se potest facere dolorem : modo in inflammatione primo adest qualitas aliqua subito aduenìens membro:nam materia plurima calida aduenit alterans membrum : secunda causa est solutio continui. Nam materia illa facit extensionem in mēbro, & ita soluit continuum. primo quantum ad alterationem oportet,quod eam remoueamus cum suo contrario:est qualitas calida,ergo cū frigidis remoueri debet,hoc est, cum suo contrario,& ita refrigerari debet:adest tensio secūda causa,ergo debet remoueri. remouetur autem euacuando materiam extendentem mēbrum : & hoc duobus modis potest fieri vel humectando mēbrum,mediocritérque calefaciendo. Nam hoc modo mollificamus membrum extensum : alio modo euacuando materiam.Sed dicet quis quomodo sine euacuatione sedamus dolorem ? Notate quod fortasse sunt etiam multi , qui nesciunt, quomodo anodina sedent dolorem , sunt enim quædam partes extensiuæ, quædam dum calefaciunt magis adhuc extenduntur : huiusmodi autem potest remoueri cum re aliqua humectante,& mediocriter calefaciēte, quæ materia

teria

teria humectans, & calefaciens mediocriter facit, vt venæ, & arteriȩ magis adhuc extendantur, & ita facit membrum magis extensum, quam prius erat, ita vt cum magis mẽbrum dilatetur, facilius materiam contentam in eo tolerat, & non ita premit, ficuti faciebat: vel cum euacuantibus fedatur, & hoc vel cum euaporantibus, cum his, quæ faciunt euaporare, vel cum exiccãtibus, vel cum deriuatione. Sed quæ cõueniunt in casu noſtro? frigida? nequaquam, eo quia prohibita euentatione augetur calor, & ita augetur alteratio, qua aucta etiam dolor. Caueatis etiã à frigidis ſtupefacientibus membrum, niſi incidat in ſyncopam. ergo dicet quis, quæ proprie anodina dicuntur debent applicari? minimè, eo quod maior fit relaxatio, & ex tali relaxatione ſtante fluxione præparatis materiam magis ad fluxionem, & ita fluxionem augetis. ergo ſi hæc non conueniunt, conueniet euacuatio, quæ fit cum euaporantibus, cum his quæ faciunt euaporare: neq; hæc conueniunt, quoniam eadem ratio eſt: nam euaporantia ſunt calida & humida. Erunt igitur optima frigida exiccantia, neque conueniunt hæc, eo quia exaſperant locum. ergo deriuatio cõueniet? minime, quia deriuatio attrahit materiam ad locũ ſtante fluxione. Quid igitur faciendum?

dum? cum nullus alius sit locus, nec modus sedandi dolorem? scitis quod fluxio quatuor supponit, membrum mandans, membrum recipiens, materiam fluentem, & vias, per quas transit materia, & primo ad membrum mandans accedetis. Secundo ad vasa ipsa, per quæ pertransit, & si vasa fuerint extrinseca vos intercipietis materiam in via cum defensiuo, & hoc cum materia refrigerante. Quantum attinet ad materiam fluentem euacuabitis non per deriuationem simplicem, sed per deriuationem mistam cum auersione, & ita eligetis venam mediam, quæ simul euacuet, & auertat. Venam dico eligetis eiusdem lateris ad hoc, vt sit remedium præsentaneum ad intercipiēdum dolorem, & ita non poteritis dicere, est auersio simplex: ergo iuuamentum nullum, vel tardum. neque poteritis dicere, est deriuatio simplex, ergo attractio materiæ ad locum, eo quia non est simplex deriuatio. Et si dolor est propter materiam fixam cum euacuamus à loco materiā, sedabitur ergo dolor: & ita faciamus omnia, quæ facimus in inflammatione sine dolore, sed non simpliciter, imò omnia miscemus. Nam vtimur refrigerantibus cum his, quæ euaporant: hæc enim ambo, licet simul sint, operantur tamen per se secūdum vires proprias, ita vt illud,

illud, quod reprimit, reprimit quidem: Sed, non mordicat, eo quia habet secum illud euaporatiuum, quod lenit, & mitigat. Videamus parum, an Galenus & ipse hoc faciat. NEQVE AQVAM CALIDAM, NEQVE OLEVM, NEQVE FARINAE TRITICEAE CATAPLASMA OFFERRE. Hic primo remouet omnia anodina, eo quia fluxio stat: quod fluxio stet denotant verba eius cum dicit, CVM MAGNO DOLORE FLVXV INCIDENTE. Et licet anodina videantur in principio sedare dolorem, quia faciunt maiorem extensionem, tamen postea maior copia materiæ fluit, & inde augetur quoque dolor: propterea dicit: Neque cataplasma ex triticea farina, in qua est caliditas, & humiditas moderata: Hæc enim omnia aduersantur affectibus. Et licet vt dixi, in principio videantur iuuare, tamen posteà plurimum nocent, eo quia relaxatur membrum, & fit materia magis parata ad fluxionem, & inde maior quoque dolor causatur. Et aduertatis quod Galenus non vult discurrere per singula: diximus quod quantum attinet ad euacuationem materiæ existentis in loco, indigemus his, quæ habent vim astringendi modestissime, & emolliendi modestissime: propterea componit medicamētum ex

passo,

passo, & oleo rosaceo: passum enim dicitur vinum dulce. Antiqui enim conficiebant ipsum ex vuis passis,& racemis passis. Erat enim vinum illud admodum crassum,& habebat multas partes astringentes, Habebat etiam vim emolliendi ratione dulcedinis. Nam ratione dulcedinis calidum erat. Mel quidem calidum est,& siccum: Sed caliditas sua non est simplex. Sed cum acrimonia est: propterea nostrum etiam passum habet vim etiam maximam sedandi dolorem cum supa, & parte subtiliori furfurũ, quæ mediæ sunt inter farinam, & furfures, dico ad sedandum dolorem in renibus. Applicat igitur medicamentum ex passo, & rosaceo: Rosaceum enim est frigidum cum tenuitate substantiæ: vnde corroborat ratione frigiditatis, sine tamen asperitate penetrat ad profundum,& relaxat: ponit postea ceram: Non quod ex illa aliquid vtilitatis habeatur, Sed ponitur tanquam materia istorum, vt hæc contineat, quia nimis liquida sunt, ne diffluant.

Videbamus quemadmodum indicationes omnes, quæ ministrabant inflammationibus cum dolore, eædem ministrabant & inflammationibus sine dolore: indicatio enim quæ sumebatur à materia erat causa efficiens: id est à materia, vt est in via, erátq;

vt auerteremus: modo eadem met est in inflãmationibus cũ dolore. Sed est differẽtia, eo quia materia fluẽs in inflammationibus sine dolore indicat auersionem simplicem: in inflammationibus autem cum dolore indicat non auersionẽ simplicem, sed mistã, id est quæ sapiat naturam deriuationis, & auersionis: Et ita oportet, vt ista simul auertat, & euacuet. præterea vidistis in inflammationibus sine dolore, quod indicatio, quę sumebatur à materia prout erat in termino, erat vt repellamus materiã, quæ eadem est & in inflãmationibus cum dolore. Nam & in inflammationibus cum dolore considerata materia prout est in termino indicatur esse repellendum: Sed differunt, quia in inflammationibus cum dolore vtimur repellentibus mistis cum euaporantibus aliquibus: in inflammationibus autem sine dolore vtimur repellẽtibus solis, & potẽtibus: Et ita vbi in inflammationibus adest vehemens dolor, omnia cõmiscemus, & moderamus, propterea medicinæ habẽt vim repellendi, sed modestissimè. Et ita Galenus applicat passum cum rosaceo, & cera: Ceram autem addit, nõ vt ex illa aliquid vtilitatis habeat, sed hac ratione tantum addidit, vt linimentum fiat corpulentum, & adhæreat: aliter enim flueret. Solet autem

in his componẽdis proportio ceræ quadruplari sit: Recipe olei rosati, passiliana vnc. j. ceræ drach. j. & docet applicare ista cum lana succida, quæ habet œsypum multũ: œsypus enim est sordities lanarum: quandoque enim pro œsypo dicunt hysopum. Habet vim emolliendi, leniendi, sedandique dolorem. Et scitis quare anodina dicuntur euaporare, & sedare dolorem? Non alia de causa, nisi quod magis extendũt membrum, & materia, quæ erat in membro compressa cum membrũ extendatur commodius manet, & sine compressione. Debet igitur esse lana cum œsypo, cum sorditie illa: SIC ETIAM CATAPLASMA EX ARNOGLOSSO. Dicebamus inflammationes cum dolore easdem indicationes habere, quas habent inflammationes sine dolore; Et quoniam inflammationes, quę curantur à Galeno hic sunt extrinsecæ: propterea venæ etiam erunt extrinsecę. Nam humor debet & ipse deduci per venas extrinsecas, oportet igitur, vt in hoc casu quãtum possumus ad sedandum dolorem, materiam intercipiamus, propterea aliud est faciendum. Si enim debet intercipi oportet vt aliquo frigido intercipiatur, & astringente, quia minus materia reddetur apta ad fluxionem: propterea Galenus dat vnum ca-

taplasma compositum ex arnoglosso, lente, pane, & oleo rosaceo, quod quidem aliud est à primo. primum enim erat ex passo, quod passum est calidum & humidum in secundo: œsypus calida & humida in primo. Sed videamus parum quid simile habeat istud secundum remedium cum primo. Arnoglossum est plantago, quæ frigida & sicca in secundo. Lenticula: intelligatis de lenticula, quam comedimus, temperata est: & quãtum attinet ad qualitates actiuas non inuenitur nec caliditas, nec frigiditas in ipsa sensu, nec ratione. Quantum ad passiuas exiccat in secundo, ideo plurimum humorẽ melancholicum generat: panis quando habet fermentum calidus est circa secundum, quod si salẽ quoq; habuerit, habebit vim exiccandi: Si salem non habuerit, temperatũ erit in siccitate, & humiditate. Farina enim per se frigida est in secundo, fermentum calidum vsque ad secundum, sed quia plus de farina est, ideo remanet cum virtute humectãdi: intelligatis de pane sine sale, cum fermẽto tamen. Oleum rosaceum frigidum in primo cum aliquanta astrictione: Sed videamus, vt dixi, quid simile habeat hoc secũdum medicamẽtum cũ primo, hoc dico, vt artẽ sciamus, eo quia nõ semper habebimus aromatarios: oportet
enim

enim si vultis componere medicamenta indicationes habere, & si aliqua medicinæ pars indicatione indiget,hæc est:prima indicatio ratione materiæ extrinsecus fluentis,id est per venas extrinsecas est,vt repellamus, sed ita debemus repellere, vt non exasperemus locum: oportet,vt corroboremus,sed oportet,vt corroborãtia & astringentia non sint valida cum dolor adsit, oportet igitur facere aliquam emollitionem.Fit autem emollitio cum his,quæ habent vim emolliendi,& calefaciendi.Et ita quæ sunt calida & humida in primo, vel quæ proxime ad temperamẽtum accedunt pro emollitione cõueniunt.Habetis in hoc composito arnoglossum quod astringit,sed non valide. Neque enim in ipso validam astringentem vim percipitis:exiccat tamen valide vsq; ad secundum. Quantum ad hoc non conuenient.Sed addit lenticulam,quæ lenticula temperata est,& quantũ ad ipsam nihil addit,nec minuit. Esset adhuc medicamentum hoc frigidum & humidum vsq; ad secundum,& siccum. Addit etiam rosaceum quod frigidum est in primo,& siccum in primo. Hactenus adhuc frigidum restat in secundo:postea ponit panem calidum in secundo: habet enim fermentum, quod calefacit,& quia in hoc medicamen-

to volumus habere calidicatem, non intensam, Sed quæ faciat aliquam euaporationē: Ideo Galen. mutauit medicamētum: si enim esset eadem varietas temperaturæ, idem status morborum, & idem status cœli, sufficeret vnum medicamentum. Sed quoniam idem status cœli non est, nec eadē temperatura corporum, nec idem morbus, propterea oportet plura medicamēta habere. Vbicunq; enim non esset temperatura ita calida, nec cœli status in corporibus solidioribus, quæ indigent aliqua re penetrante, & esset cœli status frigidus, primum medicamentum conueniret: quod si inflāmatio esset feruens, & status cœli calidus, tunc secundum medicamentū magis cōueniret, quam primum: quandoq; enim plus de arnoglosso, quàm de pane ponetis, quandoq; contra. ponetur autem rosaceum, quia habet vim dilatandi, extendendíq; : exemplo habito de corio. Nam si corium illinatis rosaceo, fiet corium extensibile, & penetrabit oleum rosaceum vsq; ad profundum, quod non fiet si aliis oleis illinatis. Nec aliud remediū efficacius est ad sedandum dolorem in timentibus inflammationem in membranis capitis ipso rosaceo. Nam ex isto membranæ extenduntur, ita vt nullum sentiant dolorē:

PAVLO VERO SVPRA PATIENTES

PARTICVLAS. Ista erat vltima indicatio à Galeno posita vt interciperetur fluxus,& ita docet vos ponere supra locum patientem modicum aceti cum aqua ad hoc, vt aqua magis penetret. QVOD SI HAEC CVRA PARVM PROFVERIT. Hactenus curauimus inflammationes in principio, id est principia inflammationum tam sine dolore infestantium, quam cum dolore. Nunc aggreditur curam inflammationum, quę sunt in augmento vsq; ad statum. Et quoniam quælibet inflammatio potest habere duos terminos fœlices,& duos infœlices, primus terminus fœlix est, quando tendit ad resolutionē: secundus fœlix etiā, quando tendit ad suppurationem,& est fœlicissimus, quando suppuratur locus. Duo verò termini infœlices sunt, primus quando fit scirrhus,& durities in membro, qui quandoq; propter imperitiam medici contingit: secundus terminus detestabilior omnibus est, quando inflammatio tendit ad corruptionem membri, ita vt membrū corrumpatur. Contingit enim hoc quandoque propter imperitiam medici, cum in principio applicantur humida & calida: vel propter imbecillitatem virtutis, vel aliquid aliud simile. Duo termini infœlices dimittuntur à Galeno. Sed curamus illos fœlices.

Si igitur, inquit ipse, ex istis, quæ in principio apponuntur vtilitas aliqua non accesserit, & pus nũquam appareat, vtilitas enim est, vt dolor cesset, sed inflammatio aliquantulum cesset, signum est, quod tunc sit resolutio, & tunc quid agendum cum inflammatio tendat ad resolutionem? debemus naturam imitari, ipsam adiuuando. igitur resolutionem & nos tentabimus cũ emollientibus medicamentis, proponítq; vnum medicamentum, quod habet vim emolliendi, quo vtitur in fistulis, & in omnibus, dicitur dichaliteos quinque, & primum emplastrum descriptũ in primo *κατάγενη*, malactica appellatur à Græcis, emplastrum autem Diachilum appellatur à vestro antidotario, & est illud magnum, à quo cauebitis, quia calidum est. Sed Diachilon paruum accipietis: magnum autem renuetis. Et conueniunt quando inflammatio est prope statum. Et caueatis ab his, quæ habent vim emplasticam. Vnde farinæ omnes sunt fugiendæ. Ego autem vtor fomentis liquidis cum spongiis. Et iubeo exempli gratia, vt decoquatur althea, semen lini. Fœnumgræcum. Et addatur aliquid quod contemperet fœnumgræcum, & semen lini; & ita addantur rosæ. Rosæ enim non permittent, vt materia alia

fluat:

fluat: & ita facere decoctum ex huiusmodi, quandoque cum omnibus his: quandoque cum pluribus. præterea ex vino acerbo cum aceto, & cum spongiis applicare melius est, quam cum corpulentis. sed nescio quomodo isti Aromatarij conficiant emplastrum Galeni, quod habeat Diachalitum: & credo quod ita isti cognoscunt, sicuti ego Antichristum cognosco. Quod si vultis vti ipso, diluatis cum oleo rosaceo & plurimum de ipso ponatis. Habetis igitur tenuia medicamenta, quæ non impediunt euaporationem, & difflationem.

Quod si vultis suppurare totum oppositum facietis: Et Galenus dat documentum, vt si sit aliqua materia, quæ fluat, reprimatur: igitur non debet esse medicamentum absolutum ab aliquo corroborante, sicuti sunt rosæ, & myrthi: si non habetis Rosas, optimi sunt myrthi: iste intentiones debent esse in medicamento applicando membro tendenti ad resolutionem: Debent enim esse repellentia, corroborantia, & euaporantia. Medicamentum autem positum habet talem compositionem: habet enim tres partes olei communis, duas adipis porcini, duas Lythargiri, Chalcitidis partem vnam, iubeóq; vt semper misceantur cum palmula viridi, ita

cum frangitur palmula illa aliam accipiamus viridem: & vtendum hoc emplastro, quando inflammatio tendit ad resolutionem.

Certum enim est quod in adipe est caliditas in primo, lythargirum verò est materia. Nullum enim habet excessum: oleum calefacit. Quantum ad hoc non conueniũt vlceribus, sed habet Chalcitidem, quæ exiccat, & si poneretis super vlcus exulcerat mirum in modum, tres habet partes Mysi, est pars subtilior: corrodunt omnes partes, & sunt similia ærugini æris: & sicuti ex oleo, & ex ærugine componit Galenus medicamentum, quod facit carnem, & quod generat carnem pro miscella istorũ: Oleum enim putrefacit carnem propter nimiam humectationem, ista cum propter nimiam exiccationem corrodit, ponit vnam partem Chalcitidis, tres olei, duas ex aliis: propterea non potest multum corrodere: tamen si ponatis in fistulis dicit, quod ipsas corrodit. quando igitur volumus emollire ponitur paruum de suo emplastro, & plurimum de oleo rosaceo. Ego verò credo quod isti nostri aromatarij ponant vitriolum ratione chalcitidis: quod si habueris inquit Galenus, spongiam cum vino acerbo plus iuueris, quoniam in vino

acerbo est caliditas aperiens, ratione verò acerbitatis astringit quoque.

ATQVE VBI PVS APPARVERIT.


Vidistis quomodo curauimus inflammationes, quando sunt in principio, & quomodo quando tendunt ad resolutionem, qui erat primus terminus fœlix: secundus terminus erat, quando tendebat inflammatio ad suppurationem: Nunc verò quomodo & iste terminus curandus sit videndum est: signa autem istius termini suppurationis hæc erant: quod repente dolor excitabitur, febris augebitur, nihil rubedinis addi videbitur, vel tensioni, ita vt possit suspicari de materia fluente: cum hæc appareant, signum est, quod pus tunc generatur.

Quod si etiam cogitis locum, percipitis quoddam, quod veluti fluctuat: præterea si inflammationes erunt laudabiles, videbitis ipsas tendere ad figuram pinealem, ita vt tumor sit figuræ pinealis. Sed quid agendum? idem facietis pro parte, quod fecistis quando tendebat inflammatio ad resolutionem. Et primo quantum ad hanc partem calida & humida conueniunt, & ferè similia sunt, quæ resoluunt, & quæ suppurant. Differunt tamen in hoc, quod quæ resoluunt, debent esse tenuis substantiæ, eo quod

quod in resolutione nolumus calorem retinere, imò oppositum volumus, quod diffletur: in suppuratione verò totum oppositum quærimus. Volumus enim calorem naturalem detinere, & facere ne resoluatur, & ita suppurantia debent esse calida habentia vim emplasticam, substantiámq; viscidam, & aliquid astrictionis ad hoc, vt calor detineatur.

Bene valete, & Plaudite.

FINIS.



LVGDVNI,
Excudebat Symphorianus
Barbierus.
1556